PONTIFICALIS ROMANI EXPOSITIO
JURIDICO-PRACTICA

JOACHIM NABUCO

SUAE SANCTITATIS PRAELATUS DOMESTICUS

PONTIFICALIS ROMANI

EXPOSITIO JURIDICO-PRACTICA

Functiones pontificales extraordinariae

TOMUS III

ORDINES SERVANDI

APPENDICES

PETROPOLI — BRASILIA

SUMPTIBUS EDITÔRA VOZES LTDA.

M CM XLV



Nihil obstat quominus imprimatur.

Petropoli, die 17 Octobris 1944.

FRIDERICUS VIER, O. F. M.
Censor.

IMPRIMATUR.

Petropoli, in festo sancti Petri de Alcantara,
Brasiliæ Patroni, die 19 Octobris, 1944.
Josephus, Epps Nictheroiensis.

ANSCHARIUS BELFORT
DIAGRAMMATA DELINEAVIT

SECTIO I

DE SACRORUM OLEORUM BENEDICTIONE

1 DE FESTORUM PUBLICATIONE IN EPIPHANIA DOMINI

(REMISSIVE)

Haec habet Pontificale: "In Epiphania Domini, cantato evangelio, archidiaconus, sive aliquis canonicus, vel beneficiatus, aut alius, juxta consuetudinem loci, pluviali paratus, ascendet ambonem vel pulpitum, et ibidem, vel in alio loco ubi cantari solet evangelium, e vetusto Ecclesiae sanctae instituto, publicabit festa mobilia anni currentis, juxta infrascriptam formulam, et diem synodi dioecesanae suo loco promulgabit, licet in formula infrascripta Dominica secunda post Pascha notata sit". Sequitur formula publicationis cum musicis notis.

Post fixationem Paschae Domini, quae in votis omnium est, publicatio festorum in Epiphania Domini erit una cum ritibus obsoletis reponenda. Hac de re lege Chauve-Bertrand, La Question de Paques et du calendrier, Paris 1936.

Circa festorum annuntiationes, ritus vetustissimus certe et venerandus, consule Morin, Liber Comicus, pg. 391; Cabrol *Acclamations*, DACL, tome I, 1.°, col. 264.

SECTIO I

DE SACRORUM OLEORUM BENEDICTIONE

TITULUS UNICUS

CAPUT I

2 DE MINISTRO, TEMPORE, LOCO ET RITU BENEDICTIONIS

› Oleorum benedictio in hac 3.ª parte PR, et non in 2.ª cum rebus benedicendis, posita est, quia agitur de praeparatione elementorum ad sacras functiones celebrandas et quia in hac 3.ª parte PR unasimul ponuntur ritus qui certis per annum diebus fiunt (1).

1 — MINISTER benedictionis oleorum in Ecclesia Latina est solus episcopus consecratus. PR; CJC 734 § 1; 781 § 1; 945.

Minister extraordinarius, in specialissimis rerum adjunctis, de expressa Summi Pontificis delegatione, est presbyter loci ordinarius. CJC 945 (2).

2 — TEMPUS. In Ecclesa Latina sacra olea conficere tantum licet Feria Quinta Maiore. PR, CJC 734 § 1. Gravi tamen de causa, uti tempore concilii oecumenici, Sancta Sedes concedit indultum ea alio die benedicendi (3).

In locis missionum solet Sancta Sedes permissum dare ordinariis consecrandi olea sacra extra Feriam Quintam Maiorem. Vide formulas maiores, nn. 2 et 3, facultatum SCFP.

3 — LOCUS. Sacra olea confici debent in ecclesia cathedrali (D 2178, I); gravi tamen de causa, judicio episcopi, licitum erit ea in alia ecclesia dioecesis consecrare (D 1382), non tamen in privato sacello episcopi. D 1896, I.

4 — OBLIGATIO. Oleorum benedictio quotannis in omnibus ecclesiis cathedralibus per orbem fieri debet stricto jure. PR CJC 734 § 1.

Episcopus graviter impeditus alium episcopum invitare ad olea benedicenda tenetur. D 1896, II. Si alius episcopus inveniri nequeat, loci ordinarius tempestive metropolitam vel viciniorem episcopum adeat ut olea pro sua dioecesi consecrare benigne velit.

Abbates et praelati nullius dioeceseos, vicarii, praefecti seu administratores apostolici, vicarii capitulares, episcopali charactere ornati, tenentur ad olea sacra quotannis benedicenda in usu fidelium sui territorii; si episcopi non sint, tenentur ad olea sacra sibi procuranda, sive invitando episcopum extraneum ad ea benedicenda, sive illa a proprio metropolita vel a viciniore episcopo tempestive ante Feriam Quintam Maiorem petenda. CJC 294 § 1; 315; 323; 435 § 2.

5 — RITUS. In oleorum benedictione nulla ratione a ritu PR recedere fas est. DD 244, 2122.

Episcopus missam celebrans et olea benedicens unus esto, nec potest infirmitatis causa sacra olea ante vel extra missarum solemnia benedicere. DD 1448, 3044, II.

6 — SOLEMNITAS. Legit Pontificale benedictionem oleorum fieri debere quam solemnissime, intraque missarum solemnia, proinde benedictio lecta oleorum intra missam lectam pontificalem excluditur. Nihilominus in locis missionum ubi cantores, ministri, vestes sacrae, aliaque ad solemnem functionem necessaria desiderantur, benedictio oleorum, cum sit praeceptiva et urgens, non erit propterea omittenda, fiat proinde privatim sine cantu intra missam lectam pontificalem (4).

Si episcopalis urbs interdicta venerit interdicto locali generali, oleorum benedictio facienda erit in alia civitate dioecesis, vel, si fiat in ipsa urbe interdicta, functio privatim sine cantu intra missam lectam pontificalem peragatur. CJC 2271, 2.°. Ritus benedictionis lectae invenies in capite VI.

7 — PRESBYTERI COOPERATORES DUODECIM testes sunt et concelebrantes officii benedictionis oleorum, nam orationes ab episcopo recitandas sequi et audire tenentur, oleum ad sanctum chrisma et ad catechumenos halando exorcizare, ac in fine olea ipsa revereri, ait enim rubrica *a lateribus assistentes pontifici, tamquam ejus testes et ministerii sacri chrismatis cooperatores* (5).

Presbyteri sacras vestes albi coloris induunt ut in missae celebratione *pro reverentia chrismatis* (Andrieu PR tome II, pg. 544) non excluso manipulo, nec sufficit casulam super superpelliceum induere. D 1660.

Presbyteri erunt tempestive a caeremoniarum magistro vel a curiae episcopalis cancellario intimandi, et possunt etiam poenis canonicis cogi (D 2398) ad tam nobile officium explendum, nisi sint legitime impediti (6). In casu necessitatis vocari possunt canonici ecclesiae cathedralis. D 210, I.

Sine indulto apostolico non licet olea sacra conficere nisi adstantibus duodecim presbyteris cooperatoribus. D 3359. In praxi tamen, extra Urbem, exceptis paucis ecclesiis cathedralibus, lex de duodecim sacerdotibus non amplius viget, cum indulta generalia concedantur ut oleorum consecratio fiat adstantibus sacerdotibus et ministris qui adstare poterunt. Verba indultis apposita admittunt proinde consecrationem cum tribus tantum presbyteris, si tres tantum adstare poterunt (7). Decet tamen ut oleorum consecratio peragatur saltem cum dimidio presbyterio, id est sint sex presbyteri, tres hinc tres illinc, a lateribus pontificis. D 2860.

Deficientibus sacerdotibus cooperatoribus, uti in locis missionum aliquando accidit, presbyter assistens et sacri ministri missae, si sint in ordine presbyterali, funguntur munere presbyterorum cooperatorum, et ministrorum oleorum una simul, sacris vestibus ordinis sui retentis. DD 3013; 3114, IV.

8 — DIACONI ET SUBDIACONI, septem utriusque ordinis, consecrationi interveniunt tamquam *ministri et inspectores* PR (8). Ex illis diaconi duo ampullas sancti chrismatis et olei catechumenorum portant (9), et subdiaconus unus fert primo oleum infirmorum et postea balsamum; ceteri nullum officium habent in functione, et adstare debent ad maiorem solemnitatem, in memoria antiquae observantiae, et sine indulto apostolico nequeunt dispensari. D 3359.

Ministri sacras vestes induunt sicut in missa solemni, non excluso manipulo, nec sufficit induere dalmaticam vel tunicam super superpelliceum. D 1660.

Deficientibus sacris ministris, loco eorum non sunt adhibendi clerici tonsurati vel in minoribus ordinibus constituti (DD 3325; 3402, VII), sed vocentur tres presbyteri ad officium ministrorum exsequendum, videlicet, duo diaconi et unus subdiaconus ad sacras ampullas transportandas.

In casu absolutae necessitatis diaconus et subdiaconus missae ampullas oleorum e sacrario ad presbyterium et vice versa portabunt. D 3013.

CAPUT II

3 DE OLEIS BENEDICENDIS ET DE EORUM USIBUS

1 — OLEUM BENEDICENDUM vegetale naturale esto, et ex olivis expressum. Nulla ratione licet aliud quodcumque oleum vegetale, ut v.g. ricini sucus seu ex nucibus adhibere. Id ex tota traditione, ex ipsis orationibus liturgicis, et ex praecepto Ecclesiae eruitur. CJC 734 § 2; 945. Cft. Pesch, Praelectiones dogmaticae, tom. VII, nn. 520-1 (10).

Oleum benedicendum purum esto, nec permittitur mixtio cum aliis oleis seu aromatibus; praeterea sit, quantum fieri poterit, recens, sed non requiritur ut sit recentissimum. D 3114, V.

2 — BALSAMUM ADHIBENDUM in sacro chrismate conficiendo cujuscumque qualitatis esse potest, dummodo sit vegetale naturale, non artefactum seu syntheticum ut aiunt; inservit proinde tum balsamum quod judaicum vocant, tum indicum seu peruanum. Leo XIII, litteris *Trans oceanum* ad episcopos Americae Latinae, 18-IV-1897 § 3; Benedictus XIV, *Ex quo primum*, 1-III-1756, § 52, tom. 17, II, pg. 320.

Parva quantitas balsami, ut ex ritu PR eruitur, sufficit. Vult tantum Ecclesia ut e sacro chrismate suavis odor gratiae Christi quodammodo defluat, nam *Christi bonus odor sumus Deo.* II Cor. II, 15.

3 — TRIA OLEA, ex eodem olivarum oleo facta, diversa tamen unum ab alio, adhibet Ecclesia, videlicet sanctum chrisma, oleum catechumenorum et oleum infirmorum (11).

I — SANCTUM CHRISMA sacrorum oleorum princeps, propterea balsamo permiscetur, eucharistica praefatione solemniter benedicitur et *Chrisma Domini nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti Paracliti* ab Ecclesia nuncupatur (Benedictio fontis). Pars essentialis benedictionis habetur in ultimo paragrapho praefationis a verbis *Te igitur* ad finem; commixtio balsami fit ad ritum complendum. Benedictio chrismatis in universali Ecclesia episcopis reservatur tamquam maximis administratoribus gratiae Christi, quae per illud fidelibus et sacris rebus distribuitur.

II — SANCTUM OLEUM, quod puerorum, catechumenorum, exorcismi vel unctionis nuncupatur, oleum est sacramentale, eoque frequentissime utitur Ecclesia, non solum pro catechumenis ungendis, sed etiam ad res et personas exorcizandas et sanctificandas. Pars essentialis benedictionis est oratio *Deus incrementorum omnium.*

III — OLEUM INFIRMORUM quod antiquitus adhibebant fideles tamquam oleum lustrale, et secum habebant in domibus — *ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque aegritudinem mentis et corporis,* essentialiter benedicitur oratione *Emitte, quaesumus, Domine* et materia est extremarum unctionum.

4 — SACRORUM OLEORUM USUS. Olea sacra tribus adhibentur modis: *a*) ungendo, *b*) spargendo, *c*) infundendo. Unctiones fiunt semper in forma crucis cum extremo pollice dexterae manus ministrantis, qui advertere debet, quando plures unctiones sunt faciendae, ne oleum in pollice deficiat, sicut nonnunquam accidit.

I — SANCTO CHRISMATE, quod principaliter pro sacramento confirmationis administrando consecratur, utitur Ecclesia tamquam sacramentali:

1) Ad ungendam summitatem capitis christiani modo baptizati (12).
2) Ad ungendas manus et coronam episcopi noviter consecrati.
3) In consecratione ecclesiarum et altarium:

   a) Ad sex unctiones sepulcri altaris.
   b) Ad postremas unctiones mensae altaris.
   c) Ad quinque unctiones stipitis altaris.
   d) Ad duodecim ecclesiae cruces et ad postes.

4) In consecratione arae portatilis:

   a) Ad ultimas unctiones crucium.
   b) Ad unctionem sepulcri.

5) In consecratione campanae intus.
6) In consecratione calicis et patenae.
7) In confectione Agnus Dei a Summo Pontifice, pro qua miscetur aqua (13).

II — SANCTO OLEO utitur Ecclesia tamquam sacramentali :

1) Ad ungendos pueros et adultos statim ante baptismum in pectore et inter scapulas, pro quo praesertim conficitur.
2) Ad manus neo-sacerdotum ungendas (14).
3) Ad ungendum brachium dexterum, inter juncturam manus et juncturam cubiti, regis et reginae, et ad eos inter scapulas ungendos.
4) Ad 1mas. et 2as. unctiones ad cruces altarium, tum fixorum tum mobilium.

III — OLEUM INFIRMORUM materia est sacramenti extremae unctionis, et ab Ecclesia adhibetur ad octo unctiones campanarum ad extra ante unctiones cum sancto chrismate, nam defunctos plorant (15). Vide notam 160, tomi 2di.

IV — SANCTO OLEO ET SANCTO CHRISMATE INSIMUL utitur Ecclesia :

1) Ad unctionem in totum mensae modo consecratae altaris fixi et portatilis.
2) Pro infusione in aqua baptismali in ritu benedictionis fontis MR et RR, tit. II, cap. VIII. Olea primo singulariter, deinde simul infunduntur.

› Quando sanctum oleum et sanctum chrisma in eadem functione adhibentur, uti in altaris consecratione, unctiones cum oleo sancto primo loco semper fiunt, quasi exorcizantes res, ut ad sanctum chrisma recipiendum aptae et purificatae inveniantur.

CAPUT III

4 ## DE SACRORUM OLEORUM CONSERVATIONE

1 — RENOVATIO ET COMBUSTIO. Olea sacra sunt quotannis benedicenda et debent propterea quotannis renovari, combustis veteribus, sed postquam nova advenerunt (16).

Olea vetera sunt comburenda ad lampades ecclesiarum, praesertim coram Sanctissimo Sacramento; quae vero in gossypio exstant, erunt igne comburenda.

2 — VETERUM OLEORUM USUS. Nisi necessitas urgeat, non licet vetera olea adhibere. CJC 734 § 1. Sancta Sedes in locis missionum non nunquam permissum concedit adhibendi olea vetera quando nova haberi nequeunt, non tamen ultra biennium.

Si olea nova tempestive ad paroecias non advenerunt, benedictio fontis in Sabbato Sancto non erit omittenda, sed facienda usque ad infusionem oleorum exclusive, quae quidem infusio erit privatim quantocius facienda cum olea nova adveniunt. DD 2436, III; 3879.

Si tamen urgeat baptismus et olea nova ad ecclesiam fontis non pervenerunt, infusiones erunt cum veteribus oleis faciendae, neque postea iterandae cum novis oleis nisi cum iterum benedicitur fons in Sabbato Pentecostes. DD 3879; 2773, I, III. Propter novorum oleorum defectum proinde sacramentorum administratio non est procrastinanda.

Olea vetera adhibere sine necessitate non caret culpa, quae gravis esse poterit.

3 — JUS CONSERVANDI sacra olea habent nativo titulo ecclesiae cathedrales; ex officio ecclesiae omnes paroeciales; ex concessione juris ecclesiae abbatiales, praelatitiae, et quae privilegio fontis baptismalis ornantur.

Ecclesiae et oratoria publica et semipublica congregationum et ordinum religiosorum utriusque sexus oleum infirmorum, ad eorum infirmos ad normam juris ungendos, prae manibus habere possunt.

Quoad ceteras ecclesias dioecesis ordinarii erit determinare penes quas olea sacra poterunt conservari, nam saepe deficiunt ubi sunt necessaria, dum abundant ubi non sunt necessaria nec locus decens ad eorum conservationem habetur.

4 — QUIBUS CONCREDITUR CURA. In ecclesiis cathedralibus sacrorum oleorum cura archidiacono, qui eorum benedictioni praefuit, vel sacerdoti seu dignitati ecclesiae, juxta regulam in unaquaque dioecesi a loci ordinario datam, committitur.

In ecclesiis paroecialibus olea sub custodia parochi ponuntur; in aliis ecclesiis rectori vel capellano, nec unquam laicis, tradenda sunt. RR tit. II; cap. I, n. 54.

Officium transportandi, tangendi, comburendi, abstergendi sacra olea, in jure liturgico penes clericos in sacris ordinibus constitutos est, nec potest hujusmodi officium clericis in minoribus, vel a fortiori laicis tradi (17).

"Pontifex... jubet presbyteros attente ut juxta canonum traditionem chrisma et olea fideliter custodiant, et nulli sub praetextu medicinae, vel maleficii tradere praesumant, alioquin honore (officio suo) priventur". PR *in fine benedictionis.* Andrieu PR tome III, pg. 580. Abusus in oleorum conservatione antiquitus non defuerunt, sed nec hodie omnino desunt, et eorum recta cura sacerdotibus nunquam satis commendatur.

PR saepe atque iterum jubet ut, finitis functionibus in quibus sacra olea adhibita fuerunt, res omnes quae cum ipsis contactum habuere, uti gossypium, mica panis etc., comburantur et cineres in sacrario mittantur; item jubet ut aqua lotionis manuum celebrantis vel quae quomodocumque sit oleis uncta, in sacrarium mittatur. *Ritus consecrationis ecclesiarum in fine; instructio synodalis; passim alibi.*

5 — DISTRIBUTIO. Olea modo sacrata erunt quam primum parochis distribuenda ut prae manibus habeantur ante benedictionem fontis in Sabbato Sancto et baptismata in Pascha Domini conferenda, pro qua speciali modo Feria Quinta Maiore benedicuntur. Parochi proinde tenentur, adhibita diligentia, non tamen cum gravi incommodo, olea sacra ante benedictionem fontis sibi procurare.

In ecclesiis cathedralibus distributio fieri potest statim post vesperas Feriae Quintae Maioris, nec licet distributionem procrastinare. D 2650, IV.

Oleorum distributio in ipsa ecclesia cathedrali erit facienda, etiamsi justa de causa alibi facta fuit benedictio. D 2298, III.

Distributio ab archidiacono facienda est (D 3006, II), vel a dignitatibus capituli (D 375, III), quibus deficientibus, episcopi erit presbyterum seligere ad officium istud maximi momenti exsequendum. In Metropolitana Ecclesia Mediolanensi diaconi, superpelliceis et stolis induti, olea modo sacrata parochis vel eorum procuratoribus distribuunt.

6 — TRANSPORTATIO. Sacra olea sunt maxima cum sollicitudine ad paroecias transportanda, vel ab ipsis parochis, vel a sacerdotibus seu ministris in sacris ab ipsis deputatis. D 3879. AEM tom. I, col. 818.

Deficiente clerico in sacris ordinibus constituto, deputari licet, de consensu ordinarii, laicum virum omni exceptione maiorem ad olea sacra ab ecclesia cathedrali ad paroecialem transportanda. SO 1 Maii 1901 ad 2um. Minime tamen licet, cum omnino dedeceat, sacra olea per publica dibitoria transportare, posta, ferri vias, vecturas vel cetera hujusmodi. SO 1 Maii 1901, ad 1um.; 14 Januarii 1903. Eph. lit. 1901, pg. 543; 1903, pg. 588.

7 — TAXA. Sacra olea gratis omnino sunt distribuenda. Clemens VIII, *Exponi nobis*, 25-III-1599; SC Epis. 6-IX-1604; 10-XI-1651. Ubi viget consuetudo, tamen licet aliquid ecclesiae cathedrali offerri occasione receptionis ad normam juris. CJC 730 (18).

8 — OLEA ORIENTALIUM. Graecorum seu orientalium olea a presbyteris ritus latini non sunt adhibenda, id enim *non expedire* declaravit SO die 16 Junii 1831. SCFP. tom. I, pg. 482, n. 822.

CAPUT IV

5 RECEPTACULA ET LOCUS CONSERVATIONIS

1 — AMPULLAE BENEDICTIONIS. Olea in ampullis magnis sacranda sunt juxta necessitatem uniuscujusque dioeceseos, quae esse debent ex argento vel ex metallo seu stanno deargentato et intus inaurato.

Ampullarum forma hodie in usu recepta ea est quam tradit sanctus Carolus Cardinalis Borromeus in sua instructione de sacra supellectili. AEM tom. I, col. 1571 (19).

Juxta PR ampulla sancti chrismatis sit maior quam aliae duae, sed tres solent esse ejusdem dimensionis cum quantitas olei benedicendi soleat esse eadem pro tribus ampullis; decet tamen ut ampulla chrismatis sit pretiosior.

Si magnitudo dioecesis id exigat, duae vel tres ampullae pro unoquoque oleo adhiberi poterunt.

Ampullae sericis cooperiuntur vestibus, albi coloris pro sancto chrismate, viridis pro oleo sancto, violacei pro oleo infirmorum (20).

2 — AMPULLAE CONSERVATIONIS. Apud ecclesias paroeciales sacra olea conservanda sunt in ampullis minoribus, quae esse debent ex argento, ex stanno, aut ex plumbo. Ampullae vitreae non sunt permittendae, praesertim propter fractionis periculum. RR tit. II, cap. I, n. 50.

Ampullarum forma a jure non determinatur, sed solet esse oblonga, cum cavitate maiore in parte inferiore; hasta ad portandum non est apponenda, nec tubus ad oleum vertendum. Operculum, cruce exornatum, erit spira firmandum, ad periculum effundendi olea arcendum. Ampullae solent esse quindecim centimetrorum altitudinis vel circiter.

Vestes sericae in ritu benedictionis adhibendae, pro ampullis conservationis a rubricis non praescribuntur.

3 — VASCULA MINISTRATORIA UNCTIONUM. Olea sacra pro unctionibus adhibenda conservari debent in vasculis minoribus ex argento si fieri possit, vel saltem ex stanno, intus inaurato, et suis operculis bene coopertis.

Praestat ut vascula hujusmodi habeant oram peramplam, quatuor videlicet centimetrorum diametri, ita ut sacerdos possit commode pollicem horizontaliter immittere et non unguem, qui non est sacris oleis imbuendus. Laudabiliter etiam parvo pede firmentur.

"In ea igitur, ex majoribus vasculis, ...quod sufficiat infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis bombacium vel quid simile habere". RR tit. II, cap. I, n. 52.

Vascula sancti chrismatis et olei catechumenorum in collatione baptismatis adhibenda convenienter habeant lancem unam propriam in qua fibula seu spira firmentur.

Vasculum olei infirmorum sit ab aliis sejunctum, nam sanctum chrisma et oleum catechumenorum non sunt ad infirmorum domos portanda (RR tit. V, cap. II, n. 2), et quando ad infirmos defertur in sacculo serico violacei coloris ponatur. RR tit. V, cap. II, n. 2.

Episcopis habere convenit vascula duo unctionum, unumquodque in sua lance separatim firmatum, pro sancto chrismate videlicet et sancto oleo, saepissime ab ipsis adhibenda in sacramento confirmationis ministrando, in ordinationibus et consecrationibus faciendis. Expedit ut sint aliquantulum maiores quam vascula quae in baptismate a presbyteris adhibentur.

4 — AMPULLAE INFUSIONIS adhibenda sunt in benedictione aquae baptismalis et in altarium fixorum et portatilium consecratione. Esse possunt formae rotundae vel ovalis. In parte superiore apponentur opercula spira seu fibula firmata cum parvo tubo, quo oleum possit paulatim effluere; prope tubum aderit parvum aeris orificium, digito claudendum ad olei effusionem determinandam. Esse possunt ex argento vel stanno, sed melius erunt e vitro ut oleum videri possit et aequaliter distribui quando plura altaria sunt consecranda. Deficientibus ampullis infusionis, ad hoc inservire poterunt ampullae conservationis, sed semper adest periculum ne copia nimis oleorum infundatur, praesertim in benedictione fontis. Licet etiam opercula de qua supra ampullis conservationis pro infusionibus aptare.

5 — INSCRIPTIONES. In omnibus ampullis, sive maioribus sive minoribus, et in oleorum vasculis caelandum est litteris majusculis nomen sacri olei in unoquoque positi, nec sufficit nomen in operculis, quae permutari possunt, inscribere.

Loco nominum incidi possunt in ampullis minoribus et in vasculis litterae majusculae, videlicet S-C pro sancto chrismate; O-I pro oleo informorum; O-C pro oleo catechumenorum.

Caveat parochus ne unum oleum pro altero sumat (RR tit. II, cap. I, n. 51), quae rubrica ad omnes, quibus oleorum cura concreditur, extendi debet.

Benedictionem ampullarum seu vasculorum ad sacra olea conservanda tradit RR, non tamen praeceptive adhibendam. *Benedictio ordinario vel ejus delegato reservata,* n. 5, in appendice RR.

6 — LOCUS CONSERVATIONIS. Olea sacra in ecclesiis et publicis oratoriis sunt conservanda, non vero apud oratoria privata vel domos habitationis. Parochus tamen, rationabili de causa, accedente ordinarii loci licentia, ea in domo sua omni cum religione retinere potest, dummodo agatur de vasculis sancti chrismatis post baptismum privatum adhibendum (CJC 759 § 1), vel de infirmorum oleo. RR tit. II, cap. I, n. 53; tit. IV, cap. I, n. 4.

7 — ARMARIUM. In omnibus ecclesiis cathedralibus, paroecialibus, abbatialibus, in quibus de jure olea sacra sunt conservanda, aderit armarium in pariete ecclesiae constructum ad ea reponenda.

A jure non determinatur in qua parte ecclesiae oleorum armarium erit construendum (D 1260); locari proinde poterit ubi convenientius juxta locorum adjuncta; locus tamen receptus, apud perplurimas observantissimas ecclesias, est paries retro post altare majus seu altare ssmi. Sacramenti, quasi intimum nexum Eucharistiam inter et sacra olea referens.

Armarium ecclesiarum cathedralium sufficiens erit ad ampullas maiores conservandas.

Oleorum armarium sit affabre exstructum; ferreum ostiolum habeat sera clavique firmandum, qua violationis periculum arceatur; sit in loco ubi possit commode et sine scala adiri; in ostiolo inscribi poterit *Ave, Sanctum Oleum* per modum unius, vel tantum *Sancta Olea.* Intrinsecus erit serico panno cooperiendum, albi vel viridis coloris (21).

In eo laudabiliter, praesertim in maioribus armariis ecclesiarum cathedralium, aderunt loca distincta tria, in 1mo. loco, albis sericis cooperto, aderit sanctum chrisma; in 2.°, viridibus sericis coopertum, oleum catechumenorum ponitur; in 3.°, violaceis sericis coopertum, oleum aderit infirmorum.

Armarium erit sacris oleis exclusive reservatum, nec erunt aliae res, etiamsi sacrae veluti sanctorum reliquiae, ibi conservandae.

Vascula ministratoria baptismatis, commoditatis gratia, in armario baptisterii asservantur.

CAPUT V

6 SYNOPSIS BENEDICTIONIS SOLEMNIS OLEORUM

❯ Ritus benedictionis oleorum cum functionibus Maioris Hebdomadae, a qua separari nequit, exponitur, hic tamen damus synopsim qua facile possit intelligi et memoriae mandari.

TENOR VOCIS. Episcopus exorcizat et benedicit olea infirmorum et catechumenorum clara voce sine cantu, ut a sacerdotibus cooperatoribus audiri possit.

Eadem voce benedicit balsamum et recitat formulas pro mixtionibus. Sanctum chrisma benedicit in tono simplici praefationis, sed clara voce sine cantu illud prius exorcizat (22).

1 — Oleum infirmorum benedicitur intra canonem missae ante verba *Per quem haec omnia.* Benedictio constat praevio exorcismo *Exorcizo te* et oratione *Emitte, quaesumus,* qua oleum benedicitur, nec aliud adjungitur.

2 — Post communionem cleri et fidelium (23) ordinatur processio ad sacrarium ad olea portanda; quae cum ad ecclesiam redit cantantur quatuor primae strophae hymni *Audi, Judex mortuorum* Venantii Fortunati. MPL tom. 88, col. 97. Vide Catalanus PR tom. III, pg. 104, ed. Parisiensis.

3 — Primo fit praeparatio balsami, quod benedicitur duabus orationibus *Deus, mysteriorum caelestium* et *Creaturarum omnium.* Balsamum benedictum pontifex cum modico oleo miscet dicens invocationem *Oremus Dominum.*

4 — Deinde chrisma sic benedicitur. Primo pontifex, deinde presbyteri, ter super os ampullae halant, est enim 1mus. exorcismus. Pontifex deinde, praemisso exorcismo *Exorcizo te,* chrisma solemniter benedicit cantans praefationem *...qui in principio.*

5 — Benedicto chrismate, pontifex infundit in eo balsamum, jam oleo mixtum, dicens *Haec commixtio.* Demum, primo pontifex, deinde presbyteri, ter sanctum chrisma salutant, cantantes *Ave, sanctum chrisma.*

6 — Benedictio olei incipit a trina inhalatione pontificis et presbyterorum, est enim 1mus. exorcismus. Deinde, praemisso exorcismo *Exorcizo te,* pontifex oleum benedicit cum oratione *Deus, incrementorum omnium.* Postea, tam pontifex quam presbyteri, oleum salutant cantantes *Ave, sanctum oleum.*

7 — Ordinatur processio ad sacrarium, quae dum redit schola cantat quatuor ultimas strophas hymni, cujus prima medietas in functionis initio cantata fuit, et sic tam solemni ritui finis imponitur.

CAPUT VI

7 RITUS BENEDICTIONIS PRIVATAE SACRORUM OLEORUM

❯ Vide cap. I, n. 6, huius tituli et notam 4.

1 — Episcopus missam lectam cum vestibus pontificalibus et sacro pallio, si ejus gaudeat usu, celebrabit, habebitque assistentes duos cum

superpelliceis, quorum 1mus. fungitur etiam officio archidiaconi. Vide n. 22 tomi 1mi.

2 — Presbyteri cooperatores (tres vel quatuor) benedictioni inserviunt, sacris vestibus parati sicut pro functione solemni, et, deficientibus diaconis, etiam olea in processione portabunt.

3 — Antequam dicat *Per quem haec omnia,* pontifex pergit ad mensam prope introitum presbyterii paratam; portatur oleum infirmorum ab uno subdiacono si aderit, vel ab alio ministro, et episcopus oleum benedicit ritu PR.

4 — Benedictione finita, episcopus accipit mitram, et oleum ad sacrarium reportatur; deinde, lotis manibus et accepto baculo, ad altare redit et missam more consueto prosequitur.

5 — Post communionem cleri et fidelium, sumptisque ablutionibus, ac reposito Sacramento in calice pro die crastino, quae omnia fiunt more consueto, episcopus, facta in plano genuflexione duplici Sacramento cum suis assistentibus, et accepta mitra et baculo, pergit cum eis ad mensam pro oleorum consecratione paratam, ubi benedicit incensum pro processione.

6 — Ordinabitur processio ad olea ad presbyterium portanda, quae cum redit duo clerici quatuor strophas hymni *Audi, judex mortuorum* recitabunt, vel etiam cantu modulabuntur.

7 — Benedictio fit eodem ordine ac si functio esset solemnis, sed praefatio sancti chrismatis recitatur clara voce sine cantu sicut ceterae benedictionis partes.

8 — Finita benedictione, ordinabitur processio ad olea sacra ad sacrarium reportanda ordine quo venit, et clerici duo recitabunt quatuor ultimas strophas hymni ut in PR habetur, vel eas cantu modulabuntur.

9 — Cum processio ad sacrarium redit, episcopus, imposita mitra, lavat manus; deinde, accepto baculo, ad altare redit et missam prosequitur ut in MR habetur.

❯ Regulas ab episcopo et a capellanis assistentibus seu a ministris inferioribus et a choro in missa lecta pontificali servandas habes in expositione ordinationis lectae, n. *160,* ss. tomi 1mi.

CAPUT VII

8 DE DEFECTIBUS IN USU SS. OLEORUM OCCURRENTIBUS

1 — SI OLEA SACRA DEFICIANT. Si per anni cursum sacra olea nimis diminuantur, licet semel et iterum oleo benedicto oleum non benedictum de olivis adjungere, sed minore quantitate. CJC 734 §2.

SRC declaravit non licere mixtionem olei benedicti cum oleo simplici facere in ipsa ecclesia cathedrali antequam olea sacra per paroecias distribuatur. D 2883, III.

Nec licet sine necessitate mixtionem facere olei benedicti cum non benedicto, neque cum hac intentione parvam copiam oleorum a cathedrali recipere; unde, si fieri possit, copia maior erit ab ecclesia cathedrali expetenda cum in paroeciis deficiant.

Si deficiat unum oleum benedictum et abundat alterum, non licet de illis mixtionem facere, nec in minore copia.

2 — OLEORUM SUBSTITUTIO si oleum praescriptum non habeatur.

I — IN SACRAMENTO CONFIRMATIONIS administrando, si sanctum chrisma haberi nequit, *nunquam licet* adhibere oleum infirmorum vel catechumenorum (24), nec in casu extremae necessitatis ut imminens mors christiani sine confirmatione (25).

II — IN SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS administrando, quando oleum infirmorum non habetur, licet, urgente mortis periculo, unctiones facere cum sancto chrismate, quod est majus, et quidem absolute, saltem probabilius. Usus olei puerorum liceret tantum si moriens, sensibus destitutus, indigeret hoc sacramento ad salutem, et tunc administratio sub conditione esset facienda, nam oleum sanctum est materia dubia extremae unctionis; postea, adhibito oleo infirmorum, sacramentum esset sub conditione repetendum (26).

III — IN SACRAMENTALIBUS ADMINISTRANDIS, intra vel extra sacramenta, nunquam licet, deficiente oleo a rubricis praescripto, aliud adhibere, proinde :

1) Deficiente oleo catechumenorum pro baptismate, si baptismus postponi nequit, functio facienda erit sine oleo sancto, et unctiones erunt postea supplendae, non enim licet cum sancto chrismate vel oleo infirmorum ungere catechumenum.

2) Deficiente chrismate post baptismum, unctio erit quam primum supplenda, et nullo modo cum alio oleo facienda.

3) Deficiente, incepta ordinatione, oleo catechumenorum, non licet manus sacerdotis ungere cum sancto chrismate vel cum oleo infirmorum, sed unctio erit quamprimum supplenda.

4) Deficiente, incepta consecratione episcopi, sancto chrismate, non licet ungere manus et caput electi cum alio oleo, sed unctiones erunt quamprimum supplendae.

5) In consecratione ecclesiae, altaris, campanae, calicis vel patenae, vel in benedictione aquae baptismalis, invalida erit consecratio vel benedictio si adhibita non fuit formula ab ecclesia praescripta (CJC 1148, §§ 1, 2); et certe non adhibetur formula praescripta si alterum oleum adhibeatur loco olei praescripti; ritus evenit nullus ex voluntate Ecclesiae. In dubio post factum, vel ritus dubii erunt supplendi ut infra, vel sanatio a Sancta Sede petenda.

3 — ERRORES CORRIGENDI. Si ex errore unum oleum loco olei a rubricis praescripti adhibitum fuit, error erit quamprimum corrigendus et defectus supplendi per iterationem sacramenti vel unctionis sacramentalis uti sequitur:

1) Si confirmatio conlata fuit cum oleo catechumenorum vel infirmorum erit *absolute* iteranda.

2) Si extremae unctiones factae fuerunt cum oleo catechumenorum, erunt *sub conditione* iterandae, non autem si factae fuerunt cum sancto chrismate, prout supra dictum est.

3) Si unctio summitatis capitis neo-baptizati facta fuit cum oleo catechumenorum vel infirmorum, erit repetenda cum sancto chrismate, quod est maius. Unctiones praebaptismales tamen cum alio oleo factae non erunt repetendae.

4) Si, in ordinatione presbyteri vel altarium consecratione, unctiones cum oleo catechumenorum faciendae, factae fuerunt cum sancto chrismate, nihil erit repetendum, est enim maius; repetentur tamen si factae fuerunt cum oleo infirmorum.

5) Si unctiones manuum et capitis episcopi factae fuerunt cum oleo sancto vel infirmorum, repetendae erunt cum sancto chrismate.

6) Si, in consecratione ecclesiae, altaris, campanae, calicis seu patenae, unctiones facta fuerunt cum oleo infirmorum vel catechumenorum, erunt repetendae cum sancto chrismate.

NOTAE AD SECTIONEM I

(1) Jus liturgicum de sacris oleis sparsum invenitur in libris liturgicis (PR h.l. et passim; RR tit. II, cap. I, nn. 47-54; tit. V, cap. I, nn. 3-5; CE I, 6, 2), et in responsionibus SRC; concilia et synodi de ipsis agunt ubi de sacramentis pro quibus sunt adhibenda, nec unam sequuntur regulam; CJC data opera de sacris oleis non agit. Maxima pars juris tamen tradit PR; propterea conati sumus totam legislationem de sacris oleis, ab Ecclesia tot curis circumpositis et ritibus exornatis, in unum colligere, quousque tandem aliquando codex juris liturgici, a cl. Menghini exoptatus, edatur. Eph. lit. 1921, pg. 217.

(2) Benedictio olei infirmorum a simplici sacerdote, cui necessaria potestas ordinis pontificalis a Sancta Sede concessa fuerit, fieri potest (CJC 945), quae quidem in Ecclesia Orientali habitualiter conceditur; idem dicendum est de oleo puerorum quod apud orientales a sacerdotibus cum tacita saltem adprobatione Papae benedicitur. Alia tamen quaestio movetur cum de confectione sancti chrismatis agitur, quod, tum in Ecclesia Latina tum in Orientali, ita fuit episcopis reservata, ut nunnulli theologi dubitent utrum talis potestas a Summo Pontifice simplici presbytero delegari possit. Sacra Congregatio pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, indulto diei 21 Martii 1916, concessit ut administratores apostolici et vicarii capitulares provinciae Varsaviensis tria olea sacra benedicerent, si episcopi deficerent. Indultum, quid mirum in tota historia Ecclesiae, non fuit in AAS editum. Optime hac de re scripsit Philippus Hofmeister apud *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, Mainz, 1933, pg. 49; consule etiam Benedictum XIV, De Synodo, lib. VII, cap. 8, nn. 1-3.

Quoad olea infirmorum et catechumenorum etiam recentissime, seu tempore sancti Caroli Cardinalis Borromei in Rituali Mediolanensi, anno 1560 edito, exstabant formulae a sacerdotibus adhibendae in casu necessitatis pro benedictione olei tum *ad catechumenum faciendum* tum *ad ungendum infirmum*. Cft. etiam Pontificale saeculi IX in usum Eccl. Med. a Magistretti editum. Mediolani 1897, pg. 93.

(3) Confectio chrismatis etiam in Ecclesia Orientali fit tantum Feria quinta Maiore, et evadit quaestio maior jurisdictionis, nam fit a metropolita vel a patriarcha; apud orthodoxos patriarcha Constantinopolitanus consecrationem chrismatis sibi in toto patriarchatu reservavit, tamquam signum amplissimae suae jurisdictionis. Cft. De Puniet, Le pontifical, vol. 2, pg. 325.

(4) In locis missionum, ubi, inspectis rerum adjunctis, impossibilis evadit solemnis oleorum consecratio, indultum apostolicum erit necne petendum ut functio haec solemnis intra missam lectam pontificalem sine cantu perficiatur?

Hujusmodi indultum non solet a Romanis Congregationibus concedi; sed non desunt dioeceses ubi solemnis oleorum consecratio impossibilis evadit propter ministrorum, cantorum, et sacrorum vestium defectum; in iisdem rerum adjunctis multi sunt vicariatus apostolici et praelaturae nullius dioeceseos. Cum certum sit consecrationem oleorum apud illas urgere, concludendum est liceri eam exsequi modo possibili, id est, intra missam lectam pontificalem, sicut fit pro ritibus solemnissimis 1ae. partis PR. Difficultas tamen alia exstat, nam Feria Quinta Maiore missae privatae prohibentur, et privilegium celebrandi missam lectam hac die (CJC 349 § 1, 1.°; 239 § 1, 4.°) missam in cathedrali, quae a jure supponitur esse solemnis, excludit; casus non est proinde a jure praevisus. Sed si parochus ecclesiae minoris, propter defectum ministrorum et cantorum, celebrare potest missam lectam Feria Quinta Maiore juxta Memoriale Rituum, id a fortiore fieri posse videtur, si aliter sacra olea nequirent convenienter confici.

(5) Presbyteri duodecim, qui benedictioni intersunt tamquam cooperatores et testes, antiquitus Romae cum Domino Apostolico concelebrabant et olea consecrabant. Ad rem PR saeculi XII *Mos est Romanae Ecclesiae ut in consecratione corporis et sanguinis Domini adsint presbyteri et simul cum pontifice (papa) verbis et manibus conficiant. Oportet ut simili modo simul cum episcopo oleum presbyteri conficiant.* Andrieu tome I, pg. 221. In PR Durandi legis *qui* (sacerdotes) *similiter tacite eadem dicere et exorcizare debent.* Andrieu tome III, pg. 572. Post Durandum oleorum consecratio a presbyteris ad minimum redacta fuit. Teste Duchesne, antiqua presbyteria, in memoriam collegii apostolici, duodenos presbyteros complectebantur. Liber Pontificalis, tom. 1, pg. 120. Vide notam 141 tomi 1mi.

(6) Quinam sacerdotes invitandi sint ad oleorum consecrationem prudentia episcopi erit determinandum, nam in ecclesiis paroecialibus et collegiatis sacerdotes fere omnes operam dant officio diei. Quoad canonicos collegiatarum responsiones contrarias habes in collectione authentica decretorum SRC DD 2334 et 2398. Rubrica PR supponit usum CE de interventu totius cleri civitatis episcopalis missae solemni episcopi, qui hac die unice celebrat et sacram communionem suo clero distribuit; talis laudabilis maiorum usus hodie vix servari poterit. Diximus *ad tam nobile officium explendum,* nam in antiquis capellis papalibus in oleorum consecratione cooperabantur episcopi praesentes et presbyteri cardinales. Andrieu PR, tome II, pg. 461 et 549. Annis 1725, 1726, 1728 Benedictus XIII in capella Sixtina solemniter Feria Quinta Maiore missam celebravit et sacra olea confecit. Munus presbyterorum cooperatorum exercuerunt canonici Basilicarum Vaticanae, Lateranensis et Liberianae, quatuor uniuscujusque pluvialibus induti, et functio solemnis revera initium habuit post nonam, seu hora semis post meridiem. Moroni, vol. VIII, pg. 287.

(7) Lex PR de viginti sex presbyteris et ministris paratis, in oleorum consecratione, praeter ministros missae, ut diximus, in praxi abrogata censenda est, tum quia huiusmodi numerus sacerdotum et ministrorum in perpaucis ecclesiis cathedralibus haberi potest, tum quia nec omnes ecclesiae cathedrales sacras vestes pro tot ministris habent. Indultum de consecratione exsequenda cum presbyteris et ministris qui *adstare poterunt,* nulla facta mentione de numero, conceditur etiam habitualiter pro magnis regionibus. Indultum generale pro tota America Latina jam concesserat Leo XIII, nulla facta mentione de ministris. *Trans Oceanum,* 18-IV-1897 § 3. Hujusmodi facultas solet in facultatibus quinquennalibus ordinariorum includi. Fatendum magnam adesse distantiam inter legem PR de viginti sex presbyteris et ministris ad verba indultis apposita de numero quocumque. Si oleorum consecratio fieri debet solemniter cum sacerdotibus cooperatoribus, exoptari licet ut tandem aliquando eorum numerus aliquae regulae fixae et practicae subjiciatur. Regula de dimidio presbyterio, sex videlicet presbyteri, tres hinc tres illinc, a lateribus pontificis, et de sacris ministris ad processionem necessariis, duo videlicet ex utroque ordine, quorum unus erit crucifer, praeter ministros missae, fere ubique servari potest et maxime commendatur.

(8) Septem ministri utriusque ordinis missae papali interveniebant et per ordinem ministrabant; aderant etiam acolythi septem, sicut etiam hodie fit, est enim numerus biblicus et symbolicus.

(9) Antiquitus Romae sanctum chrisma a diacono cardinali portabatur, olea infirmorum et catechumenorum a subdiaconis apostolicis, quibus oleorum cura tribuebatur. Durandus tamen, forsan ad symmetriam servandam, jussit ut etiam oleum catechumenorum a diacono portaretur; usus antiquus rationabilior erat, eminebat enim superioritas sancti chrismatis; optandum proinde ut in editione definitiva PR ad usum antiquum iterum deveniamus. Andrieu tome II, pg. 545; tome III, pg. 573.

(10) Mirum est res ita magni momenti ut materia sacrorum oleorum nullo textu juris praecipi. PR de qualitate oleorum tacet, dicit tantum ...*tres ampullas oleo mundissimo plenas;* CJC loquitur solum de materia sacramenti extremae unctionis, oleum olivarum etenim praecipit adhibendum. CJC 937, 945. Tamen auctores omnes una voce docent nulla ratione licere aliud oleum, praeter olivarum, adhibere, et quidem sub peccato gravi, nam constans traditio de oleo olivarum ex institutione apostolica certe originem ducit. Vide collectaneam SCFP tome II, pg. 155, n. 1556.

(11) *Sicut tribus oleis utitur Ecclesia* in sacris obeundis ritibus, *ita etiam tribus utitur aquis,* baptismali, nimirum, lustrali et paenitentiali. Primum locum tenet aqua baptismalis, per quam homines renascuntur, in cujus confectione sacra adhibentur olea, est enim aqua in qua virtus Spiritus Sancti descendit. Secundo loco nominatur aqua lustralis, cui sal admiscetur. Vix adest in Ecclesia sacramentale cum quo fidem suam conjunxit sicut aqua lustralis; nam ea ubique utitur pro personis et rebus purificandis et sanctificandis, sicut in toto PR videri est. Tertia aqua seu paenitentialis, quae etiam gregoriana vocatur, et quae specialissimis orationibus conficitur, fit cum admixtione salis, cineris et vini. Sal est elementum seu symbolum conservationis, et cum aqua lustrali communi; cineres et vinum tamen sunt elementa propria paenitentiae, nam cineres adhibentur ab Ecclesia ad fideles in capite jejunii conspergendos; vinum, teste Angelico, est etiam elementum paenitentiale, nam *sanat*

mordendo et ideo curatio per vinum magis pertinet ad paenitentiam. Suppl. Q. 29, art. 4, ad 1 et 2. Aqua paenitentiali utitur Ecclesia cum agitur de altaribus et ecclesiis consecrandis vel noviter purificandis. Vide notam 58 tomi II.

(12) Unctio chrismalis modo baptizati fieri debet *in summitate capitis* ut ait rubrica RR, et non in fronte, quae sacramento confirmationis reservatur. Distinctio maximi est momenti. Ait enim innocentius Papa I *Presbyteris ...chrismate baptizatos ungere licet... non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum Paracletum.* Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, cap. III, n. 6, apud Benedictum XIV, De Synodo, lib. VII, cap. VII, n. 2. Corrigendum proinde DACL (vol. 6, 2.ª, col. 2783) ubi legitur unctionem baptizati fieri in fronte.

(13) Nec semper easdem regulas secuta est Ecclesia quoad usum sacrorum oleorum in sacramentalibus conficiendis seu personis et rebus ungendis, et antiqui codices diversos tradunt usus. Sancto chrismate olim utebatur ad brachium romani imperatoris ungendum, ut emineret dignitas ejus super ceteros reges, serius vero, oleo puerorum, CR I, 195. Paris de Crassis unctionem rosae aureae cum sancto chrismate introduxit, sed usus non praevaluit, et hodie balsamum tantum in ejus benedictione adhibetur. Moroni, vol. 59, pg. 117.

(14) De unctione manuum sacerdotis cum oleo sancto scribit Cardinalis Schuster *onde apparisce semplicemente un contrasenso... il rito d'ungere le mani dei nuovi sacerdoti coll'olio destinato alle unzioni prebattesimali dei catecumeni.* Liber Sacramentorum, vol. III, pg. 14. Solutio esset simpliciter omittere unctionem manuum episcopi, et manus sacerdotis cum sancto chrismate ungere, ne fiat bis de eodem. Sed, teste traditione, oleum sanctum, licet primario ad usum baptizandorum benedicatur, ad alios plurimos semper fuit ab Ecclesia adhibitum; nam si potest homines ad regenerationem praeparare et purificare, potest res sacrandas sanctificare et manus sacerdotales ad eucharisticum sacrificium melius celebrandum praeparare. Tamen nec semper fuit sic, nam in quibusdam pontificalibus legitur unctionem fieri cum sancto chrismate, v.g. Pontificale de Saint-Amand, Leroquais, tome II, pg. 43; in aliis unctio fiebat cum oleo puerorum *et* sancto chrismate, sicut hodie fit in consecratione altarium, v.g. Pontificale *de Cahors,* ibidem pg. 109; *de Rouen,* ibidem, pg. 226. Usus olei puerorum tamen jam ante Durandum praevaluit, ibidem passim. Vide notam 136 tomi 1mi.

(15) Circa unctionem sacramentalem et privatam cum oleo infirmorum apud antiquos consule Lehr, *Die sakramentale Krankenölung im Altertum,* Freiburg in Br. 1924, ubi amplissimam invenies bibliographiam, sicut mos est doctorandorum.

(16) Consuetudo erat antiqua in quibudam dioecesibus ut sanctum chrisma eodem die in omnibus ecclesiis combureretur, etiamsi novum non adhuc ad quasdam pervenisset. Proposito dubio SRC, votum suum emisit Sanctus Robertus Cardinalis Bellarminus, quod tradit Menghini in Ephemeridibus Liturgicis (1923, pg. 272) et in jure Ecclesiae transivit (CJC 734, § 1); erat enim Robertus sacrae liturgiae cultor amantissimus. Hac de re lege Bernier, *Saint-Robert Bellarmin et la musique liturgique,* Montreal 1939.

(17) Rubricae sacris ministris oleorum curam semper tribuunt, sic RR *Minister, si est in sacris, ...tergat loca inuncta.* tit. V, cap. 2, n. 9. PR *Post haec subdiaconi abstergunt mensam altaris.* Consecratio altaris in fine. In ritu benedictionis PR, olea a sacris ministris portantur. Sanctus Carolus prohibuit ne olea sacra a clericis in minoribus tantum transportarentur. AEM tom. I, col. 818.

(18) Non videtur cur, praesertim in dioecesibus pauperioribus, expensae omnes consecrationi et distributioni oleorum annexae ab ecclesia cathedrali solvi debeant. Usus erat antiquus ut balsamum daretur ab episcopo, oleum a parochis. Pont. Mediol. saeculi IX. Ed. Magistretti, pg. 104. In Urbe Apostolicus dabat balsamum. Andrieu, tome I, pg. 215. In Brasilia solet aliquid offerri cathedrali ecclesiae cum olea recipiuntur. Benedictus XIV tamen pro Maronitarum patriarchatu declaravit *...sacra olea gratis omnino transmittat sive distribuet, et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cujuscumque rei, etiam a sponte dantibus recipiat aut exigat. Apostolica,* die 14 Feb. 1742, quam doctrinam etiam nunc sequitur SCFP. Collectanea, tom. I, pg. 117, n. 335; pg. 312, n. 505.

(19) "Vasa ampullari forma sint, ex argento, aut saltem e stanno britannico, a ventre amplo (collum late pateat ut facile fieri possint ritus insufflationis et mixtionis balsami); geminis ansis constent; aderit tubus unde oleum defluat; operculum, fibula firmandum, totum a tergo pendeat, ne manus episcopi in crucibus super oleis conficiendis impediatur (vel sit amovibile et spiro firmandum); in fastigio parvulam crucem affixam habeat; quae (omnia ita fiant ut) in consecrationis ministerio commode et gestari et tractari possint". Descriptionem sancti Caroli abreviavimus, adjectis quae inter parentheses leguntur. AEM tomus I, col. 1571. Benedictus XIII Ecclesiae Cathedrali Beneventanae ampullas oleorum donavit, quas sic describit Barbier de Montault *Ce sont des pots, à pied rond et à pense développée, avec une anse pour les prendre facilement, un couvercle vissé et un conduit également vissé, pour verser plus aisément.* Traité pratique de la construction... des églises, tom. 1er. pg. 333, Paris 1899.

Unde, juxta sanctum Carolum, ampullae constent geminis ansis; juxta Benedictum XIII, unica ansa, forte quia PR praecipit ut ampullae brachio sinistro portentur; si tamen ampullae sint peramplae, sicut hodierna necessitas postulat, geminae ansae erunt necessariae.

(20) PR tradit colorem album pro ampulla sancti chrismatis, sed ad libitum ponit colores vestium duorum oleorum; RR tradit colorem violaceum pro oleo infirmorum (tit. V, cap. II, n. 2), quod usu generali confirmatur; pro oleo catechumenorum, qui in spem ecclesiae baptizantur, color viridis adhibetur Romae et fere ubique; sanctus Carolus tamen praecepit rubrum pro utroque oleo, sancto chrismate videlicet et catechumenorum. AEM tomus I, col. 1572.

(21) Juxta Van der Stappen (Sacra Liturgia, ed. 2, tom. 4, pg. 46) armarium oleorum, etiam baptisterii, debet panno violaceo vestiri; id intelligitur pro armario forsan oleo infirmorum reservato; sed cum sanctum chrisma ibi erit asservandum, melius videtur color albus; vel rubeus cum sit oleum Spiritus Sancti, nam albus facilius maculatur.

(22) Rubricae faciunt episcopum exorcizare et benedicere oleum infirmorum *voce demissa, ita quod a circumstantibus audiri possit,* et oleum catechumenorum *submissa voce legendo,* quod idem valet dicere, seu agitur de voce clara, secus a sacerdotibus audiri nequiret; excluditur tamen cantus sicut etiam in exorcismo chrismatis, ait rubrica *dicit legendo.* Nihil tamen dicit rubrica neve auctores de tono in benedictione et mixtione balsami adhibendo, quia de eo nulla erat dubitatio, seu fit sine cantu; pro oleo vero ratio erat dubitandi, nam cum de benedictione solemni agatur, fieri debere cum cantu nonnulli putabant. Rubricae expositionem, quam per totum PR dedimus, confirmant, nempe benedictiones rerum quae sacris ritibus inserviunt fiant sine cantu; ita diximus benedictionem aquae lustralis vel gregorianae fieri voce plana. Exceptio datur pro praefatione qua chrisma benedicitur et quae solemnis est. Clara voce sine cantu idem significat ac *submissa voce ita ut a circumstantibus sacerdotibus, qui ad loca sua recesserunt,* audiri possit, reliquia antiquae concelebrationis missae et officii oleorum. Andrieu tome II, pg. 461; 2; tome III, pg. 571, 56.

(23) Oleum infirmorum benedicitur intra canonem, sicut antiquitus fiebat pro ceteris frugibus terrae. Andrieu tome I, pg. 22. Non respondetur *Amen* quia benedictio concluditur ipsis verbis canonis *per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, benedicis et praestas nobis.* Oleum catechumenorum et sanctum chrisma post communionem, seu finita missa, conficiuntur, quia nunquam intra canonem missae benedicebantur; praeterea cum benedictio chrismatis sit solemnior et prolixior, non expedit canonem per longum tempus interrumpere; oleum catechumenorum benedicitur statim post chrisma quia ambo sunt necessaria pro baptismate conferendo. Salutatio finalis *Ave, sanctum oleum,* quae proprie ad sanctum chrisma pertinet, ad sanctum oleum extensa fuit jam ante Durandum. Andrieu tome I, pg. 226; tome II, pg. 462 et 550.

(24) Diximus oleum sive catechumenorum sive infirmorum esse materiam *certe invalidam sacramenti* confirmationis. Ad hanc quaestionem solvendam non sufficit, sicut in more est, theologos consulere, videre quinam affirment quive negent, et concludere probabiliter vel probabilius pro vel contra; nec licet per modum unius casum de uno et alio oleo solvere; necesse est benedictionem oleorum analysare, codices perscrutari, et voluntatem Ecclesiae inspicere. Propositio nostra constat:

1.° Voluntate Ecclesiae, quae nunquam permisit fideles confirmare cum oleo catechumenorum aut infirmorum, nec in casu extremae necessitatis, ut mors christiani sine sacramento.

2.° Constante et perpetua traditione de chrismate pro confirmatione adhibendo; et quidem ab episcopo sacrato, etiamsi sacramentum a presbytero administretur.

3.° Ipsa sacrorum oleorum natura, quae, licet sint ex eadem materia, tamen ab Ecclesia cum formulis diversis benedicuntur et cum certa intentione obtinendi effectus diversos. *a*) Oleum catechumenorum primario in usu paganorum benedicitur, qui non sunt capaces recipiendi Spiritum Sanctum, proinde petit Ecclesia ut oleum benedicendum *sit utile venientibus ad fidem et Sancti Spiritus tui operatione* (baptismate) *mundandis;* nulla mentio de Spiritu Sancto dando per unctionem olei, nec ulla petitio de praesentia Spiritus Sancti in oleo, sicut pro benedictione chrismatis. Exorcismus praevius recentior est, oratio essentialis et pervetusta est *Deus, incrementorum omnium.* Quaestio erit alibi fusius tractanda cum codicum citationibus et textibus traditionis, praesertim conciliorum. *b*) Quoad oleum infirmorum verum est Ecclesiam dicere *Emitte... Spiritum Sanctum... in hanc pinguedinem olivae* sed *ad refectionem mentis et corporis* et *ad evacuandas... infirmitates,* non ad Spiritum Sanctum dandum.

4.° Praeterea si tria olea tot distinctionibus ab Ecclesia benedicta inserviunt ad omnia, etiam ad dandum Spiritum Sanctum, prorsus inutilis evadit distinctio ita clara oleorum tota traditione confirmata.

5.° Formula confirmationis *...et confirmo te chrismate salutis* quid sibi vult cum adhibetur oleum paganorum vel infirmorum?

Proinde diximus solum sanctum chrisma esse materiam validam confirmationis, alia olea vero esse materiam *certe* invalidam, nec in extrema necessitate adhibendam.

(25) Juxta Cappello "in articulo mortis, deficiente chrismate, confirmatio potest sub conditione administrari cum materia dubia, scl. cum oleo infirmorum vel catechumenorum". De Sacramentis, vol. I, n. 197, ed. 1ma. Idem legis in auctoribus quam plurimis qui de re morali, canonica vel dogmatica tractant. Argumentum sic statuunt: Juxta probatos auctores benedictio olei confirmationis non necessario fieri debet ad hoc, et balsamum non est de necessitate sacramenti; omissa proinde qualibet alia investigatione, quasi nulla adesset differentia inter oleum catechumenorum et infirmorum, concludunt utrumque esse materiam validam (pro illis auctoribus) quae in praxi evadit materia dubia, in casu necessitatis adhibenda. Argumentum ex auctoritate theologorum rejicitur prout supra exposuimus, nam *auctoritas* in casu nostro aequivalet repetitioni opinionis aliorum auctorum qui idem dicunt, rei scrutatione omissa, sicut quorundam theologorum mos est.

(26) Cl. Cappello postquam bene dixit "multi DD., magnae quidem auctoritatis, dicunt nihil esse repetendum si per errorem sacerdos contulerit hoc sacramentum (extrema unctio) cum sacro chrismate...", concludit "extremam unctionem ministrari posse chrismate *vel* oleo catechumenorum sub conditione". De Extrema Unctione, pg. 42. Oleum ad catechumenos exorcizandos, antiquitus simpliciter oleum exorcismi nuncupatum, nequit per modum unius tractari cum sancto chrismate, oleorum principe, quo Spiritus Sanctus datur, cui denegari nequit potestas spiritualis medicinae, ad quam extrema unctio ordinatur. Oleum catechumenorum forsan esse poterit materia extremae unctionis, sed benedicitur ab Ecclesia tamquam sacramentale, in sacramentalibus dumtaxat adhibendum; in casu extremae necessitatis adhiberi potest sub conditione loco olei infirmorum.

Concludit Cappello "... juxta sententiam omnino tenendam (sic), Ecclesia non potest ritum peculiarem benedictionis (pro extrema unctione) ut essentialem praescribere" (ibidem pg. 43); sed id esset probandum cum constans traditio jubeat oleum *ad hoc* benedici. Quod si nulla formula specialis ad essentiam requiratur, et si, teste traditione, presbyter potest oleum infirmorum benedicere, concludendum esset qualemcumque benedictionem sufficere, etiam per signum sanctae crucis factam et ad alium quemcumque finem. De ista conclusione ad illam de usu olei non benedicti, condemnatam a SO (13-I-1611, ibidem pg. 31), tamquam temerariam et errori proximam, parum distat.

SECTIO II

DE CONCILIIS PLENARIIS VEL PROVINCIALIBUS CELEBRANDIS

SECTIO II

DE CONCILIIS PLENARIIS VEL PROVINCIALIBUS CELEBRANDIS

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

DE CONCILII CONVOCATIONE

9) Quantum, ad fidei incrementum, ad errorum correptionem, ad morum emendationem, ad disciplinam in clero tuendam, et ad pascendum Christi gregem, juvent conciliorum celebrationes, testatur historia Ecclesiae, quae sine illis haud scribi licet. Nam praesertim in synodorum decretis audienda est, coadunata et amplificata, vox eorum quibus divinitus concreditur animarum cura. 1 Petri, V, 8. Propterea maxima sollicitudine frequentissimi episcopi in Concilio Vaticano congregati, postulata dedere ut conciliorum celebratio tum generalium, tum plenariorum seu provincialium, iterum ubique gentium introduceretur, et ut tempus pro eorum celebratione statueretur; insuper postulavere ut methodus in illis servanda constitueretur, nam concilia diversis in locis, diversissimis modis solebant et solent ordinari, non sine temporis dispendio et ordinis detrimento (27).

10 ART. I — CONCILIORUM SPECIES

Concilia, ratione territorii ad quod sese extendunt, vel sunt *oecumenica* seu generalia, id est, totius Ecclesiae Catholicae cujuscumque ritus, vel *particularia* seu quarundam partium Ecclesiae Catholicae, quae esse possunt etiam alicujus ritus, latini videlicet vel orientalium (28). Par-

ticulare quod unicam provinciam ecclesiasticam coadunat, speciali nomine venit *provincialis* concilii (29). Si in una natione, unica est provincia, concilium provinciale nationale evadit (30). Particulare quod duas, pluresve provincias includit, *plenarium* dicitur. Plenarium erit regionale (31), nationale, internationale vel continentale (Americae Latinae, Romae 1899).

Hic nobis agendum est de conciliis particularibus Ecclesiae Latinae, sive plenariis sive provincialibus, rite celebrandis (32).

11 ART. II — CONCILIUM PLENARIUM

1 — QUANDO ET A QUO CONVOCANDUM. Concilium plenarium sive nationale, sive regionale tantum, convocari potest quoties ejus celebratio tamquam utilis et opportuna habeatur. Judices de utilitate et opportunitate synodi sunt praesertim metropolitae provinciarum coadunandarum, qui tamen nihil agere debent inconsulta Sancta Sede, nam "in concilium plenarium convenire non licet nisi de venia Romani Pontificis, qui suum legatum designat ad concilium convocandum, eique praesidendum". CJC 281. Convocatio, ceteraque ad concilium pertinentia, apud Sacram Congregationem Concilii tractantur. CJC 250 § 4.

❯ Ante promulgationem codicis piani Summi Pontifices solebant in praesidem concilii plenarii eligere delegatum apostolicum regionis concilii, vel metropolitam urbis ubi concilium erat celebrandum. Post codicem legatus papalis semper designatur unus e S.R.E. cardinalibus, ut, a latere pontificis exiens, concilio ejus nomine praesit (33).

2 — VICARIUS LEGATI. Cum legatus Summi Pontificis ad civitatem concilii pervenire debeat postquam synodales omnes ad eandem pervenerunt, deputandus erit ab ipso qui ejus vices gerat, et omnia quae ad concilium se referunt bene ordinet. Legati vicarius solet esse metropolita ecclesiae quo concilium erit convocandum, et functiones suas exercet quoadusque legatus adveniat, et post ejus adventum quantum ei a legato demandatum fuerit.

3 — QUO CONVOCANDUM. Locus celebrationis concilii plenarii designatur a cardinali legato in litteris convocationis, auditis metropolitis qui erunt ad concilium convocandi; semper tamen seligenda erit ecclesia metropolitana e principalioribus regionis concilii. Laudabiliter, si rerum circumstantiae id permittant, concilium regionale vel internationale Romae ad pedes Summi Pontificis convocetur, quo in casu ab ipsomet fit convocatio.

12 ART. III — CONCILIUM PROVINCIALE

1 — QUANDO CONVOCANDUM. Concilium provinciale, quod juxta Tridentinum Concilium quolibet saltem triennio erat celebrandum (sess. 24, cap. II), saltem quolibet quinquennio juxta plurima postulata patrum Concilii Vaticani, nunc habendum est ex praecepto juris *vicesimo saltem* quoque anno (CJC 283); frequentius proinde si necessitas vel utilitas provinciae synodi celebrationem postulet.

2 — A QUO CONVOCANDUM. Provinciale concilium a metropolita, auditis suffraganeis, indicitur. Eo legitime impedito, vel sede archiepiscopali vacante, suffraganeus antiquior promotione ad ecclesiam suffraganeam concilium convocat (CJC 284), sed in casu quo celebratio concilii urgeat, secus enim adventus novi metropolitae erit exspectandus.

3 — QUO CONVOCANDUM. Concilium provinciale in ecclesia metropolitana celebrandum est. PR CE.

13 ART. IV — CONCILIUM PLENARIUM VEL PROVINCIALE

1 — QUOMODO CONVOCANDUM. Concilium convocatur publico instrumento legati vel metropolitae in forma litterarum indictionis, ad omnes qui concilio interesse debent, mittendo.

Praeterea decet ut celebratio concilii publice et solemniter indicetur in ecclesia metropolitana et in ecclesiis suffraganeis (in provinciali), in omnibus ecclesiis metropolitanis et cathedralibus (in plenario) in festo Epiphaniae Domini intra missarum solemnia. CE I, 31, 3.

Insuper edictum convocationis concilii ad januas omnium ecclesiarum apponatur; unicuique episcopo erit nuntium hujusmodi clerum, populumque de proximo concilio certiorem reddentem, conscribere, quo placuerit modo.

Aperitio, translatio, prorogatio vel absolutio concilii a praeside determinatur, de consensu patrum si de provinciali agatur; auctoritate sua si praeses sit legatus papalis (CJC 288), sed expedit semper voluntatem concilii audire.

2 — PRAEPARATIO SPIRITUALIS. Expedit, ut, praeter solemnitates liturgicas quae ad concilium se referunt, ejus celebratio occasio sit specialium divinorum charismatum et animarum ad Deum conversionum, propterea in omnibus ecclesiis et oratoriis orationes et praedicationes speciales fieri decet ante concilii initium per dies novem protrahendae, pro modo a locorum ordinariis determinato.

"Tribus diebus dominicis ante inchoationem concilii... denuntietur, populique fideles ad devotionem, orationes, jejunia, sacramentum paenitentiae, sanctissimae Eucharistiae sumptionem, aliaque pia opera adhortentur; ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque, et fructuosum progressum, et exitum habeat". CE I, 31, 4.

3 — SOLEMNITAS. Concilium sive plenarium sive provinciale solemniter celebrari debet, et nunquam licet illud privatim vel sine solemnitatibus haberi. PR CE h.l. Vide notam 94.

Tempore concilii laudabiliter functiones solemnes pontificales, aliaeque in ecclesiis civitatis coadunationis, prout opportunum videbitur, celebrentur, ut nobilitas concilii omnibus innotescat.

4 — ORATIO IMPERATA. Per dies novem ante initium concilii et dum peragitur, in omnibus ecclesiis et oratoriis, praevio monitu loci ordinarii, addenda erit in omnibus missis oratio *de Spiritu Sancto* pro re gravi. In postremo concilii die vero oratio erit *pro gratiarum actione.*

5 — BENEDICTIO PAPALIS. In initio et in fine concilii plenarii et in fine tantum concilii provincialis, benedictio papalis cum plenaria indulgentia a praeside elargienda erit. Tali facultate instruitur legatus in plenariis, etiamsi de ea nulla fiat expressa in apostolicis litteris mentio. Metropolita jure ordinario seligere potest ultimum diem concilii ad indulgentiam plenariam cum benedictione papali concedendam. CJC 914; sacra Poenitentiaria 20-VII-1942.

6 — CIVILES POTESTATES. Illis in locis ubi fieri poterit, opportunum erit ut civiles potestates de concilii celebratione certiores reddantur, et ut ad sessiones solemnes aperitionis et clausurae invitentur.

7 — IN LOCIS MISSIONUM. "Quae de conciliis plenariis et provincialibus a jure praescribuntur (CJC 281-291), applicari debent, congrua congruis referendo, conciliis plenariis vel regionalibus et provincialibus in regionibus S.C. de Propaganda Fide subjectis... sed nullum est praefinitum tempus". CJC 304 § 2.

❱ In vicariatibus et praefecturis apostolicis, concilia erunt semper plenaria, licet CJC etiam de provincialibus ibidem habendis loquatur.

CAPUT II

DE SYNODALIBUS

14 ❱ Concilium, ratione habita personarum, constat synodalibus et officialibus; de illis hic erit agendum, de istis agetur in capitulo sequenti.

SYNODALES ii dicuntur qui locum sedendi in concilio habent, sive a jure, sive speciali concessione. Ratione vocis synodales in tribus dividuntur ordinibus:

1 — Cum voce deliberativa.
2 — Cum voce consultiva.
3 — Urbanitatis gratia sine voce, sunt enim synodales honorarii.

15 ### ART. I — CUM VOCE DELIBERATIVA

❱ Qui voce gaudent deliberativa proprio sensu synodales vocantur, patresque sunt concilii. In primis nativo titulo adnumerantur episcopi cum sede residentiali, et deinde praelati locorum ordinarii, licet charactere episcopali exornati non sint.

1 — LOCORUM ORDINARII. In concilio particulari vocem habent deliberandi, praeter legatum apostolicum in plenario, sequentes locorum ordinarii intra territorium convocationis concilii:

Metropolitae (metropolita in provinciali).
Episcopi residentiales (suffraganei in provinciali) (34).
Abbates vel praelati nullius.
Apostolici administratores dioecesium, praelaturae vel abbatiae nullius (CJC 215, § 2), seu territorii intra fines concilii.
Vicarii Apostolici.

Praefecti Apostolici.
Vicarii capitulares dioecesium, praelaturae seu abbatiae nullius dioecesis.

Metropolitae (metropolita in provinciali) et episcopi residentiales, *loco suo* mittere possunt cum suffragio deliberativo episcopum coadjutorem vel auxiliarem. CJC 282, § 1.

Episcopi qui voce deliberativa gaudent ea uti possunt et debent, licet non sint consecrati vel captam non habeant possessionem sedis suae; quod valet etiam de ceteris locorum ordinariis. Abbas nullius in concilio sedere potest, etiam antequam benedicatur.

❯ Si intra territorium convocationis concilii adsint praelati rituum orientalium cum jurisdictione in personas eorum rituum, opportunum erit ut et ipsi ad concilium vocentur, sed hac de re consulenda erit Sancta Sedes pro singulis casibus, nisi invitentur tamquam synodales ad honorem.

Episcopi qui nulli metropolitae subjiciuntur, abbates vel praelati nullius, et archiepiscopi suffraganeis carentes, aliquem viciniorem metropolitam (nisi forte jam elegerint), semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae adprobatione, eligant, cujus concilio provinciali cum aliis intersint. CJC 285.

Deficiente vicario aut praefecto apostolico, vel eorum jurisdictione impedita (ad normam can. 429, § 1), pro-vicarius vel pro-praefectus apostolicus erit ad concilium convocandum cum voce deliberativa. CJC 309, § 2.

2 — EPISCOPI TITULARES in territorio degentes, si a legato pontificio, secundum acceptas instructiones, ad concilium plenarium vocentur, adesse debent, habentque suffragium deliberativum, nisi in convocatione aliud expresse caveatur. CJC 282, § 2. Pro concilio provinciali praeses invitare potest episcopos titulares qui in provincia degunt ut cum voto deliberativo concilio intersint, sed de consensu maioris partis illorum qui cum voto deliberativo intersunt, secus habebunt votum tantum consultivum. CJC 286, § (35).

3 — NON SUNT CONVOCANDI qui cum alio synodali unam personam in jure constituunt; sic qui coadjutorem habet, vel ibit personaliter vel loco sui mittet coadjutorem. Vicarii generales laudabiliter procuratores episcoporum legitime impeditorum renunciantur, sed non sunt quatenus vicarii generales convocandi. Episcopi coadjutores vel auxiliares, si vocentur, vocantur quatenus sunt episcopi titulares et non ratione officii, nisi loco sui episcopi prout supra dictum est (36).

16 ART. II — CUM VOCE CONSULTIVA

1 — PROCURATORES SYNODALIUM. Omnes synodales qui, cum suffragio deliberativo ad concilium vocati, adesse justa de causa non possunt, procuratorem certiorem facere tenentur. CJC 287, § 1.

Procuratores omnes suffragio gaudent consultivo tantum. CJC 287, § 2.

Licet in procuratorem eligere synodalem qui alio titulo in concilio jam sedet, qui tamen non poterit duobus gaudere suffragiis. CJC 287, § 2. A jure non prohibetur ut quis sit procurator duarum vel plurimarum personarum, sed extra casum necessitatis id minime convenit.

2 — PROCURATORES CAPITULORUM. Capitula cathedralia (aut consultores dioecesani) cujusvis dioecesis, abbatiae vel praelaturae nullius, cujus ordinarius vocari debet, invitentur ad concilium provinciale, et invitati mittant duos et non plus ex capitularibus (aut consultoribus) collegialiter designatos, qui tamen obtinent votum tantum consultivum. CJC 286 § 4. Eorum convocatio vel non ad concilium plenarium determinanda erit a legato in litteris convocationis.

3 — RELIGIOSI. Ad concilium provinciale vocandi sunt, vocatique adesse tenentur, sed cum suffragio tantum consultivo (CJC 282 § 3), quod de mandato legati apostolici etiam in conciliis plenariis servari expedit:

Abbates superiores congregationum monasticarum.
Abbates de regimine monasteriorum. CJC 286 § 4, IA. 17 Martii 1920 (37).

Superiores maiores religionum clericalium exemptarum, id est, provinciales, eorum vicarii, aliique ad instar provincialium potestatem habentes. CJC 286 § 4; 488 n. 8 (38).

4 — CONSULTORES SEU PERITI. In quocumque concilio periti aderunt in re theologica, juridica, liturgica, et etiam in quaestionibus de actione catholica, de juventutis educatione, et in aliis rebus a concilio definiendis.

Consultores dari possunt vel concilio ipsi, vel synodalibus qui cum voto deliberativo in concilio sedent. Facilius et expeditius pertractantur negotia si consultores deputentur a concilio pro commissionibus ejus; ita enim eorum numerus non erit sine necessitate augendus, et facilius in unaquaque materia invenientur.

Consultorum numerus a jure non determinatur, et patres possunt, juxta receptum usum, secum ferre unum vel duos ad maximum. Unus peritus pluribus patribus operam navare potest.

Periti concilio dati votum habent consultivum; qui vero a patribus seliguntur nullo voto in concilio fruuntur, nisi ipsis a congregatione patrum concedatur.

5 — CONVOCARE EXPEDIT ad concilium plenarium vel provinciale cum voto consultivo rectores universitatum catholicarum et majorum seminariorum. Ad procuratorem mittendum nomine capituli seu collegii invitari poterunt capitula collegialia et collegia ecclesiastica, si quae sint.

17 ART. III — SYNODALES HONORARII

1 — CAPITULUM LOCI. Ad concilium provinciale capitulum ecclesiae metropolitanae invitabitur, et canonici omnes sedebunt cum synodalibus ad honorem, exceptis procuratoribus duobus qui cum aliis procuratoribus locum sumunt. In concilio plenario eodem modo invitabitur capitulum ecclesiae metropolitanae vel cathedralis ubi adunatur synodus.

2 — PRAELATI. Protonotarii apostolici, abbates ad honorem seu titulares, praelati domus pontificiae, aliique forte insignes sacerdotes, ad concilium non sunt vocandi, nisi urbanitatis gratia, tamquam synodales honorarii.

3 — EPISCOPI EXTRANEI, vacationis vel visitationis causa, in civitate concilii degentes, invitari possunt urbanitatis gratia, sine ullo tamen voto.

4 — MAGISTRATUS, nobiles vel insignes viri, ad concilium invitari possunt honoris tantum causa (39).

❯ Synodales honorarii partem habebunt in functionibus liturgicis et in sessionibus solemnibus, congregationibus tamen non interveniunt.

CAPUT III

DE CONCILII OFFICIALIBUS

18 OFFICIALES CONCILII ii sunt omnes qui illud moderantur, dirigunt, eique inserviunt; alii sunt maiores, alii minores.

1 — OFFICIALES MAIORES sunt secretarii, notarii, promotores, magistri caeremoniarium.

2 — OFFICIALES MINORES sunt custodes seu ostiarii, ceterique omnes qui secretario generali, seu curiae concilii, praesidi caeremoniarum, vel tribunali concilii, operam navant. Qui functionibus liturgicis concilii inserviunt, utpote sacri et inferiores ministri, intra officiales concilii non adnumerantur.

3 — QUINAM SINT. In officiales concilii eligendi sunt clerici, nisi agatur de officialibus minoribus, ut cursoribus et auxiliaribus curiae concilii.

Decet ut secretarius generalis, promotores et praeses caeremoniarium in ecclesiastica dignitate sint constituti.

In conciliis plenariis officiales e diversis dioecesibus seligi oportet, nec deerunt aliqui e clero regulari.

Ut negotia concilii cum ordine et expedite tractentur, officiales sint alii a synodalibus; proinde ad munus officialium exercendum non sunt invitandi episcopi, nisi agatur de secretario generali in concilio plenario, sed consultius seligatur praelatus qui non sit synodalis, quique in officio suo peritus habeatur (40).

❯ Si congregationibus synodalibus patrum videatur opportunum seligere unum duosve episcopos ad officium a secretis exercendum tempore congregationum, isti intra officiales non adnumerantur, sicut nec secretarii deputationum schematis concilii.

4 — EORUM NOMINATIO. Praeparatio concilii exigit ut officiales nominentur saltem menses tres ante ejus initium, ut possint omnia tempestive praeparare et unusquisque officio suo studere. Secretarius generalis et praeses caeremoniarum saltem sex menses ante initium concilii erunt nominandi.

In concilio provinciali, metropolita, auditis suffraganeis, officiales nominat; in concilio plenario legatus papalis (41).

Nomina officialium maiorum congregationi generali praesynodali praesentantur a praeside concilii, ut ab ea confirmentur, et in 1.ª sessione publicantur.

Officiales minores seliguntur a secretario generali, qui nomina eorum praesidi concilii praesentat.

5 — JUSJURANDUM. Officiales sacramentum dicere debent de munere suo fideliter exsequendo et de secreto servando, nisi aliter praesidi videatur.

Officiales maiores jusjurandum emittunt in manibus praesidis concilii statim post eorum confirmationem in congregatione generali praesynodali. Officiales minores idem jusjurandum emittunt, sed coram secretario generali concilii, ubi ipsi placuerit.

Officiales concilii charactere episcopali ornati ab hujusmodi sacramento eximuntur; item si qui officiales nobiles eligantur ad officium honorarium exsequendum, uti custodes nobiles concilii. CV col. 16. Secretarii vel officiales personae legati in concilio plenario dati etiam a jurejurando eximuntur, nisi aliter legato videatur.

❯ Officia propria uniuscujusque officialis et regulas ab illis servandas invenies in tit. III, cap. I, n. *41*.

CAPUT IV

DE SYNODALIUM PRAECEDENTIA

19 ART. I — IN CONCILIIS PLENARIIS

1 — Cardinalis Legatus, CJC 239 § 1, n. 21.

2 — Alii Cardinales, si qui aderint, juxta eorum praecedentiam. CJC 239 § 1, n. 21.

3 — Apostolicus in loco nuntius vel delegatus, si aderit. CJC 269 § 2.

4 — Metropolita loci ubi concilium coadunatur. CJC 347.

5 — Episcopus loci ordinarius, si concilium, rationabili de causa, in aliqua ecclesia suffraganea celebretur. CJC 347.

6 — Archiepiscopi, sive residentiales sive titulares, qui nomine proprio intersunt, juxta ordinem promotionis ad sedem archiepiscopalem.

❯ Episcopus coadjutor vel auxiliaris qui praesens in concilio adest *loco sui episcopi*, sumit locum ejus cujus gerit personam.

❯ Si praesens aderit patriarcha, vel primas, sedet post metropolitam vel loci ordinarium, sed ante archiepiscopos. CJC 280.

7 — Episcopi, sive residentiales sive titulares, etiam nondum consecrati, qui nomine proprio intersunt, quorum praecedentia sumenda est a die praeconizationis seu electionis ad episcopatum, et non a die consecrationis vel electionis ad ecclesiam residentialem, si sint episcopi residentiales. CJC 106, n. 3. IA 10 Nov. 1925 (42).

Locorum ordinarii episcopali charactere ornati locum sibi sumunt cum episcopis juxta regulam expositam, videlicet praelati nullius dioecesis, vicarii, praefecti et administratores apostolici, vicarii capitulares.

❯ Archiepiscopi et episcopi seu abbates qui Sanctae Sedi *directe* subjiciuntur, nulla gaudent ratione exemptionis praecedentia (43). Item episcopi, privilegio pallii vel crucis hastatae gaudentes, nulla ex eo praecedentia fruuntur. Vide notam 175 tomi. 1mi.

8 — Procuratores episcopali charactere ornati procedunt post episcopos qui intersunt nomine proprio, licet nondum consecrati. CJC 106, 1.º.

❯ Si quis archiepiscopus vocem deliberativam in concilio non habeat, procedit post omnes archiepiscopos et ante antiquiorem episcopum. Item, episcopi, si qui sint, sine voce deliberativa, procedunt post omnes episcopos qui ea voce gaudent, nam jurisdictio conciliaris auctoritatem supponit, et *cui est auctoritas... eidem jus est praecedentiae*. CJC 106, 2.º.

9 — Abbates et praelati nullius dioeceseos juxta tempus suae electionis seu praeconizationis, nisi sint charactere episcopali praediti.

10 — Locorum ordinarii ex ordine sacerdotali, juxta tempus quo in officio suo versantur, cauto tamen quod ecclesia metropolitana praecedit cathedralem, ista praelaturam, vicariatus praecedit praefecturam. Insuper ordinarius permanenter electus praecedit electum ad nutum (44-45).

11 — Procuratores episcoporum vel aliorum locorum ordinariorum, qui non sint episcopali charactere exornati, secundum praecedentiam suorum ordinariorum (46).

12 — Capitulum ecclesiae metropolitanae, vel cathedralis in cujus territorio concilium convocatur.

13 — Abbates primo maiores, deinde de regimine sive ad honorem tantum, licet nondum benedicti.

❯ Praecedentia inter abbates sumitur a die electionis seu confirmationis a Sancta Sede, nulla habita ratione antiquitatis abbatiae vel praecedentiae suarum religionum. Benedictus XIV, De Synodo, lib. III, cap. X, n. VI, opera vol. II, pg. 79.

14 — Procuratores capitulorum ecclesiarum metropolitanarum, deinde cathedralium, juxta ordinem antiquitatis capituli seu elevationis sedis ad caput provinciae. CE I, 31, 15 (47).

15 — Procuratores seminariorum, universitatum catholicarum, vel sacerdotes qui alio quovis titulo inter synodales adnumerantur, et in superioribus citatis ordinibus non sunt, juxta uniuscujusque praecedentiam.

16 — Officiales concilii, nisi ex alio tituli alibi se sistant.

17 — Consultores utriusque cleri, juxta receptam praecedentiam.

18 — Superiores maiores religionum clericalium, juxta ordinem praecedentiae suae religionis, prout in *Annuario Pontificio* leguntur.

❯ Ordo praecedentiae superius expositus comprehendit synodales et officiales concilii, non tamen alios utriusque cleri et seminariorum, quos invitari oportet ad processionem pro aperiendo concilio, in qua locum sumunt, juxta ordinem communem praecedentiae, post omnes qui de gremio sunt concilii, concilium enim corpus unum constituit.

20 ART. II — IN CONCILIIS PROVINCIALIBUS

1 — Metropolita.

2 — Episcopi suffraganei, etiam nondum consecrati, juxta tempus suae electionis vel praeconizationis ad episcopatum. CJC IA. 10-11-1925.

3 — Episcopi titulares, servato ordine tradito. Quod si quis episcopus voce gaudeat deliberativa, ibit cum episcopis suffraganeis juxta tempus suae electionis vel praeconizationis.

4 — Procuratores episcoporum suffraganeorum episcopali characterece ornati, juxta praecedentiam sui episcopatus.

5 — Praelati vel abbates nullius dioeceseos, nisi sint episcopi titulares, juxta tempus electionis seu praeconizationis.

6 — Locorum ordinarii ex ordine sacerdotali, juxta tempus quo in officio suo versantur, sive saeculares sint, sive regulares.

7 — Procuratores episcoporum vel praelatorum nullius, ex ordine sacerdotali, juxta praecedentiam episcoporum quorum sunt procuratores.

8 — Capitulum ecclesiae metropolitanae.

❯ Ceteri procedunt juxta ordinem pro concilio plenario traditum.

21 PRAECEDENTIA INTER SYNODALES SERVANDA EST :

1 — In ambulando.
2 — In sedendo.
3 — In nominum vocatione.
4 — In loquendo.
5 — In votando.
6 — In decretis subsignandis.

❯ In loquendo juniores loquuntur primi, seniores ultimi, juxta antiquissimam conciliorum disciplinam.

CAPUT V

DE SACRIS FUNCTIONIBUS ET EARUM OFFICIALIBUS

22 ❯ Concilii celebratio, ratione habita formae externae, duabus absolvitur partibus, quarum una *in sacris functionibus peragendis*, altera *in concilii negotiis pertractandis* versatur. CV col. 1069.

23 ART. I — SACRAE CONCILII FUNCTIONES eae sunt quae a praeside concilii convocantur cum synodalium assistentia. Imprimis adnumerantur sessiones solemnes et processiones aperitionis et clausurae, necnon missa solemnis pro defunctis episcopis provinciae vel regionis concilii celebranda.

Congregationes generales vel patrum in quibus synodales cum habitu praelatitio conveniunt, licet non sint functiones liturgicae, sunt tamen partes essentiales concilii et a praeside caeremoniarum diriguntur, iis exceptis quae proprie *negotia concilii* constituunt, quaeque praeses concilii vel secretarius generalis moderatur.

Functiones quae tempore concilii fiunt in civitate de permissu praesidis concilii, non sunt conciliares, licet fiant a synodalibus.

24 ART. II — OFFICIALES FUNCTIONUM SACRARUM ii sunt qui sequuntur:

1 — CAEREMONIARUM PRAESES supremus est moderator omnium functionum quae tempore concilii fiunt, sive ab ipso concilio, sive quomodocumque ipsi annexarum. In instructionibus dandis vel rebus ordinandis, caeremoniarum praeses subest metropolitae in provinciali, legato in plenario.

Caeremoniarum praesidi directe subsunt, et ei in munere suo exsequendo operam navant:

2 — SUBCAEREMONIARIUS, seu 2us. qui, 1.° impedito, vices ejus gerit.

3 — CAEREMONIARII ADJUNCTI, tot quot erunt necessarii, juxta amplitudinem concilii, non tamen sine necessitate multiplicandi.

4 — OSTIARII SEU CUSTODES duo, vel plures si necessarii.

5 — CANTORES numero pari, seu sex vel octo, qui omnes clerici sunto.

6 — LOCORUM ASSIGNATORES erunt etiam caeremoniarii adjuncti, tum in functionibus liturgicis, tum in congregationibus.

CAPUT VI

DE CURIA CONCILIARI

25 ❯ Negotia concilii vel sunt curialia seu administrativa vel synodalia seu legislativa; illa in curia conciliari expediuntur, ista in coetibus synodalibus pertractantur, et in sequentibus capitulis exponuntur.

❯ Curia concilii decenti et nobili loco installari debet tres saltem menses ante ejus initium; aderuntque res omnes quae ad negotia expedite pertractanda requiruntur, uti machinae ad scribendum et mimiographus.

26 ART. I — OFFICIALES CURIAE

1 — SECRETARIUS GENERALIS supremus est concilii officialis, et omnia negotia quae erunt in concilio agenda, vel ad ejus praeparationem necessaria, ordinat et dirigit, demptis quae ad praesidem caeremoniarum spectant.

In officio suo adimplendo, secretarius generalis sequentes habebit auxiliares, qui omnes sunt officiales concilii et curiae conciliaris:

2 — SUBSECRETARIUS qui omnia quae a secretario generali ipsi committuntur facit, et, ipso impedito, vices ejus gerit.

3 — SECRETARII ADJUNCTI DUO, qui etiam *lectores* nuncupantur, propterea quod acta et decreta, ceteraque legenda, legunt.

4 — NOTARII DUO qui acta synodalia conficiunt, decreta subscribunt; unus ex ipsis erit *Revisor Generalis* ut uniformitas styli servetur.

5 — NOTARII ADJUNCTI DUO, vel plures si amplitudo concilii id exigat.

6 — STENOGRAPHI DUO, vel plures, prout necessitas concilii postulabit.

7 — DACTYLOGRAPHI tot quot erunt necessarii.

8 — TYPOGRAPHUS, qui curam habebit de rebus typis excudendis; subsecretarius vel secretarius adjunctus esse poterit.

9 — SECRETARIUS COMMUNICATIONUM, cujus officium erit communicationes concilii facere; esse poterit secretarius adjunctus.

10 — CURSORES DUO, vel plures, qui subsunt secretario communicationum.

11 — OECONOMUS, qui de bonis temporalibus concilii curam habebit; officium ejus erit contributiones patrum et aliorum recipere, expensas solvere; habebit proinde librum *accepti et expensi*, et auxiliares quot necessarios judicaverit.

27 ART. II — DEPUTATIONES CURIAE

› Annexae curiae conciliari, et sub auctoritate secretarii generalis, sequentes aderunt deputationes administrativae pro recta concilii ordinatione.

1 — RECEPTIONIS ET HOSPITII. Ipsius est diversoria in commodum synodalium praeparare juxta eorum gradum et dignitatem; insuper synodales debita cum urbanitate recipere. Vicarius generalis metropolitae praeses erit huius deputationis, et ei adjungentur quotquot ad hunc finem necessarii videantur.

2 — DIFFUSIONIS CONCILII. Ipsius est notificationes et omnia quae in ephemeridibus publici juris fieri debent, facere; insuper determinare quando et quot ephemeridum redactores ad publicas sessiones admitti poterunt; communicationes vel orationes radio diffundendae determinare, et quae ad hoc necessaria sunt facere.

Huius deputationis erit etiam determinare quando et quomodo photographi et cinematographi ad diversas functiones concilii admitti poterint, praesertim ad abusus hac in re frequentissimos arcendos; solent enim ordinem functionum valde perturbare. Praeses huius deputationis erit secretarius generalis vel alius ab eo delegatus. Quoad admissionem redactorum ephemeridum vel operatorum photographiae, cinematographiae vel *radio* diffusionis, in functionibus vel sessionibus concilii, nihil fieri debet inconsulto caeremoniarum praeside.

3 — FUNCTIONUM LITURGICARUM VEL CIVILIUM. Cum durante synodo solent fieri functiones liturgicae vel civiles quae proprie ad concilium non pertinent, aderit delegatio, cui hujusmodi functiones erunt subjiciendae, ne impediant functiones solemnes concilii, et ut secundum ordinem fiant. Praeses huius deputationis erit a secretario generali seligendus et praeses caeremoniarum in ea sedet.

4 — PRAECEDENTIAE. Aderit deputatio specialis, cui praesunt secretarius generalis et praefectus caeremoniarum, ad praecedentiam in concilio servandam pacifice ordinandam. Quodsi casus aliquis pacifice solvi nequeat, coram tribunali concilii erit ponendus. Officium ejus erit elenchum omnium qui ad concilium vocandi sunt conficere, juxta praecedentiam uniuscujusque.

› Aliae deputationes, prout necessitas concilii postulabit, institui possunt, vel eorum numerus restringi.

28 INDEX SYNODALIUM. Pro unoquoque synodali aderit pagella cum nomine ejus et dioecesis vel officii, directione, die electionis in episcopum vel promotionis, propter praecedentiam; ibique adnotentur responsiones receptae litteris concilii, praesentia, et alia opportuna.

CAPUT VII

DE COETIBUS CONCILII

29 › Decreta in coetibus concilii praeparantur, discussionibus explanantur, approbantur. Coetus in tres dividuntur ordines, videlicet commissiones, congregationes, sessiones.

30 I — COMMISSIONUM est schemata decretorum praeparare; tot erunt quot diversitas rerum decernendarum postulabit, non sunt tamen sine necessitate multiplicandae; sequentes generatim adesse debent:

1 — De fide et moribus.
2 — De sacramentis.
3 — De liturgia.
4 — De clericorum institutione et disciplina.
5 — De catholica juventutis institutione.
6 — De actione catholica.

Aliae tamen, loco istarum vel praeter eas, institui possunt, prout opportunum judicabitur; et, si quae materia difficultatibus specialibus laboret, ad eam tractandam specialis commissio poterit institui. Vide tit. IX, de episcoporum conferentiis, n. *78*.

Cum generatim, incepto concilio, materiae novae, seu quae in schematibus non inveniuntur, a patribus coram concilio ponuntur, decet ut specialis commissio *ad novas materias* instituatur. Commissio materias novas vel per se ipsam exponat, vel remittat ad commissiones ordinarias, ad quas propositae quaestiones se referunt.

31 II — CONGREGATIONES. Negotia synodalia seu legislativa in congregationibus explanantur, emandantur, approbantur vel rejiciuntur. Congregationes diversae exstant nimirum:

1 — PRAEPARATORIAE. Vide n. *37*.

2 — PATRUM PRAEPARATORIAE. Vide n. *38*.

3 — PRAESYNODALIS. Vide n. *39*.

4 — GENERALES, quae proprie legislativae dicuntur, conveniunt post sessionem aperitionis et ante sessionem clausurae. In illis schemata et alia negotia synodalia pertractantur, discutiuntur, approbantur vel rejiciuntur. Tot erunt congregationes quot necessitas concilii requirit, et celebrari debent quousque schemata definitive approbentur.

5 — PATRUM, id est synodalium qui suffragio in rebus definiendis gaudent, quique secretae dicuntur. Congregationes istae non necessario sunt habendae, sed solummodo si patribus concilii necessariae judicentur.

32 III — SESSIONES solemnes coetus concilii dicuntur, in quibus synodales publice conveniunt ad res et decreta in congregationibus approbata solemniter promulganda, vel ad concilium aperiendum seu claudendum. Sessiones duabus constant partibus, liturgica videlicet et legislativa. Sessiones omnes sunt solemnes nec dantur privatae, licet clericis non synodalibus et laicis non necessario aperiantur. Sessiones dicuntur ex eo quod synodales sedentes leges ferunt.

CAPUT VIII

DE TRIBUNALI CONCILII

33 ART. I — TRIBUNALIS CONSTITUTIO

Concilium sive provinciale sive plenarium, suos habet judices ad causas concilii cognoscendas, et super eas solutiones *brevi manu* dandas in ordine disciplinari (48).

Judices erunt numero impari et sufficiunt tres. Eligi etiam poterunt duo supranumerarii, vocandi si impediti fuerint judices de numero, vel si contra aliquem judicem exceptio proponatur (49).

Judices sumuntur e synodalibus qui cum voto deliberativo sedent in concilio, licet non sint charactere episcopali ornati; intra officiales concilii non adnumerantur, nam vocem concilii constituunt, in rebus ad ipsum transmissis judicandis (50).

A jure tribunalia duo haberi possunt, excusationum videlicet et litium, sed in praxi unum sufficit, et talis est praxis communior, nam generatim vix aderit lis solvenda.

Tribunal subest congregationi generali in concilio provinciali, legato in plenario, cui resolutiones suas proponit.

Si praesidi concilii ita videatur, liberum ei erit rem a tribunali definitam votis patrum in congregatione generali proponere, licet hujusmodi agendi modus non debeat pro regula haberi.

Licet etiam tribunali in aliqua causa, praesertim maioris momenti, a judicio ferendo abstinere et quaestionem congregationi generali patrum solvendam relinquere.

Denuntiationes contra patres qui sine justa causa concilio non interveniunt, vel alio ex capite faciendae, tribunal legato apostolico, si concilium sit plenarium, vel metropolitae, si provinciale, proponit, ut de ipsis Sancta Sedes certior fiat, nam nequit concilium sententias contra synodales ferre.

34 ART. II — OFFICIA TRIBUNALIS

I — TRIBUNALIS EST:

1 — Excusationes accipere et de ipsis judicare:

1) An excusationum causae a synodalibus allatae, qui convocati ad synodum non venerunt, accipiendae sint necne.
2) An synodales qui congregationibus vel sessionibus non interveniunt, sint vel non legitime excusati.
3) An synodales qui, concilio nondum dimisso, discedere velint, justam discedendi causam habeant.

2 — Litteras procuratorum examinare et eas accipere vel rejicere.

3 — Lites componere. Coram tribunali ponuntur quaestiones quae pacifice a secretario generali vel a praeside caeremoniarum solvi non poterunt, uti de synodalium praecedentia, titulorum, vel aliarum rerum, inter synodales ortae.

II — A QUO PROPONENDA NEGOTIA. Negotia coram tribunali ponuntur ab ipso synodali cujus agitur causa, vel a suo procuratore, ab uno e promotoribus, a secretario generali seu a praeside caeremoniarum. Officium est secretarii generalis negotia omnia ad tribunal transmittere, responsiones ejus accipere, et congregationibus proponere.

35 ART. III — ORDO A TRIBUNALI SERVANDUS

❯ Nihil habet jus canonicum circa modum pertractandi negotia a judicibus concilii. Sequens methodus traditur tamen, tamquam fini tribunalis adaptata.

1 — Senior episcopus electus erit praeses tribunalis.

2 — Negotia distribuentur per turnum uno e judicibus, qui erit ponens seu relator, non excluso praeside.

3 — Tribunal collegialiter semper agat.

4 — Judices votum secrete emittent et postea secretum servabunt de modo quo votum suum emiserunt, nisi aliter praesidi videatur.

5 — Praesidis tribunalis erit notarium seligere, qui esse poterit unus e notariis concilii, quique fungitur etiam officio secretarii tribunalis.

6 — Negotia expedite tractanda sunt, ne concilii celebratio patiatur moram.

TITULUS II

CAPUT UNICUM

DE SERVANDIS ANTE INCHOATIONEM CONCILII

36 ART. I — RECEPTIONES

1 — EPISCOPORUM. Episcopi ad concilium vocati recipiendi sunt ad locum sui adventus (statione) a vicario generali metropolitae vel ab alio sacerdote ab eo delegato, sive concilium sit provinciale, sive plenarium, qui eos ad locum sui domicilii conducit.

Episcopi, postquam ad suum hospitium advenerint, ibunt cum suis familiaribus ad metropolitam seu loci ordinarium, obsequii causa, et deinde invisent ecclesiam metropolitanam vel cathedralem, ubi orabunt ad altare ssmi. Sacramenti et ad altare majus.

Ad ecclesiam metropolitanam (vel cathedralem) episcopi recipientur a duobus canonicis, aderitque sacrista cum aqua lustrali et aspersorio.

Visitationes hujusmodi fient cum habitu vulgo *piano*.

In concilio plenario episcopi ad convocationis urbem accedere tenentur ante adventum legati.

2 — LEGATI APOSTOLICI. Antequam congregatio praesynodalis habeatur, fit receptio legati ad quam conveniunt episcopi omnes cum metropolita (51). Servabitur ordo pro receptione solemni ut in V sectione huius tomi, n. *180* (52).

Episcopi utuntur manteleto tantum super rochetum; metropolita seu loci ordinarius, si aderit, mozetam etiam deponit. CE I, 4, 7. Vide notam 33.

Litterae nominationis legati in hac receptione leguntur. Legatus sermonem ad clerum et populum habebit, cui respondebit senior episcopus praesens.

37 ART. II — CONGREGATIONES

I — CONGREGATIONES PRAEPARATORIAE. Si necessitas vel saltem utilitas id requirat, convocandae erunt, a metropolita pro concilio provinciali, a legati vicario pro plenario, congregationes particulares aliquorum synodorum, prout melius videbitur, ad praeparationem concilii cognoscendam, vel ad alia constituenda. Cum hujusmodi congregationes sint privatae, praelati interveniunt cum habitu quotidiano. Ordo in ipsis servandus determinabitur a vicario legati in plenario vel a metropolita in provinciali.

38 II — CONGREGATIO PATRUM PRAEPARATORIA. Duobus vel tribus diebus ante inchoatum concilium, praesentibus in civitate omnibus synodalibus, habebitur congregatio praeparatoria. Huic congregationi praeest vicarius in plenario, metropolita in provinciali, et interveniunt tantum synodales qui voce gaudent deliberativa, seu patres. In fine vero congregationis, procuratores ad eam a secretario generali invitentur ad litteras suas praesentandas.

1 — LOCUS erit aula nobilis conciliaris.

2 — VESTES. Patres utentur habitu praelatitio unicuique proprio: metropolita habebit mozetam super rochetum; ceteri omnes manteletum supra rochetum.

3 — ORDO SERVANDUS idem erit ac pro congregationibus generalibus.

4 — NEGOTIA TRACTANDA:

1 — Congratulatio praesidis cum synodalibus praesentibus.
2 — Officialium nominatio, in praesynodali confirmanda.
3 — Electio judicum tribunalis, in praesynodali confirmanda.
4 — Lectio a secretario generali litterarum excusationum ab illis qui a concilio absunt, de quibus tribunal certius fieri debet.
5 — Expositio rerum de quibus synodales certiores fieri expedit, praesertim de modo agendi tempore concilii, tum intra tum extra congregationes et sessiones.
6 — Praesentatio per procuratores litterarum quibus eis munus repraesentationis committitur.

39 III — CONGREGATIO GENERALIS PRAESYNODALIS convocanda est pridie sessionem concilii aperiendi, et ad eam synodales omnes, etiam cum voce tantum consultiva, convenire tenentur. Huic congregationi, quae proprie initium concilii constituit, praeest legatus ipse in plenario, metropolita in provinciali. In concilio plenario congregatio praesynodalis fieri potest statim post receptionem legati.

1 — LOCUS erit aula nobilis conciliaris.

2 — VESTES eaedem erunt ac pro congregationibus generalibus. In concilio plenario vero episcopi et abbates nullius solum manteletum habebunt, ante orationem *Adsumus, Domine,* habita venia legati, mutandum pro mozeta.

3 — ORDO SERVANDUS idem erit ac pro congregationibus generalibus.

4 — NEGOTIA TRACTANDA:

1 — Praeses brevi sermone synodales alloquetur, cui respondebit breviter unus ex archiepiscopis in plenario, e suffraganeis in provinciali.
2 — Confirmatio a legato vel a metropolita rerum in congregatione praeparatoria expositarum, caeremonialis, ordinis servandi in congregationibus, officialium et tribunalis elenchi.
3 — Officialium jusjurandum.
4 — Acceptatio (vel non) litterarum procuratorum et excusationum.
5 — A secretario generali legentur decreta de aperiendo concilio, de modo in eo vivendo, de praejudicio non afferendo, de silentio seu secreto servando, et de non discedendo, vel alia, prout erunt in 1ma. sessione promulganda. AEM vol. II, col. 920.
6 — Textus telegrammatis Summo Pontifici, nomine omnium synodalium, a praeside mittendi.

» In hac congregatione discussiones circa schema decretorum, aliarumque rerum locum non habent.

40 ART. III — SUPPLICATIO

SUPPLICATIO SOLEMNIS CORAM SACRAMENTO. Expedit ut pridie aperitionem concilii, seu statim ac terminata fuerit congregatio praesynodalis, celebretur in ecclesia metropolitana solemnis supplicatio coram Sacramento, adstantibus omnibus synodalibus et populo. Cantabitur hymnus *Veni, Creator* et in fine dabitur benedictio cum Venerabili.

1 — VESTES. Legatus, vel metropolita in provinciali, utetur cappa pontificali, episcopi habebunt mozetam supra rochetum, ceteri consuetas vestes chorales.

2 — CELEBRANS in plenario erit senior archiepiscopus praesens, in provinciali senior suffraganeus.

TITULUS III

DE SOLEMNI CONCILII APERITIONE

CAPUT I

PRAENOTANDA ET REGULAE SERVANDAE

41 » Concilium initium sumit cum processione, missa, missa sicca et sessione.

1 — PRIDIE APERITIONEM concilii sacra aera ecclesiae metropolitanae, aliarumque ecclesiarum, post sonitum *Ave Maria* ad meridiem et ad vesperas, festivo more sonentur; jejunium laudabiliter servabitur, si legatus seu metropolita ita fieri jubeat.

2 — PRAESES CONCILII est legatus apostolicus in plenario, metropolita, seu qui ejus vices gerit, in provinciali. Praeses supremus est concilii moderator et alii omnes sub auctoritate ejus agunt.

3 — QUORUM CONCILII. Ut initium detur concilio adesse debent duae ex tribus partibus (2/3) illorum qui ad concilium vocati sunt cum voto deliberativo, praeside incluso, nisi aliter a legato pro concilio plenario statuatur.

4 — SECRETARIUS GENERALIS negotia concilii dirigit, ejusque officium est:

1) Decreta vel litteras praesidis seu concilii in congregationibus et sessionibus legere, quod tamen facere potest personaliter vel per unum e suis adjutoribus.

2) Negotia concilii in curia, congregationibus sive sessionibus, proponere; explanationes, discussiones et votationes dirigere, quod tamen semper facit ad mentem praesidis concilii, juxta ordinem servandum ut inferius habetur.

5 — SUBSECRETARIUS ET SECRETARII ADJUNCTI cum secretario generali operam navant quoties opus erit.

Si decreta vel alia in duobus linguis sint legenda, secretarius generalis latina lingua legit, et subsecretarius in vernacula.

6 — NOTARII. 1) Synodalium nomina, cum in initio congregationum et sessionum fit eorum *vocatio,* legunt, et cum vota sua emittere debent, si votatio sit nominaliter facienda.

Nomina legentes dicunt *Exmi. ac revmi. Domini* et deinde singulorum nomina, absentibus non exclusis, adjecto etiam nomine sedis uniuscujusque.

2) Acta sessionum concilii, in quibus decreta adprobantur et quae fidem facere debent, conficiunt. Etiam acta congregationum generalium ab ipsis sunt conscribenda, nisi secretarius generalis personaliter vel per secretarios adjunctos hoc facere velit.

3) Una cum scrutatoribus synodalium suffragia recipiunt, adnotant, numerant, et secretario transmittunt.

4) Decreta in sessionibus concilii, post synodales, tamquam testes nati, subscribunt.

❯ Pro regula habebitur : notarii scribunt, secretarii legunt.

7 — PROMOTORES cursum concilii promovent et de ordine et justitia in eo servanda quoties opus erit curabunt. Officium eorum est instare pro concilii aperitione, prosecutione et conclusione; instant pro synodalium praesentia et contra absentes; instant pro decretorum votatione et pro actorum sessionum confectione; si dolus vel metus gravis habeatur, instabunt ut fiat justitia. Primus semper loquatur nomine duorum.

Secretarius generalis et promotores usum mitrae habentes sequentes servabunt regulas :

1 — Accedentes ad praesidem prius mitram deponunt, deinde ei reverentiam conficiunt; cum recedunt, mitram induunt post reverentiam.

2 — Secretarius ad suggestum patres interrogans vel decreta legens, erit semper infulatus.

8 — CAEREMONIARII. Tempore sessionis praeses caeremoniarum stabit prope praesidem.

Caeremoniarius 2us. secretario generali praesertim inservit, et quoties ipse ad praesidem vel ad suggestum accedit, ab eo concomitabitur.

Caeremoniarius 3us. inservit praesertim promotoribus, et eos ad praesidem ducit.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

42 COLOR pro altari et clero : missae celebrandae

A — UBI PROCESSIO INITIUM SUMIT

❯ Si fieri potest, processio initium habebit in aliqua ecclesia seu oratorio ab ecclesia metropolitana non multum distante; quod si tale oratorium haberi nequeat, parabitur aula aliqua magna cum altari, ubi commodius juxta locorum adjuncta, pro praesidis vestitione.

Praeterea parentur aulae tres minores pro vestitione praelatorum, capituli, ministrorum et utriusque cleri, ut infra.

I — IN LOCO VESTITIONIS PRAESIDIS :

ALTARE parabitur cum sex candelabris et cruce, tobaleis, antependio, et sternentur tapeta.

SEDES NOBILIS pro praeside a latere evangelii et scabella tria.

FALDISTORIUM in medio altari, sua veste coopertum cum pulvinari.

SUPER ALTARI pro praeside :

Amictus, alba cum cingulo (53), stola et pluviale pretiosum cum formali; mitrae pretiosa et auriphrygiata; baculus pastoralis a latere evangelii. Vestes velo serico concolori cooperientur.

SUPER ABACO a latere evangelii posito :

Canon pontificalis; scotula cum cereo; caligae et sandalia in lance, serico velo cooperta; acolythorum candelabra. Intra canonem aderit folium cum hymno *Ave, maris Stella.*

II — IN LOCO VESTITIONIS PRAELATORUM pro unoquoque :

Amictus, pluviale simplex, mitra : auriphrygiata pro episcopis; simplex alba pro abbatibus et protonotariis sacris parandis vestibus. (CE I, 31, 11) (54).

› In concilio plenario metropolita utetur mitra auriphrygiata tantum (55), quod servabitur a nuntio apostolico seu loci ordinario si aderit (56).

› Mitrae episcoporum sint similes e tela aurea non undulata (CE I, 31, 11) vel albae simplices si praesens aderit cardinalis a latere legatus (57). Vide notam 20, tomi I.

Amictus et pluvialia pro episcoporum procuratoribus, concilii promotoribus et secretario generali, vel etiam mitrae albae si eis uti possint.

III — IN LOCO VESTITIONIS CAPITULI METROPOLITANI :

PRO CANONICIS :

Pluvialia, casulae vel dalmaticae cum amictibus.

PRO SACRIS MINISTRIS :

Amictus duo, albae duae cum cingulis, tunica et dalmatica, stola diaconalis.

PRO SUBDIACONO CRUCIFERO :

Amictus, alba cum cingulo, tunica.
Crux hastata.

PRO MINISTRIS INSIGNIUM :

Pluvialia quatuor aequalia ; vimpae sericae duae.

PRO THURIFERARIO :

Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.
Thuribulum ardens cum navicula thuris.

IV — IN LOCO VESTITIONIS UTRIUSQUE CLERI :

› In hac aula omnes utriusque cleri, qui in processioni locum habebunt, vestes chorales unicuique proprias induent, quas secum afferent.

PRO OMNIBUS :

Libri precum in processione recitandarum.

43 B — IN ECCLESIA METROPOLITANA

"Ecclesia ubi synodus habenda est ornabitur festivo et solemni ritu". CE I, 31, 6.

I — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

› Si, *ante* processionem, ssmum. Sacramentum sit a patribus adorandum, quod commode fieri poterit tantum in concilio provinciali, parabitur genuflexorium cum tapeto et pulvinaribus pro metropolita, genuflexoria cum pulvinaribus, pro episcopis suffraganeis, et accendentur cerei altaris cum episcopi ibi pergent.

› SS. Sacramentum ita locetur ut processio in transitu ad altare majus, vel quando ab eo recedit, Ipsi genuflectere non teneatur.

II — AD ALTARE MAJUS

ALTARE ornabitur festivo more ut pro missa pontificali metropolitae.
Si celebrans sit loci ordinarius, aderit septimum candelabrum, sed pro missa tantum.

SUPER ALTARI PRO CELEBRANTE :

Casula, chirothecae in lance ; dalmatica, tunica, quae gremiali contegentur.

THRONUS ornatus ut in festivitatibus.

SI CELEBRANS SIT METROPOLITA :

Pallium in lance, velo serico coopertum, et spinulae tres in altera lance.

A LATERE EVANGELII :

Basis pro cruce.

CORAM ALTARI :

Faldistorium sua veste copertum cum pulvinari.
Pulvinaria pro episcopis, si ibi sint genuflecturi.

SUPER ABACO :

Omnia quae paranda sunt pro missa pontificali ad thronum; epistolae et evangelia cum manipulo episcopi; manipuli ministrorum; pontificalis pars III; pulvinar nobile pro evangelistario.

INTRA PRESBYTERIUM :

Subsellia vel scamna oblonga pro synodalibus, universoque clero, juxta uniuscujusque dignitatem.

EXTRA PRESBYTERIUM :

Sedilia pro magistratibus vel viris nobilibus forte invitatis.

III — PRO SESSIONE

❯ Res in sessione solemni necessariae extra presbyterium, vel ubi locetur sessio concilii, parandae sunt, prout in diagrammatibus I et II describitur.

PRO LEGATO SEU METROPOLITA :

Mensa oblonga super strato elevata; scabella gradata ad eam ascendendum et retro faldistorium et scabella duo nuda. (Pro II diagrammate tantum).

FALDISTORIUM alterum cum duobus scabellis nudis.

BASIS PRO CRUCE.

SUGGESTUM.

MENSAE OBLONGAE QUATUOR, pro promotoribus, secretariis, notariis et tachygraphis.

SEDILIA pro synodalibus juxta eorum gradum.

CANTORINUS seu locus pro cantoribus.

❯ *In concilio plenario* pro metropolita seu loci ordinario, vel pro apostolico in loco nuntio si intersit, parabitur sedes cameralis cum genuflexorio cooperto panno viridis coloris cum duobus pulvinaribus; quod si duo vel tres ex his praelatis adsint, aderunt duae vel tres sedes camerales, et genuflexorium erit sufficiens pro omnibus, cum duobus pulvinaribus pro unoquoque.

❯ Si praesentes aderint alii cardinales S.R.E. praeter legatum, vide n. 75.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

44 ART. I — PROCESSIO

❯ Missa conventualis legetur extra chorum et processio initium habebit dicta hora nona.

❯ Si in die initii concilii missa votiva de Spiritu Sancto prohibeatur, et infra octavam Pentecostes, missa conciliaris erit conventualis, sed cantabitur post nonam quasi votiva.

1 — QUINAM INTERVENIUNT. Solemnis celebratio concilii incipit cum processione, cui intervenire debent sacerdotes omnes utriusque cleri et laicorum confraternitates, quae de participatione in processione certiores fiant decreto loci ordinarii, etiamsi concilium sit plenarium.

2 — VESTES. Omnes in processione conveniunt iis vestibus induti, quibus induti esse debent in missa solemni quae subsequetur.

3 — ITINERARIUM. Processio initium habebit in aula seu ecclesia ubi synodales vestes sacras induunt, et finietur in ecclesia metropolitana, ubi celebrandum est concilium, ita tamen ut saltem, per aliquas publicas vias iter arripiat, ad maiorem solemnitatem. Expedit vias et domos, per quas processio erit transitura, mundare et ornare.

4 — ADVENTUS PRAESIDIS. Hora praestituta, conveniunt omnes ad locum ubi processio incipienda est, unusquisque in aula ubi chorales vel sacras vestes induere debeat.

Episcopi et abbates secum habebunt *capellanum unum tantum,* sive secretarium, superpelliceo indutum, qui eos in vestitione adjuvat, et in processione comitatur; excluduntur canonici duo in habitu canonicali vel sacerdotes duo tamquam assistentes (58).

Episcopi et abbates ac capitulum metropolitanae, in habitu chorali, exspectabunt legatum vel metropolitam in loco sui adventus, cum clerico aquam lustralem et hyssopum ferente, ac praeside caeremoniarum.

In concilio plenario metropolita aspersorium tradit legato cum solitis osculis (CE I, 15, 4); in provinciali 1.ª dignitas capituli illud metropolitae dat.

Praeses concilii aspersorium dabit episcopis et abbatibus tangendum, et capitulum ac ceteros asperget.

Praeses, facta cruci altaris reverentia, pergit ad sedem sibi paratam, sequentibus episcopis, capitulo et abbatibus, et cum ad eam advenerit, retento in manu bireto, capitis inclinatione (nisi sit legatus a latere) salutat episcopos, qui, facta cruci et legato reverentia, ad aulam suae vestitionis recedunt.

❩ Si ssmum. Sacramentum erit a legato seu metropolita visitandum, hoc fiat priusquam ad sedem suam accedat.

Praeses sedet, caput bireto cooperit, et canonicos benedicit cum et ipsi recedunt, facta ei et cruci reverentia.

5 — PRAEPARATIO ET VESTITIO. Canonici qui diaconorum throni officio functuri sunt, induti habitu chorali, ad praesidem accedunt et sequuntur ministri de libro et scotula.

Pontifex legit praeparationem ad missam, induit caligas et sandalia, quae omnia fiunt ut in missa pontificali quando tertia non cantatur (59).

Interim in locis suis, synodales qui sacras vestes induere debent, secretarius et promotores, canonici metropolitanae, subdiaconus crucifer et sacri ministri, sacras vestes induunt cuique proprias.

Lectis orationibus vestitionis, praeses, dimissa cappa, annulum presbytero assistenti tradit, qui ad thronum accedit, et de more manus lavat, eodem ministro mantile praesentante, qui deinde recedit cum diaconis assistentibus et ministris insignium ad sacras induendas vestes.

Accedunt sacri ministri parati, sed sine manipulis, et induunt pontificem amictu, alba cum cingulo, cruce pectorali, pluviali cum formali, et mitra pretiosa.

Recedunt sacri ministri et ad pontificem accedunt presbyter et diaconi assistentes, et presbyter annulum digito ejus ponit.

Synodales, secretarius et promotores, canonici metropolitanae, subdiaconus crucifer, ministri insignium, sacris induti vestibus, ad ecclesiam seu aulam praesidis accedunt et ad loca sua se sistunt.

Thuriferarius ad thronum se sistit et pontifex, presbytero assistente naviculam ministrante, ponit incensum in thuribulo pro processione. Assistens presbyter officio suo expleto, locum sumit cum dignitatibus capituli.

❩ Cum pontifex incipit vestitionem, vel etiam prius, si necesse sit, caeremoniarii ordinabunt processionem, ne patiatur moram, juxta praecedentiam inferius positam.

6 — PROCESSIO. Cum omnia parata sunt, pontifex, accepto baculo, diaconis assistentibus oras pluvialis ejus sustentantibus, ad altare accedit, et, reddito baculo ac dimissa mitra a 2.° assistente, genua flectit super pulvinar ante faldistorium positum, omnibus pariter genuflectentibus.

Ministri de libro et scotula coram pontifici se sistunt, qui, intonat hymnum *Ave, maris Stella* (60). Finita 1ma. stropha, assurgit praeses, surgentibus omnibus, et a 1.° diacono assistente induitur mitra pretiosa et baculus ei a ministro traditur.

❩ Cum metropolita mitram et pileolum deponit vel accipit, idem faciunt propriis manibus omnes praelati qui mitra utuntur.

Cantores hymnum prosequuntur cum processio iter arripit.

Minister de mitra sumit mitram auriphrygiatam, minister de libro canonem, et minister de scotula scotulam, in processione deferendam.

Subdiaconus crucifer cum ceroferariis se sistit ante clerum sacris vestibus indutum.

Processio procedit quo sequitur ordine:

7 — 1.ª PROCESSIONIS PARS seu confraternitatum et cleri.

1) Laicorum confraternitates et tertii ordines, si aderint, unaquaeque sub proprio vexillo, velo obducto. D 2811.

2) Religiosi in habitu suae religionis, juxta praecedentiam in processione Corporis Christi servandam. Si sint pauci, sub eadem cruce procedunt, sin minus unusquisque ordo suam habebit crucem cum velo tamen appenso. D 344.

3) Magistratus si aderint.

4) Claviger ecclesiae metropolitae.

5) Crux ecclesiae metropolitanae, quae a clerico superpelliceo induto portatur, inter clericos duos cum intortitiis. CV col. 1109.

6) Clerus saecularis juxta ordinem in processione Corporis Christi receptum.

7) Synodales in habitu chorali juxta praecedentiam in capitulo IV tituli I datam, n. *19*.

8 — 2.ª PROCESSIONIS PARS seu praesidis.

1) Cantores bini vel quaterni.

2) Thuriferarius, cum thuribulo ardenti in manu dextera.

3) Subdiaconus crucifer paratus, cum imagine crucis ad legatum vel metropolitam versa, medius inter ceroferarios.

4) Procuratores episcoporum absentium vel locorum ordinariorum, cum pluviali et bireto, seu mitra si ejus fruantur usu (61).

5) Abbates cum pluviali et mitra.

6) Capitulum ecclesiae metropolitae sacris vestibus solito more indutum, cum quo incedunt presbyter assistens et sacri ministri.

7) Abbates seu praelati nullius ac ceteri locorum ordinarii, ex ordine sacerdotali, cum pluviali et bireto, vel mitra si ea uti possint.

8) Archiepiscopi et episcopi parati, juxta praecedentiam in capitulo IV tituli I, n. *19*, statutam, qui omnes procedunt bini, cum uno capellano; capellanus episcopi a dextris, a dextris procedit, capellanus episcopi a sinistris, a sinistris procedit; si vero singulariter ambulent, capellanus a sinistris procedit.

9) Legatus vel metropolita medius inter diaconos assistentes, oras pluvialis ejus sustentantes, et retro caudatarius caudam habitus talaris ferens.

10) Praesidem sequuntur:

Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et candela.
Nobilis familia.
Familiares ejusdem.

11) Episcopi et praelati in habitu praelatitio, nisi cum alio ordine synodalium locum sumere debeant.

❯ Tempore processionis festivo more sonabunt ecclesiarum campanae. CE I, 31, 12.

❯ Procedunt omnes supplicantes, psallentesque processionali modo (62).

9 — INTROITUS IN ECCLESIAM. Cum processio ecclesiam ingrediatur, magistri caeremoniarum operam navabunt ut omnes ad locum unicuique assignatum sine mora accedant, facta bini debita cruci altaris reverentia.

In introitu processionis festivo more sonabunt organa, et cantabitur ps. 32 *Exsultate, justi, in Dño;* ad introitum legati sive metropolitae cantabitur antiphona *Ecce sacerdos magnus*, vel *Sacerdos et pontifex*.

Legatus (metropolita in provinciali) cum ante altare majus accesserit, baculum ministro tradit, a 2.º diacono assistente mitra nudatur, et genua flectit ante faldistorium, cum diaconis assistentibus hinc et hinc, qui pluvialis oras super faldistorium extendunt.

Cum genua flectit praeses, omnes idem locis suis faciunt, et sic aliquantulum permanent (63).

Facta aliqua mora, surgit praeses, et, iterum imposita mitra a 1.º diacono assistente et accepto baculo, ad thronum ascendit cum suis diaconis, sequentibus ministris insignium et caudatario, et sedet, sedentibus omnibus, et baculum tradit ministro.

❯ Pontifex (non vero cardinalis legatus) patres parva capitis inclinatione salutat cum ad thronum accedit, cui ipsi profunda capitis inclinatione respondent; canonici vero et alii omnes solito more se inclinant vel genuflectunt, cum pontifex transiens illos benedicit.

45 ART. II — MISSA CONCILIARIS

1 — RITUS. Missa pontificalis pro aperiendo concilio est votiva de Spiritu Sancto in colore rubro pro causa gravi et publica, cum *Gloria* et *Credo* et unica oratione. Fit commemoratio duplicis II classis, cujusvis dominicae, feriae majoris, rogationis, vigiliae vel octavae privilegiatae. Sequentia semper omittitur (extra octavam Pentecostes) et in fine legitur evangelium proprium juxta rubricas, si habeatur. Haec missa prohibetur:

In Dominicis: I Adventus, quatuor Quadragesimae, Passionis, Palmarum, Resurrectionis et in Albis;
In vigiliis Nativitatis et Pentecostes;
In feriis majoribus privilegiatis;
In omnibus duplicibus I classis.

In hisce diebus missa dicitur de die, cum oratione de Spiritu Sancto sub unica conclusione cum oratione Missae. MR Ad. et Vari. II, 3 (64).

2 — PRAEPARATIO. Praeside in throno sedente, recedunt diaconi assistentes, et accedunt sacri ministri.

Clerici ad vestitionem pontificis designati ad altare accedunt, et, acceptis sacris vestibus ab altari de manibus 2di. caeremoniarii, ad thronum pergunt, cauto tamen quod primo loco se sistunt clerici duo ad pluviale et formale recipiendum.

Diaconus ministrans, adjuvante subdiacono, exuit episcopum annulo, mitra, formali et pluviali, et induit tunica, dalmatica, chirothecis, casula et mitra pretiosa.

› In concilio provinciali pallium de more ad thronum portabitur ab uno subdiacono et eo induetur metropolita post casulam, etiamsi missa non sit de festo occurrenti.

Finita vestitione, sacri ministri de throno descendunt, sed prope ipsum manentes, accipiunt manipulos, et subdiaconus etiam evangelistarium cum manipulo pontificis.

Presbyter et diaconi assistentes, debitis cum reverentiis, ad thronum accedunt, et presbyter assistens annulum digito annulari pontificis imponit, cui traditur baculus a ministro.

Assurgit pontifex, cum suis assistentibus de throno descendit et ad altare procedit, medius inter diaconos assistentes, praeeunte presbytero assistente et sacris ministris, sequentibus ministris insignium et caudatario.

In transitu ad altare praeses patres parva capitis inclinatione reverebitur, deinde clero benedicit, legatus a latere vero nemini reverentiam facit.

3 — MISSA celebrabitur a legato sive a metropolita ad thronum more consueto, observa tamen :

4 — SYNODALES INFULATI sequentes servabunt regulas :

1) Mitram ipsi sibi imponunt et exuunt una cum praeside, et, in manibus retinentes, erit reversa cum infulis ad extra.

2) Sedentes mitram induunt, etiamsi legatus seu metropolita ad altare stans sit capite nudato.

3) Cum genuflectere debent, prius mitram deponunt.

4) Mitram et pileolum deponunt dum canitur evangelium, et a praefatione usque ad communionem. S.C. Caeremonialis 20-V-1890.

5) Sine mitra stantes bini vel terni submissa voce recitant confessionem (semel tantum) usque ad *Deus, tu conversus* exclusive. Postea, *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei*, eodem modo recitant.

6) Si missa sit de Spiritu Sancto genua flectunt, mitra et pileolo depositis, cum canitur *Veni, Sancte Spiritus*, non tamen cum idem versus a celebrante recitatur.

7) Sine mitra assurgunt incensationem recepturi ; cum mitra vero assurgunt quoties metropolita seu legatus manus lavat (65).

5 — SERMO POST EVANGELIUM omittitur.

6 — INCENSATIONIS ORDO. Diaconus ministrans, incensato celebrante, incensat presbyterum et diaconos assistentes ; ad chorum transiens incensat synodales omnes sacris vestibus indutos, incipiendo a metropolita seu loci ordinario in plenario, a seniore suffraganeo in provinciali.

Deinde diaconus incensat capitulum ecclesiae illius, et postea synodales non episcopos, qui vocem tantum consultivam habent, sed sacris sunt induti vestibus, demum praelatos in habitu chorali.

Diaconus, incensato subdiacono, reddit thuribulum thuriferario qui eum incensat, ad chorum pergit, et incensat, per modum unius seu transeundo, ceteros de clero et populum.

Episcopi duplici ductu incensantur, canonici ac praelati unico, ceteri per modum unius vel transeundo.

Pontifex praefationem ne incipiat nisi finita incensatione chori.

7 — PACIS OSCULUM praelatis in choro datur a presbytero assistente, eo ordine quo a diacono incensati fuerunt. Assistens presbyter pacem dat 1mo. praelato cujuscumque ordinis a latere evangelii et 1mo. cujuscumque ordinis a latere epistolae, ne teneatur ab uno ab aliud latus presbyterii perambulare. Clerus non paratus pacem a 2.° caeremoniario recipit, praelati non parati a presbytero assistente, ut de incensatione dictum est.

8 — BENEDICTIO ET INDULGENTIAE in fine missae omittuntur (66), sed celebrans altare de more osculatur, et si pallio utatur, illud deponit.

9 — FINITA MISSA, celebrans ad thronum revertitur; sacri ministri, manipulis dimissis, ad thronum, debitis cum reverentiis, accedunt, et recedunt presbyter et diaconi assistentes.

Pontifex, ministrante diacono et adjuvante subdiacono, dimittit mitram, planetam, dalmaticam et tunicam; et iterum induitur pluviali cum formali, et accipit mitram pretiosam.

Recedunt sacri ministri et iterum accedunt diaconi assistentes; episcopus, coram se habens ministros de libro et candela, legit gratiarum actionem, interim de more caligas et sandalia dimittens.

Sacristae ex abaco amovent quae missae inservierunt, exceptis acolythorum candelabris et libro evangeliorum, canone, pontificali, candela et pulvinari.

46 ART. III — MISSA SICCA

› Antequam ad negotia tractanda accedat concilium, celebratur missa sicca (67).

1 — ANTIPHONA AD INTROITUM. Pontifex, accepto baculo, assurgit, et, medius inter diaconos assistentes, de throno descendit, salutans episcopos in choro et deinde clerum benedicens, ad faldistorium in plano coram altari positum pergit, ibique crucem de more salutat.

Ministri de libro et scotula ante pontificem et subdiaconus missae ad dexteram 1mi. diaconi assistentis se sistunt.

Pontifex, reddito baculo, et nudatus mitra a 2.° diacono throni, intonat antiphonam *Exaudi nos,* quae a subdiacono praeintonatur, ac statim genuflectit, quod et omnes faciunt.

Cantores inceptam antiphonam complebunt, adjecto psalmo 68 *Salvum me fac,* cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae in fine, alternatim cum choro.

Incepto psalmo, assurgit pontifex, sedet, tergo altari obverso, et accipit mitram auriphrygiatam, ac sedent omnes.

Subdiaconus et ministri de libro et scotula recedunt.

Cantato *Gloria Patri,* ministri de libro et scotula, coram pontifice se sistunt, qui, repetita antiphona et nudatus mitra a 1.° diacono assistente, surgit et cum eo omnes, et, e libro a ministro sustentato, canit ad altare

versus in tono feriali orationes *Adsumus, Domine,* et *Omnipotens... qui misericordia tua,* quibus semel et iterum chorus respondet *Amen.*

2 — LITANIAE. Pontifex, accepta mitra auriphrygiata, genuflectit, omnibus synodalibus *sine mitra* genuflectentibus. CV col. 703.

Minister de libro illum super faldistorium locat, et cum ministro de candela prope abacum recedit.

Ministri de mitra et baculo se sistunt retro post diaconos assistentes.

Cantores duo, versus latus epistolae genuflexi, litanias incipiunt et prosequuntur sine duplicatione, omnibus respondentibus.

Cum cantatus fuit versus *Ut omnibus fidelibus defunctis,* ministri de libro et scotula se sistunt coram praeside, qui, assurgens et accepto baculo, sed non se vertens, canit *Ut hanc praesentem synodum visitare, disponere, et bene + dicere digneris,* dextera synodalibus benedicens, et respondent omnes *Te rogamus audi nos* (68).

Episcopus, reddito baculo, genuflectit, et recedunt ministri de libro et scotula.

› Si fieri poterit, minister de libro alterum pontificale, vel canonem cum invocatione canenda, apportabit, ne teneatur pontificale e faldistorio amovere.

› Si synodales omnes vel fere omnes, a tergo pontificis sint, ipse ad eos se vertat oportet, cum cantaturus erit invocationem.

Cantores litanias reassumunt et ad finem usque cantant.

Post ultimum *Kyrie, eleison,* surgunt omnes; ministri de libro et scotula se sistunt coram pontifice; caeremoniarius 1us. pontificale ministro de libro tradit.

Pontifex canit *Oremus,* 1us. diaconus throni *Flectamus genua,* et synodales omnes, uno celebrante excepto, genuflectunt unico genu; 2us. diaconus throni canit *Levate* et omnes surgunt.

Pontifex statim in tono feriali canit collectam *Da, quaesumus,* ad litanias complendas, deinde acceptis mitra pretiosa et baculo, ordine quo descendit, ad thronum revertitur, sedet, et baculum tradit ministro (69).

3 — EVANGELIUM. Acolythi manipulos brachiis sacrorum ministrorum aptant. Presbyter assistens, debitis cum reverentiis, ad thronum ascendit, et thuriferarius se sistit in plano a sinistris throni.

Diaconus, accepto libro evangeliorum, illum super altare ponit, in planum descendit, ad osculum manus pontificis accedit; demum ad altare revertitur et recitat *Munda cor meum.*

Thuriferarius ad thronum accedit, ubi pontifex, presbytero assistente naviculam ministrante, incensum de more benedicit et imponit thuribulo.

Efformabitur processio pro evangelii cantu ab altari ad thronum ad benedictionem pontificis impetrandam, et deinde ad locum ubi evangelium cani solet, ubi diaconus cantabit evangelium *Convocatis Jesus duodecim apostolis* e feria 5.ª post Pentecosten.

In fine pontifex sacrum osculatur textum, deinde a presbytero assistente incensatur et omnes ad loca sua revertuntur.

Thuriferarius, officio suo expleto, recedit dum acolythi candelabra super abacum ponunt.

› Pro evangelii cantu omnia fiunt ut in missa pontificali ad thronum, et synodales omnes, praeside non excepto, pileolum deponunt.

4 — LOCATIO EVANGELIORUM SUPER ALTARI. Caeremoniarius 2us. tradit diacono ministranti evangelistarium super nobile pulvinar rubrum, qui illud, ad altitudinem oculorum elevans, nemini facta reverentia (CV col. 702), ad altare fert, et, facta cruci reverentia, ascendit et pulvinar cum evangelistario super altari ponit, ac recedit, cum debitis reverentiis cruci et praesidi, si transit ante eum (70).

Cum diaconus evangelia sacra ad altare portat, praeses et omnes stabunt; deinde sedent et praeses mitra pretiosa induitur et praelati induunt suas.

Sacri ministri, depositis manipulis, se sistunt ad loca sua cum ceteris canonicis vel ad scabella.

47 ART. IV — SESSIO CONCILIARIS

› Sacristae praeparabunt aulam conciliarem nisi jam parata sit, res omnes locantes ut in diagrammatibus I vel II, prout altare erit ad orientem sive ad occidentem versus.

Veni Creator

1 — Cum omnia parata sunt omnesque ad loca sua pervenerunt, pontifex, accepto baculo, assurgit, ac, medius inter diaconos throni, sequentibus ministris insignium et caudatario, de throno descendit, synodales salutans de more. Ante altare

pontifex, reddito baculo ministro, a 2.° diacono mitra exuitur, et ante faldistorium procumbit, omnibus genua flectentibus.

Caeremoniarius 1us. nudabit praesidem pileolo, dum patres deponunt sua pileola et pontifex intonat hymnum *Veni, Creator,* a cantoribus complendum.

Finita 1ma. stropha, caeremoniarius 1us. pileolum praesidi reponit, qui, simul cum omnibus, surgit, et sic permanet usque ad finem hymni, diaconis oras pluvialis ejus sustentantibus, et ad doxologiam omnes caput inclinant.

Finito hymno, pontifex, accepta mitra auriphrygiata et baculo, accedit cum diaconis de throno ad mensam paratam seu ad thronum, et sedet ad faldistorium seu sedem et reddit baculum.

Diaconi de throno sedent ad scabella a lateribus praesidis, ceteri omnes suis locis et mitram induunt. Caeremoniarius 1us. se sistit prope 2um. diaconum assistentem.

Crucifer crucem locabit in basi sua in medio conclavi coram praeside seu a latere dextero throni, et recedit ad locum suum. Ministri insignium et familiares se sistunt retro post abacum.

› Si praesidi necessarium videatur, clerici et laici qui de gremio concilii non sunt, excludentur, dicente 1mo. caeremoniario elata voce *Extra omnes,* et, postquam omnes egressi fuerunt, ostiarii januas claudunt et extrinsecus custodiunt.

Caeremoniarius 1us. super mensa praesidis seu abaco ponit decreta promulganda, tabellam cum responsionibus, et textum sermonis ejus.

Decretum de aperiendo concilio

2 — Promotores, a 3.° caeremoniario comitati, ad praesidem accedunt, et, facta ei debita reverentia, 1us. elata voce instabit pro aperiendo concilio. Tabella III, n. 1.

Praeses respondet jubens exquirere sententiam patrum. Tabella I, n. 1 (71).

Secretarius generalis ad suggestum ascendens, a caeremoniario 2.° comitatus, patres interrogat num initium concilii fieri oporteat. Tabella II, n. 1.

Scrutatores, a 2.° caeremoniario concomitati, transeunt ante synodales qui vocem habent deliberativam, et unusquisque respondet clara

voce *Placet* (72); deinde, cum secretario generali, se sistunt coram praeside, et, facta ei reverentia, secretarius praesidem de votatione certiorem facit. Tabella II, n. 7.

Praeses secretario tradit decretum de aperiendo concilio, dicens *Legatur*, qui, accepto decreto, osculatur manum praesidis (nisi sit episcopus) et, iterata reverentia, recedit cum scrutatoribus.

Secretarius generalis, ad suggestum ascendens, decretum legit; deinde descendit, se sistit coram praeside, et, facta reverentia, ei reddit decretum. Praeses, accepto decreto, dicit elata voce *Decretum placuit* etc. Tabella I, n. 3.

Secretarius, iterata reverentia et a caeremoniario 2.° comitatus, redit ad locum suum.

Vocatio synodalium

3 — Promotores ut prius ad praesidem accedunt et instant pro synodalium vocatione. Tabella III, n. 2.

Praeses respondet *Vocentur*, et recedunt promotores.

1us. notarius, stans a latere sinistro mensae praesidis, nomina synodalium, non tamen procuratorum, legit et omnes, prout vocantur, respondent sedentes *Adsum;* qui vero infulati non sunt, surgentes cum bireto in manu respondent.

Procuratores, dicto nomine sui ordinarii, respondent *Adest per procuratorem.*

Notarius nomina synodalium absentium adnotabit, postea tribunali concilii tradenda.

Instantia contra absentes

4 — Vocatione expedita, promotores, ad praesidem aliquantulum accedentes et facta ei reverentia, instabunt contra absentes (tabella III, n. 3), et respondet pontifex *Admittimus et committimus.*

Praeses tribunalis, surgens cum mitra et ad praesidem se vertens, facta ei reverentia, sedet iterum.

› Si instantia contra absentes non sit necessaria, omittatur.

Decreta de ordinatione concilii

5 — Promotores, a 3.° caeremoniario comitati, ad praesidem accedunt, et, facta ei reverentia, instabunt ut decreta, quibus ordo concilii stabilitur, publici juris fiant (Tabella III, n. 4), et, iterata reverentia, ad loca sua redeunt.

Secretarius, ad nutum praesidis, ad eum accedit, et, debita cum reverentia acceptis decretis, ei dicit praeses *Legantur.*

Secretarius, iterata reverentia, ad suggestum ascendit et decreta legenda legit latino tantum sermone. Titulos stans legit; sedens decreta; quod si sit infulatus, mitram non deponit, si vero bireto utatur, sedens caput cooperit.

Decreta, rationem vivendi et agendi in concilio statuenda, sunt:

1) De officialibus concilii eligendis.
2) De modo vivendi in concilio.
3) De praejudicio non afferendo.
4) De non discedendo.
5) De secreto servando.

› Formulae in appendice traduntur, sed fas est praesidi, prout utilitas vel necessitas concilii postulaverit, decretis istis alia adjungere, vel formulas datas mutare.

Finita lectione, secretarius surgit, ad praesidem se vertit, qui jubet sententiam patrum exquirere. Tabella I, n. 1.

Secretarius patres interrogat utrum decreta placeant ipsis (Tabella II, n. 2) et statim, discedens e suggestu, ad locum suum revertitur.

Scrutatores, a 3.° caeremoniario comitati, transeunt ante synodales qui vocem habent deliberandi, et unusquisque, a senioribus ad juniores, respondet *Placet.*

Scrutatores et secretarius generalis, ante praesidem se sistunt, et, facta ei reverentia, secretarius dicit decreta placere (Tabella II, n. 3) et, iterata reverentia, officiales ad loca sua recedunt.

Praeses ad concilium loquens dicit elata voce gratias Deo esse agendas. Tabella I, n. 6.

Et patres respondent simul *Deo gratias.*

Sermones praesidis et oratoris

6 — Praeses, sedens in faldistorio seu in throno, patres brevi sermone alloquetur prout ei opportunum videbitur; deinde permissum loquendi dabit viro ecclesiastico ad hoc ab ipso tempestive invitato.

Caeremoniarius 2us. concionatorem ante praesidem ducit, cui facta debita reverentia, ac petita benedictione, nisi et ipse sit episcopus, ad ambonem ascendit et sermonem suum exordietur, lingua latina vel vulgari, quo finito ad locum suum redit.

❯ In concilio plenario orator legatum tantum in initio sermonis salutabit. CE III, 11, 5.

Instantia pro 1.ma congregatione generali et 2.a sessione

7 — Promotores ad praesidem accedunt, et, praemissa debita reverentia, instabunt pro convocatione 1mae. congregationis generalis vel 2ae. sessionis. Tabella III, n. 5.

Praeses respondet jubens exquirere patrum sententiam. Tabella I, n. 1.

Promotores, iterata reverentia praesidi, ad loca sua revertuntur.

Secretarius generalis, ad suggestum accedens, synodales interrogat utrum congregatio 1ma. vel sessio 2.a fieri possit *die*... Tabella II, n. 4.

Synodales simul respondent *Placet.*

Secretarius generalis coram praeside se sistit, cui, facta reverentia, exitum votationis patefacit. Tabella II, n. 5.

Praeses tradit secretario decretum de 2.a convocatione, dicens *Legatur,* qui, iterata reverentia, recedit.

Secretarius e suggestu decretum legit, et ad locum suum redit.

Instantia pro actis

8 — Promotores surgunt, accedunt aliquantulum versus notarios, qui surgunt, et, verbum ad eos dirigentes, instabunt ut de rebus gestis instrumentum conficiatur. Tabella III, n. 6.

Notarius 1us. respondet *Conficiemus,* et, ad secretarios et ceteros notarios conversus, dicit *Vobis testibus.*

Et recedunt promotores ad loca sua.

❯ Si januae ecclesiae in initio sessionis clausae fuerint, ad nutum praefecti caeremoniarum nunc aperientur, ut ingressus omnibus patefiat.

Oratio mentalis

9 — Surgunt omnes, et praeses cum diaconis assistentibus se sistit ad faldistorium orationis, facie ad altare; crucifer crucem sumit et a latere evangelii se sistit.

1us. diaconus assistens dicit elata voce *Orate,* et praeses, mitra non deposita, genua flectit, omnibus genua flectentibus; deinde 1us. diaconus adhuc stans, dicit *Oratio mentalis,* ac genuflectit, et sic permanent omnes tempore unius *Miserere.*

Benedictio

10 — Ad nutum 1mi. caeremoniarii, assurgunt praelati, capitulum metropolitanum et canonici procuratores, ceteri manent genuflexi.

Subdiaconus crucifer coram praesidi se sistit et genua flectit. Minister de libro, cum canone ad benedictionem aperto, una cum ministro de candela, se sistunt ante praesidem, qui, ibidem stans, a 2.o diacono assistente mitra exuitur, et in cantu solemniter praesentes benedicit dicens *Sit nomen Domini benedictum,* et cetera solito more.

In concilio provinciali indulgentiae non publicantur.

Synodales infulati caput mitra nudabunt cum praeside, et, inclinati ac crucis signo se munientes, benedictionem praesidis recipiunt.

❯ In concilio plenario legatus benedictionem papalem cum plenaria indulgentia in fine huius sessionis impertietur ritu tradito pro ultima sessione, n. *69,* 4.

Recessus

11 — Benedictione impertita, omnes qui erant genuflexi surgunt; praeses induitur mitra pretiosa a 1.o diacono assistente, et synodales induunt se suis.

Omnes, facta cruci altaris profunda reverentia, ad locum vestitionis ordine quo venerunt revertuntur, breviorem tamen arripientes viam.

In loco vestitionis praeses, adjuvantibus sacris ministris, vestes sacras deponit et induit mozetam, ac recedunt sacri ministri.

Ceteri omnes in locis designatis vestes sacras deponunt et induunt chorales.

Prius praeses, deinde synodales, a senioribus ad juniores, recedunt.

TITULUS IV

DE CONGREGATIONIBUS

CAPUT I

CAEREMONIALE SERVANDUM

48 ART. I — PRAENOTANDA

1 — LOCUS — Congregationes generales concilii in aula nobili celebrandae erunt, ita ut locus adsit pro omnibus synodalibus et officialibus. Aderit ingressus unus pro patribus, alter pro aliis, et nullus aderit aditus pro illis qui de gremio concilii non sint. In capite aulae locabitur imago Christi crucifixi, aderuntque stemmata legati, vel metropolitae si concilium sit provinciale.

2 — PRAEPARANDA.

MENSAE ET SEDILIA — Mensa maior pro praeside, super stratum elevata, et retro sedes cameralis. Mensae duae vel plures oblongae pro synodalibus cum voce activa, pro quibus parentur sedes, nobiliores pro episcopis, simpliciores pro aliis.

Mensae duae vel plures pro synodalibus cum voce consultiva, pro quibus parentur etiam scamna oblonga cum parvis postergalibus, vel scamna tantum sine mensis.

Mensae quinque minores pro secretariis, notariis, promotoribus, stenographis, scrutatoribus, cum sedibus vel scamnis.

Decet mensas pannis laneis viridibus cooperire; mensa cardinalis cooperietur sericis rubri vel violacei coloris prout erunt vestes ipsius cardinalis.

Super mensis ponentur quae ad scribendum sunt necessaria.

Super mensa praesidis aderit campanula et chartula cum orationibus in principio et in fine congregationis recitandis.

SUGGESTUM in medio concessus pro oratoribus.

Vide diagramma III.

3 — QUINAM INTERVENIUNT — *Congregationibus generalibus* interveniunt synodales cum voce deliberativa vel consultiva tantum, et officiales maiores, nisi aliter a praeside statuatur. *Congregationibus patrum,* ii soli intersunt, cum secretario generali et officialibus maioribus specialiter a praeside convocatis.

4 — INDICTIO — Dies, hora, locus, ordo diei, tempestive a secretario generali de mandato praesidis indicentur; et de indictione omnes qui intervenire debent certiores fiant, modo quo praesidi melius videatur.

5 — QUORUM pro habenda congregatione a numero legali pro votatione constituitur. N. *57, 5.*

6 — VESTES — Episcopi, abbates et praelati utuntur habitu praelatitio proprio. Episcopi cum voce deliberativa et abbates nullius dioeceseos mozetam super rochetum induunt.

❯ Cum mozeta sine manteleto potestatem significet legislativam, episcopi et abbates qui vocem habent tantum consultivam, utentur mozeta et subtus manteleto, si concilium sit provinciale; manteleto tantum si concilium sit plenarium.

Canonici in suo territorio, vel delegati sui capituli, utentur habitu chorali proprio capituli, secus tamquam absentes habeantur.

Cubicularii Papae utentur habitu violaceo cum mantelone.

Canonici regulares, monachi et fratres mendicantes utentur habitu chorali sui ordinis.

Sacerdotes utriusque cleri utentur cappa nigra, vulgo *ferraiolo.*

Caeremoniarii, si sint praelati utentur habitu praelatitio cum manteleto super rochetum, si vero sint cubicularii Papae, utentur mantelone, secus induent *ferraiolo* nigri coloris super vestem talarem violaceam, cum zona pariter violacea.

❯ Cum congregationes functiones liturgicae non sint, usus superpellicei locum non habet.

7 — CAEREMONIARII in initio congregationum solummodo inserviunt, assignatorum locorum exsequentes officium. 1us. caeremoniarius vero praeest aperitioni et clausurae congregationum, et etiam dum fiunt, si videatur necessarium, praesertim ad synodales in officiis suis instruendis.

49 ART. II — CAEREMONIALE

1 — SYNODALIUM INGRESSUS — Cum tempus erit ad congregationem conveniendam, ad nutum praefecti caeremoniarum, synodales et officiales aulam congregationis privatim ingredientur.

Primo intrant officiales, deinde consultores; sequuntur synodales cum voce consultiva, deinde ingrediuntur episcopi et qui vocem habent deliberandi, a junioribus ad seniores.

Cum omnes ad loca sua pervenerint, praeses concilii a 1.° caeremoniario comitatus, sine tamen crucifero, aulam ingreditur, reverentiis synodalibus omissis, et ad locum suum se sistit.

2 — ORATIO INITII — Praeses, dimisso pileolo et accepta chartula a 1.° caeremoniario, stans legit clara voce orationem *Adsumus, Domine,* cui nulla additur conclusio, et in fine respondetur ab omnibus *Amen.* Synodales ad orationem istam stabunt (CV col. 710), biretum, prae manibus gestantes, et qui pileolo utuntur illud deponunt.

Finita oratione, praeses, reddita chartula caeremoniario et accepto pileolo, sedet et caput bireto cooperit, omnesque similiter faciunt.

3 — CLAUSURA AULAE — 1us. caeremoniarius, a sinistris praesidis stans, dicit clara voce *Extra omnes,* et qui jus congregationi interveniendi non habent recedunt; ab ostiariis fores aulae clauduntur, et exterius custodiuntur.

Caeremoniarius 1us. se sistit in loco ei reservato post synodales, cum in negotiis pertractandis partem non habeat; ceteri ad loca sua recedunt.

4 — NEGOTIA TRACTANTUR ut in ordine agendorum infra posito.

5 — FINIS — Negotiis omnibus pertractatis, ad nutum praesidis, accedit 1us. caeremoniarius, qui jubet ut januae aulae aperientur.

Dicto a praeside *Agimus tibi gratias*, et responso ab omnibus *Amen*, praeses, a 1.° caeremoniario comitatus, recedit; sequuntur patres, synodales cum voce consultiva, et ultimo officiales, a senioribus ad juniores, seu inverso ordine ingressus.

50 ART. III — AUDIENTIA CONCILIARIS

E vetusto Ecclesiae more, omnibus, clericis et laicis, catholicis et acatholicis, fas est concilium alloqui. Andrieu tome I, pg. 256. Omnes, proinde, qui habent aliquid quod concilio communicare velint, et qui ab eo audiri desiderant, permissum a secretario generali impetrent, qui eis assignabit diem et horam qua loqui poterunt; vel si concilio tantum scribere velint, secretarius eorum litteras recipit et in congregatione legit.

Audientia publica, in qua etiam synodales cum voce consultiva, vel honorarii tantum, concilium alloqui possunt, fieri solet in initio 1mae. congregationis generalis, vel praesynodalis, antequam fores claudantur. Omnes juxta ordinem loquuntur, incipientes a junioribus. Hujusmodi audientia publica tamen, licet fieri adhuc possit, generatim obsolevit (73).

51 ART. IV — ORDO AGENDORUM

1 — VOCATIO — Recitata oratione, sedent omnes, et, jubente praeside, fit vocatio synodalium a 1.° notario, et omnes respondent prout de sessione dictum est.

2 — ACTA ultimae congregationis, compendiaria relatione, jubente praeside, a 2.° secretario leguntur; et ea lecta, si quis aliquid super rem lectam dicere velit, habita venia praesidis, dicat; ultimo acta a praeside adprobantur.

3 — COMMUNICATIONES faciendae fiunt a praeside, quod si sint scriptae, a secretario generali, jubente praeside, leguntur, sicut petitiones vel litterae a concilio mittendae vel ad illud missae.

Si quis super communicationes loqui velit, habita venia praesidis, breviter dicat.

4 — ORDO DIEI est semper schema ipsum, vel emendationes ejusdem, sed quaestiones *extra ordinem* proponi possunt.

Partes schematis concilio proponuntur prout praesidi videatur, sed hoc modo proceditur:

Promotor instat ut talis quaestio discutiatur; jubet praeses; legit secretarius; oratores loquuntur; discussio clauditur; suffragia emittuntur; qui modus agendi repetitur pro singulis quaestionibus, servata semper ratione deliberandi in sequenti capite exposita.

CAPUT II

RATIO DELIBERANDI

52 ART. I — PRAENOTANDA

❯ Ut omnia in congregationibus conciliaribus fiant cum ordine et sine temporis dispendio, et ut inutiles discussiones arceantur, necesse est regulas servare quae hodie in jure communi transierunt, quaeque *parlamentariae* audiuntur, quarum principaliores dare maluimus (74).

1 — MODERATOR DELIBERATIONUM est praeses concilii, vel per se, vel per legitimum substitutum ab eo electum. In concilio plenario legatus solet seligere archiepiscopos ut per turnum congregationibus praesint, ita ut tantum congregationi praesynodali, quae immediate ante 1mam sessionem habetur, personaliter praesit.

2 — SECRETARIUS GENERALIS principalis auxiliaris est praesidis in negotiis pertractandis, adjuvantibus suis auxiliaribus (75).

❯ Res seu decreta primo *coram concilio* ponuntur; deinde *discussionibus* subjiciuntur; ultimo *votationibus* resolvuntur, de quibus agendum per singula.

53 ART. II — CORAM CONCILIO

Ut quaestio vel motio sit coram concilio debet:

1 — *Moveri* vel instari a promotoribus vel a patribus, id est, ab uno pro unaquaque quaestione.

Juxta regulam antiquam conciliorum, *motiones* a promotoribus proponuntur, praesertim quando agitur *de ordine diei* vel *de revocatione ad ordinem*. Synodales tamen possunt motiones proponere si agatur de

discussione schematis vel de ejus emendatione, aut de quaestione privilegiata; pro regula vero habeatur ut instent promotores.

2 — *Confirmari* a duobus vel tribus patribus.

Non confirmantur:

1) Quaestiones privilegiatae seu quae praecedentia gaudent.
2) Quaestiones ordinis.
3) Petitiones informationum praesidi seu commissionibus factae, quaeque sunt quaestiones ordinis.

Quaestiones privilegiatae hae sunt:

1) Ad ordinem diei introducendam vel reassumendam.
2) Quae cum juribus vel privilegiis concilii relationem habent.
3) Ad sessionem dimittendam.

3 — *Coram concilio poni* a praeside. Praeses rem coram concilio ponit jubens ut decreta, emendationes, communicationes, vel alia, a secretario legantur, vel oretenus proponantur si non sint scriptae.

Praeses nequit, saltem e regula generali, motiones personaliter ponere, nisi agatur de motione ad claudendam discussionem ut infra habetur.

In concilio plenario legatus, cum sit auctoritas concilio superior, intimationes de quacumque re facere potest, etiam de concilio transferendo, prorogando, absolvendo. CJC 288.

54 ART. III — DE DISCUSSIONIBUS

1 — JURE LOQUENDI in congregationibus generalibus gaudent omnes synodales cum voce tum definitiva, tum consultiva; sed in congregationibus patrum, ii soli.

2 — ORDO LOQUENDI. 1 — Propositione seu motione coram concilio posita, prius loquitur relator ad quaestionem explanandam.

2 — Deinde oratores inscripti, si aderint, juxta ordinem inscriptionis a secretario factum.

Quando materia disputanda nova est, vel emendatio materiae exsistentis, praecedentia in loquendo habet auctor novae materiae vel emendationis.

3 — Postea loquuntur oratores non inscripti, habita prius venia praesidis, juxta ordinem quo sedent, a junioribus ad seniores.

Nullus bis loquatur super eandem materiam, nisi in casu speciali aliter praesidi videatur.

4 — Ultimo loco loquitur iterum relator ad synthesim oratorum faciendam, claudendamque discussionem, et, cum sedet ipse, discussio a praeside clausa declarabitur.

3 — EXPLANATIO PERSONALIS — Postquam omnes loquuti fuerint, qui jam loquuti sunt, iterum, de venia praesidis, loqui poterunt ad *explanationem personalem* dandam, vel ad quaestionem facti explanandam seu votationem justificandam, abstineant tamen ab eadem re iterum discutienda cum discussio jam sit clausa.

Explanationes personales breves sunto, et fieri possunt ante vel post votationem, prout praesidi videatur.

4 — DISCUSSIONIS CONCLUSIO — Finita discussione, praeses statim quaestionem, prout jacet, concilio proponit, ut suffragio rem deliberet.

Res in concilio ad deliberandum proposita, nequit modificari.

Finitis discussionibus, vel dum prosequuntur, *motiones* fieri nequeunt, nisi:

1) Ad prorogandam discussionem.
2) Ad dimittendam quaestionem.
3) Ad praejudicialem — Quaestio disputata relinquitur et principalis reassumitur.
4) Ad remittendam tali die.
5) Ad remittendam commissioni.
6) Ad emendandam.

Motiones hae votationi proponi debent juxta ordinem descriptum, vel prout proponuntur, nam generatim proposita una, ceterae praejudicantur.

De 1.ª, 2.ª, et 5.ª statim proceditur ad votationem, omissis discussionibus. De 3.ª, 4.ª, et 6.ª, discussiones admitti possunt antequam ad votationem procedatur.

Tempore discussionum, si nimis protrahantur, motio fieri potest, sed a praeside tantum, *ad claudendam*, quae statim votationi subjicitur. CV col. 69.

55 ART. IV — DE EMENDATIONIBUS

1 — EMENDATIONES, seu motiones ad schema modificandum, a quocumque synodali, etiam cum voce tantum consultiva, praesentari possunt, nisi aliter a praeside statuatur, servato modo infra:

1) Emendationes semper scripto proponantur lingua latina, verbis expressis apertis, ita ut non sit locus ambiguitati, secus a secretario non acceptentur.

2) Petitio emendationis secretario generali tempestive tradetur ut possit typis mandari et synodalibus distribui ante initium congregationis vel commissionis quae super ipsam deliberare debebit.

3) Emendationes congregationi non proponentur nisi a decima parte concilii confirmentur. Confirmatio fieri debet per appositionem nominum synodalium ipsi emendationi cum secretario generali scriptis proponitur.

4) Ne temporis adsit dispendium, decet emendationes concilio praesentari cum debita informatione propriae commissionis, ad quod tamen faciendum, praeses necessaria et generali potestate instruetur a concilio.

5) Emendatio rejecta rursus non proponitur, nisi, mutatis verbis, vere aequivaleat novae emendationi.

2 — ORDO EMENDATIONUM — Si plures emendationes super eandem materiam habeantur, congregationi sequenti ordine proponentur:

1) Substitutivum ad decretum vel paragraphum schematis; vel si plura habeantur, substitutiva omnia, juxta ordinem inscriptionis.

2) Emendatio emendationis, juxta ordinem inscriptionis si sint plures.

3) Emendatio, juxta ordinem inscriptionis si sint plures.

4) Quaestio principalis prout jacet in schemate.

› Emendatio emendationis rei emendatae (3.ª emendatio) non permittitur.

› Emendatio quae sensum et mentem propositionis mutat, aequivalet substitutivo et proponitur ante emendationes. Praesidis erit determinare utrum emendatio tamquam substitutivum in casu particulari habenda sit necne.

56 ART. V — REGULAE AB ORATORIBUS SERVANDAE

1 — Nemo loquatur nisi dicendi accepta facultate.

2 — Qui velit loqui *juxta ordinem* nomen suum secretario generali dare debet saltem pridie congregationem, ut suo tempore facultas dicendi ei detur a praeside.

3 — Orator, cum nomen suum secretario dat, dicere debet de qua parte schematis, vel de qua emendatione vel substitutivo loqui velit. CV col. 68.

4 — Qui velit loqui *extra ordinem*, prius impetret permissum loquendi assurgens, et secretarius nomen ejus adnotat, qui statim sedet; iterum assurgens cum nomen ejus edicetur a praeside vel a secretario.

5 — Orator verbum ad praesidem dirigat, devitans salutationes ceteris synodalibus.

6 — Orator curet breviter et aperte argumenta sua exponere, omissis exhortationibus vel aliis quae ad rem non pertinent.

7 — Orator et synodales abstineant ab alternis sermonibus inter se habendis.

8 — Elapso tempore ad loquendum concesso, orator ultra ne procedat, nisi impetrata venia praesidis, qui generatim tempus prorogare non debet, nisi habita venia patrum.

› Quinque vel decem minuta priusquam finiatur tempus concessum, orator de tempore quo adhuc loqui potest a 1.º promotore admonebitur.

› Si orator ad rem non loquatur, vel alia de causa admoneri indigeat, a praeside admonebitur, motu proprio vel instantibus promotoribus.

9 — Oratorem nulli licet interrumpere nisi, de venia praesidis,

1) Materia sit privilegiata.
2) Agatur de revocatione ad ordinem.
3) Quaestio ab oratore petatur vel si ab eo fit interrogatio.

57 ART. VI — DE VOTATIONIBUS

1 — VOX DELIBERATIVA in coetibus concilii jus votandi tribuit.

2 — VOX CONSULTIVA jus votandi non secumfert, sed praerogativam consultationis tantum.

3 — VOTUM PUBLICUM esto, nisi scrutinium secretum legitime petatur.

4 — MODUS VOTANDI — Votum emitti debet modo simplici a praeside stabilito. Nisi aliter declaretur, qui affirmant surgunt, qui negant remanent sedentes, cum scrutatores vota adnumerant. Votatio etiam *per acclamationem* fieri potest. CV col. 704. Vota secreta per secretas schedulas emittuntur; a scrutatoribus recipiuntur; facta numerica verificatione, aperiuntur, et publicantur; ac ultimo schedulae comburuntur.

5 — QUORUM — Majoritas eorum qui voce gaudent definiendi et in concilio praesentes sunt *numerum legalem* ad materias tractandas et definiendas constituit; sic, si quadraginta patres concilio interveniant, sufficiunt viginti unum ad valide deliberandum, nisi aliter a concilio statuatur (76).

6 — MAJORITAS — Quaestiones absoluta majoritate votantium *in illa* congregatione, sessione vel commissione dirimuntur; unde, si duodecim patres praesentes adsint, septem voces ad dirimendam quaestionem requiruntur.

7 — MAJORITAS DUARUM EX TRIBUS PARTIBUS CONCESSUS (2/3) requiritur:

1) Ad ordinem diei mutandum.

› Motio *ad materiam aliquam supprimendam* vel *ad limitandam discussionem* mutationes sunt ordinis diei.

2) Ad suspendendam discussionem argumenti primario tractandi.

3) Ad introducendam materiam de qua commissio competens relationem nondum fecit.

4) Ad scrutinium secretum petendum.

8 — SI SUFFRAGIA SINT PARIA, praeses votum decisivum habet, quod si eo uti nolet, motio rejecta censetur.

9 — DIVISIBILITAS MATERIAE — Quaestiones divisibiles (v.g. duae partes unius paragraphi) voto concilii proponi possunt vel per partes vel globatim, prout praesidi melius videatur.

TITULUS V

DE II SESSIONE

CAPUT I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

58 ### ART. I — PRAENOTANDA

› Sessio II constat missa, missa sicca et sessione (77).

1 — MISSA celebratur solemniter ad faldistorium cum assistentia legati vel metropolitae ad thronum. Dicitur missa votiva de Spiritu Sancto in colore rubro pro causa gravi et publica, si ritus diei eam permittat; secus missa erit de die cum oratione de Spiritu Sancto, sub unica conclusione cum prima. Vide n. *45*.

2 — CELEBRANS erit unus ex archiepiscopis in plenario, e suffraganeis in provinciali, a praeside invitandus.

› De metropolita vel loci ordinario coram legato celebrante, vide n. *72*.

3 — VESTES. Synodales missae interveniunt cum vestibus choralibus sicut in initio 1mae. sessionis (n. *48*, 6), et sacras induunt finita missa tantum.

59 ### ART. II — PRAEPARANDA

COLOR AD MISSAM: pro altari et clero: missae celebrandae.

COLOR AD SESSIONEM: pro clero tantum: ruber

Parentur omnia ut de 1ma. sessione dictum est, nn. *42-43*, sed cum sequentibus modificationibus.

I — IN SACRARIO VEL AULA VESTITIONIS : Sacrae vestes pro synodalibus qui in 1ma. sessione eas habuerunt : capitulo illius ecclesiae ; assistentibus throni ; ministris sacris et insignium ; crucifero ; sicut in processione 1mi. diei, n. *42,* I.

II — IN CAPELLA CELEBRANTIS.

❯ Pontifex celebrans facit praeparationem ad missam et sacras induit vestes in capella aliqua laterali, ubi parentur :

FALDISTORIUM sua veste coopertum.

SUPER ALTARI : amictus ; alba cum cingulo ; tunica ; dalmatica ; chirothecae in lance ; casula ; quae gremiali cooperiuntur ; mitrae : auriphrygiata a latere epistolae, pretiosa a latere evangelii.

SUPER ABACO : acolythorum candelabra ; epistolae et evangelia cum manipulo celebrantis ; caligae et sandalia in lance, velo cooperta ; canon et candela ; urceus cum pelvi ; manutergia duo in lance ; velum pro mitrigero ; folia cum duabus fidei professionibus, pro omnibus qui eas erunt emissuri ; formula ratificationis typis crassis impressa.

❯ Si celebrans sit metropolita vel loci ordinarius, aderit baculus pastoralis et velum pro ministro.

III — AD ALTARE MAIUS. Ut in 1ma. sessione, n. *43,* II, sed omittuntur vestes celebrantis, et faldistorium ejus ponetur a latere epistolae super stratum altitudinis 1mi. gradus altaris. Super abacum aderunt quae necessaria sunt pro missa pontificali ad faldistorium ; pontificalis pars III ; pulvinar nobile pro evangelistario.

❯ Si celebrans sit loci ordinarius super altare aderit septimum candelabrum.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

60

ART. I — MISSA

1 — PRAEPARATIO AD MISSAM. Hora semis ante adventum praesidis, pontifex celebrans, suis comitatus ministris, ad capellam suam pergit, ibique facit praeparationem ad missam et sacris induitur vestibus, quae omnia sueto more fiunt.

2 — ADVENTUS PRAESIDIS. Paulo ante praesidis adventum, celebrans cum suis ministris ad altare maius se transfert, ubi, facta ab omnibus debita cruci reverentia, celebrans sedet ad faldistorium, presbyter assistens et sacri ministri ad scamnum, ceteri suis locis.

Praeses ad januam ecclesiae recipitur a patribus et a capitulo ecclesiae, et 1ma. dignitas capituli ei tradit aspersorium, quo se aspergit, et deinde tangendum tradit episcopis et demum ceteros aspergit.

❯ Si plures sint episcopi praesentes, dignior tantum aspersorium tangat, ceteri per modum unius a praeside aspergantur.

Praeses ad altare solus accedit, episcopis et ceteris omnibus post eum binis ambulantibus.

Cum praeses ad altare accedit, celebrans (retenta mitra) et ministri assurgunt et exspectant stantes.

Praeses, facta reverentia cruci et celebranti, genuflectit super pulvinar, vel ad faldistorium si sit cardinalis, dum omnes loca sua petunt.

Cum synodales ad loca sua pervenerint, surgit praeses, et, iteratis reverentiis cruci et celebranti, parva capitis inclinatione reverebitur episcopos in choro, ac ad thronum solus procedit et sedet, sedentibus omnibus. Presbyter et diaconi assistentes praesidis ad solium accedunt.

3 — VESTITIO PRAESIDIS. Praeses, de more dimissa cappa, sacris induitur vestibus et mitra pretiosa.

4 — MISSA celebrabitur solito more, videlicet :

1) Celebrans non utetur baculo nec candela.
2) Praeses missam incipit cum celebrante.
3) Praeses benedictionem incensi, subdiaconi post epistolam, diaconi ante evangelium et aquae, personaliter exsequetur ; celebrans nemini benedicit et ministri annulum ejus non osculantur, sed praesidis tantum.
4) Episcopi in choro pileolum deponunt ad evangelii cantum ; ad cantum *Veni, Sancte Spiritus ;* a praefatione usque post communionem.

5 — INCENSATIONIS ORDO. Diaconus ministrans incensat celebrantem cum duplici ductu ; ad thronum pergit, thuribulum presbytero assistenti throno tradit, qui praesidem de more incensat ; deinde, accepto thuribulo, incensat presbyterum et diaconos throni ; pergit ad chorum et

incensat episcopos et praelatos vel canonicos; ad altare revertitur et incensat presbyterum assistentem celebrantis et subdiaconum; thuribulum thuriferario reddit, qui, diacono incensato, incensat reliquos de choro, ministros inferiores et populum.

❯ Quoad ductorum numerum, vide n. *45,* 6.

6 — PACIS OSCULUM. Presbyter assistens praesidis ad altare accedit, pacem a celebrante accipit, ad thronum revertitur, eam dat praesidi, qui eam dat diaconis throni.

Presbyter assistens praesidis in plano prope altare pacem dat presbytero assistenti celebrantis, qui eam dat choro ordine tradito in 1ma. sessione n. *45,* 7. Reversus deinde ad altare, presbyter assistens celebrantis pacem dat diacono ministranti, et caeremoniario 3.°, ad ceteros de choro portandam; subdiaconus eam a diacono missae recipit.

7 — BENEDICTIO ET INDULGENTIAE omittuntur, sed celebrans altare de more osculatur.

8 — FINITA MISSA celebrans cum suis ministris, debitis cum reverentiis cruci et praesidi, recedit ad capellam suam ad sacras exuendas vestes, sed acolythi candelabra super abacum relinquunt.

Praeses, facta reverentia celebranti, sedet, et a 1.° diacono assistente induitur mitra auriphrygiata.

61 ART. II — MISSA SICCA

❯ Sacristae omnia disponunt ut de 1ma. sessione dictum est.

1 — VESTITIO. Presbyter assistens praesidis et diaconi throni, debitis cum reverentiis, ad sacrarium recedunt ad sacras induendas vestes; interim duo canonici juniores episcopo ad thronum assistunt.

❯ Si missa non fuit de Spiritu Sancto, praeses, dimissis stola et pluviali missae, vestes rubri coloris assumat.

Caeremoniarii operam dabunt ut synodales qui in 1ma. sessione sacras induerunt vestes, canonici metropolitanae, subdiaconus crucifer et capellani de insignibus, expedite in sacrarium, vel ubi melius juxta locorum adjuncta, vestes dimittant chorales, induantque sacras pro uniuscujusque gradu.

Celebrans missae, sacris vestibus dimissis, induit pluviale super rochetum cum amictu et ad locum suum cum synodalibus redit. Sacri ministri missae, ad altare redeunt et ad scamnum se sistunt; manipuli eorum ad abacum reportantur; si vero non sint vestibus rubri coloris induti, eas prius assumunt.

Presbyter et diaconi assistentes, sacris vestibus induti, ad thronum revertuntur, et juniores canonici recedunt ad sacras vestes capiendas.

Ceteri omnes, postquam sacras induerunt vestes, ad loca sua in sessione revertuntur.

2 — ANTIPHONA AD INTROITUM. Omnia fiunt ut in 1ma. sessione (n. *46,* 1) sed cantatur antiphona *Propitius esto* cum ps. 78 *Deus, venerunt gentes,* et in fine praeses canit in tono feriali orationes duas *Nostrorum tibi, Domine* et *Mentibus nostris,* quibus synodales omnes semel et iterum respondent *Amen.*

3 — LITANIAE OMITTUNTUR, sed earum oratio finalis *Deus qui nos justitiam loqui,* recto tono canitur a praeside, praemisso a 1.° diacono assistente *Flectamus genua,* ad quod omnes, uno praeside excepto, genuflectunt, et a 2.° diacono assistente *Levate;* et in fine orationis omnes respondent *Amen* (78).

Pontifex, accepta mitra pretiosa et baculo, ordine quo venit, ad thronum revertitur, sedet, et baculum tradit ministro.

4 — EVANGELIUM. Omnia fiunt ut in 1ma. sessione n. *46,* 3, sed cantatur evangelium *Designavit Dominus,* ut in festo evangelistarum.

5 — LOCATIO EVANGELIORUM SUPER ALTARE fit ut in 1ma. sessione n. *46,* 4.

62 ART. III — SESSIO CONCILIARIS

❯ Sacristae omnia praeparabunt ut pro 1ma. sessione.

Veni creator 1 — Omnia fiunt ut in 1ma. sessione, n. *47,* 1.

Synodalium vocatio 2 — Ut ibidem n. *47,* 3.

Instantia contra absentes 3 — Ut ibidem n. *47,* 4.

Fidei professio

4 — Promotores, a 2.° caeremoniario comitati, coram praeside se sistunt, et instabunt pro professione fidei a praeside et a synodalibus emittenda. Tabella III, n. 7.

Praeses respondet *Ita decernimus et mandamus,* et promotores, iterata reverentia, recedunt.

Secretarius generalis de more ad praesidem accedit, qui ei tradit decretum de fide profitenda dicens *Legatur.* Secretarius ad suggestum accedit et decretum legit. Interim caeremoniarii synodalibus cum voce tum deliberativa tum consultiva distribuunt folia cum formula pro fide profitenda.

Praeses surgit, quod et omnes faciunt, et, accepto baculo, cum suis diaconis pergit ad faldistorium alterum, ubi sedet, reddit baculum et mitram dimittit. Assurgit iterum praeses, ad concilium versus, dum synodales sine mitris genua flectunt (79).

Caeremoniarius 1mus. diaconis assistentibus tradit tabellam cum fidei professionibus, quae coram praeside ab ipsis stantibus utrimque sustentabitur.

Praeses et synodales, simul et clara voce, legunt professionem fidei, ut in initio CJC habetur, ac ea lecta et omisso jurejurando, statim adjungunt formulam alteram contra modernistarum errores.

Caeremoniarius 1us., ad synodales versus, curabit ut omnes, factis iisdem moris, legant, ne oriatur confusio.

❯ In concilio plenario episcopus unus e suggestu elata voce formulas dicat, cum praeses et ceteri omnes eas secrete legunt usque ad *Ego N.* exclusive (CV col. 52), quod etiam in concilio provinciali servari poterit.

Finita lectione 2ae. formulae, caeremoniarius 1mus. accipit tabellam praesidis, et caeremoniarii tabellas synodalium.

Ejus ratificatio

5 — Caeremoniarius 1us. tradit diaconis evangelistarium ad evangelium in festo SS. AA. Petri et Pauli apertum, quod ante praesidem tenent. Praeses, dextera super sacrum textum posita, recitat stans formulam ratificationis, quam 1us. diaconus intra missale tenet, dicens:

Ego N — Archiepiscopus N — (S.R.E. Cardinalis N —) sic spondeo, sic voveo, ac sic juro, in formulis professionis fidei modo lectis; sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia, et, amota manu, sacrum textum deosculatur (80).

Caeremoniarius 1us. evangelistarium e manibus diaconorum aufert; praeses sedet, et induitur mitra auriphrygiata.

Caeremoniarii coram faldistorio praesidis locant genuflexorium ligneum duplex, et desuper evangelistarium apertum cum formula ratificationis.

Synodales sacris vestibus induti ante praesidem singuli se sistunt, genua super genuflexorium nitentes ac, manu dextera super textum sacrum apposita, sinistra pectori, dicunt clara voce *Ego N.* — etc. (ut supra) ac textum deosculantur; surgunt, se vertunt, qui a dextris ad dexteram, qui a sinistris ad sinistram, et ad loca sua revertuntur.

❯ Synodales infulati cum ad jusjurandum emittendum accedunt, mitras non secum ferunt, et qui ex ordine episcopali non sunt etiam pileolum deponunt dum genuflectunt ad jusjurandum (81).

Synodales cum voce consultiva eodem modo ad ratificationem accedunt, bini vel terni tamen.

Dum synodales fidei professionem emittunt, omnes qui eam non sunt emissuri stabunt.

Finita ratificatione, caeremoniarii evangelistarium cum genuflexorio amovent, et praeses, accepto baculo, ad mensam suam revertitur, diaconis oras pluvialis ejus sustentantibus, et sedet ac reddit baculum. Synodales pariter sedent et infulati mitram induunt.

Decretorum publicatio

6 — Promotores, de more ad praesidem accedentes, instabunt ut decreta in congregatione generali adprobata legantur et promulgentur. Tabella III, n. 8. Praeses respondet *Ita decernimus et mandamus,* et recedunt promotores.

Lector decretorum ad praesidem accedit, et cum osculo manus, accipit decreta legenda, ad suggestum pergit, et decreta legit.

❯ Modus legendi decreta habes sub n. *47,* 5. Si multi sint decreta legenda sufficit legere titulos et eorum initia.

❯ In concilio plenario decreta leguntur a juniore episcopo praesente vel ab alio a praeside ad hoc deputato, vel a secretario generali; in concilio provinciali secretarius generalis, vel alius officialis a praeside eligendus, decreta legat.

Finita lectione, secretarius patres interrogat utrum decreta ipsis placuerunt et statim de ambone discedit. Tabella II, n. 2.

Scrutatores, tradito ordine, prius ante praesidem, deinde ante synodales qui vocem habent deliberativam se sistunt, et singuli respondent *Placet* vel *Non placet.*

Episcopi sedentes et infulati respondent; abbates et alii praelati, qui jus votandi ex liberalitate legislatoris gaudent, prius deposita mitra vel bireto, assurgunt, reverentiam praesidi conficiunt et respondent *Placet* vel *Non placet;* iterum sedent et mitram vel biretum induunt. CV col. 703.

Scrutatores coram praeside una cum secretario se sistunt, eumque de votatione facta certiorem reddunt. Tabella II, n. 3.

Praeses dicit elata voce decreta patribus placuisse. Tabella I, n. 5. Et synodales respondent *Deo gratias.*

Instantia pro 3.ª sessione 7 — Proceditur ut in 1ma. sessione n. *47,* 7.

Instantia pro exsequiis 8 — Promotores ad praesidem se sistunt de more, rogantes ut pro omnibus episcopis, qui post ultimum concilium in Domino obierunt, exsequiae solemnes celebrentur. Tabella III, 9.

Praeses respondet diem statuens (Tabella I, n. 8), et omnes aliquantulum surgentes respondent *Placet.*

Instantia pro actis 9 — Fit ut in 1ma. sessione, n. *47,* 8.

Oratio mentalis 10 — Ut ibidem, n. *47,* 9.

Benedictio 11 — Ut ibidem, n. *47,* 10.

Recessus 12 — Ut ibidem, n. *47,* 11.

› Si alia sint decreta promulganda, antequam ultima sessio celebretur, alia vel aliae sessiones celebrentur, ritu tradito pro 2.ª sessione, fidei professione omissa.

› Si decreta omnia in sessione mane celebrata legi non potuerunt, licet eam interrumpere et post vesperas reassumere ad reliqua decreta legenda. Modificationes hoc in casu servandae traduntur sub n. *73.*

TITULUS VI

63 DE MISSA SOLEMNI PRO DEFUNCTIS EPISCOPIS

1 — DIES SELIGENDUS. Die quo praesidi, audito concilio, melius videatur, celebrabitur missa solemnis *Requiem* pro defunctis episcopis illius provinciae, regionis vel nationis, qui inde ab ultimo concilio in Domino obierunt. Seligendus erit dies in quo missa privilegiata defunctorum liceat celebrari; excluduntur proinde dominicae, festa de praecepto, licet suppresso, commemoratio fidelium defunctorum, duplicia I et II classis, etiam translata, aut aliqua e feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. MR Add. et var. III, 6.

2 — ORDO MISSAE. Dicitur 1ma. missa ex iis quae habentur in commemoratione omnium fidelium defunctorum cum oratione *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali...,* tamquam dies anniversaria late sumpta, fundationis ad instar. MR Add. et var. III, 7.

3 — CELEBRANS erit praeses concilii, vel, si maluerit, episcopus ab eo invitandus.

4 — VESTES. Synodales et ceteri, qui in sessionibus sacras vestes induunt, eas pro exsequiis induent, nigri tamen coloris; episcopi et praelati infulati habeant mitras lineas. Si vero missa celebretur ab episcopo ad faldistorium, synodales vestes induent chorales tantum.

5 — PRAEPARANDA. Ecclesiae parabitur uti pro funere solemni; in medio navi aderit castrum doloris et desuper pileum pontificale; intra presbyterium apponentur scamna seu sedilia pro synodalibus; ad altare maius, quae pro missa solemni sunt necessaria parentur.

6 — REGULAE SERVANDAE a synodalibus infulatis eaedem sunt ac pro missa 1mae. sessionis, n. *45,* 4.

7 — PRAEDICATIO. Finita missa sacerdos, ad hoc invitatus, orationem habebit laudativam episcoporum defunctorum illius provinciae seu regionis. Orator loquetur cum cappa nigra, vel habitu praelatitio si sit praelatus, superpelliceo et aliis sacris vestibus minime adhibitis.

8 — ABSOLUTIO. Finita missa seu sermone, praeses concilii qui missam celebravit absolutionem ad castrum doloris *ipse solus* impertiet ritu ordinario (82).

❩ Si missa ad faldistorium celebrata fuit, ea finita, celebrans cum suis ministris ad sacrarium recedit, et legatus sive metropolita, solito more acceptis sacris vestibus, nisi jam sit paratus, ad absolutionem procedit.

TITULUS VII

64 DE SESSIONE AD CONCILIUM CLAUDENDUM

❩ Concilium clauditur processione, missa solemni, missa sicca, sessione, ritibus finalibus.

❩ Pro concilii clausura seligenda erit aliqua solemnitas maior Ecclesiae universalis vel illius regionis seu provinciae.

65 ART. I — PROCESSIO fit ordine tradito pro concilii aperitione, n. *44*.

66 ART. II — MISSA a praeside celebrabitur ritu tradito pro 1ma. sessione n. *45*.

Si ultima sessio concilii celebretur die quo missa votiva pro re gravi permittatur, dicetur missa de SSma. Trinitate in gratiarum actione ritu descripto sub n. *45*, 1, pro missa aperitionis; secus sub unica conclusione cum oratione missae diei addatur oratio *pro gratiarum actione* pro re gravi.

Pallio utetur metropolita *si dies sit de pallio*, secus sine eo celebrabit.

67 ART. III — MISSA SICCA.

1 — ANTIPHONA AD INTROITUM dicitur ut in 1ma. sessione (n. *46*, 1), sed in fine dicuntur orationes propriae duae, videlicet *Ad te, Domine* et *Omnipotens... qui sacro verbi tui.*

2 — LITANIAE OMITTUNTUR et dicitur tantum earum oratio finalis *Deus, qui populis tuis*, ritu in 2.ª sessione tradito, n. *61*, 3.

3 — EVANGELIUM cantatur ut in 1ma. sessione (n. *46*, 3) sed erit *Si peccaverit in te frater tuus* e feria 3.ª post dominicam 3am. Quadragesimae.

4 — LOCATIO EVANGELIORUM SUPER ALTARE fit ut in 1ma. sessione, n. *46*, 4.

68 ART. IV — SESSIO CONCILIARIS.

Veni Creator

1 — Omnia fiunt ut in 1ma. sessione, n. *47*, 1.

Synodalium vocatio

2 — Ut ibidem n. *47*, 3.

Instantia contra absentes

3 — Omittitur, nisi promotoribus videatur necessaria.

Decretorum publicatio

4 — Promotores instabunt ut decreta, inde ab ultima sessione in generalibus congregationibus adprobata, legantur et solemniter adprobentur, quae omnia fiunt ritu tradito in 2.ª sessione sub n. *62*, 6. Tabella III, n. 8.

Interim caeremoniarius 3us. super altare ponit chartam crassam ne mappulae maculentur, atramentarium, et res ad decreta subsignanda necessaria.

Decretorum subsignatio

5 — Promotores de more ad praesidem accedentes, instabunt ut decreta concilii a patribus subscribantur. Tabella III, n. 10.

Praeses respondet *Ita decernimus et mandamus*, et recedunt promotores.

Notarii duo cum decretis subsignandis, debitis cum reverentiis, ad altare accedunt, decreta in media mensa ponunt, et se sistunt ad invicem versi, 1us. a latere evangelii, 2us. a latere epistolae.

Praeses surgit, et, medius inter diaconos assistentes, ad altare accedit, factaque debita cruci reverentia, solus ascendit, et, non deposita mitra, decreta subscribit; in planum descendit, reverentiam conficit cruci cum suis assistentibus, cum quibus ad locum suum revertitur, et sedet.

Synodales cum voce deliberativa, et procuratores eorum qui vocem habent deliberandi (83), juxta ordinem suae praecedentiae, ad altare singulariter accedunt, et, alius post alium, facta reverentia cruci, ascendunt, ac, retenta mitra, decreta subsignant.

› Archiepiscopi qui procuratoris nomine subscribunt, post ceteros archiepiscopos subscribunt; item episcopi qui sunt aliorum procuratores, subscribunt post illos qui nomine proprio intersunt.

› Episcopi seu archiepiscopi subscribunt nomen baptismi et sedis suae tantum (84).

Ultimo loco subscribunt notarii, de rerum gestarum authenticitate testimonium reddentes, ac recedunt, decreta secum ferentes.

Caeremoniarius 3us. atramentarium ceterasque res ex altari amovet.

Instantia ad concilium claudendum

6 — Promotores solito more ad praesidem accedunt ad instandum pro fine concilio imponendo. Tabella III, n. 11.

Praeses respondet jubens exquirere sententiam patrum, et recedunt promotores. Tabella I, n. 1.

Secretarius generalis ex ambone patres de concilio finiendo interrogat (tabella II, n. 6) et omnes respondent simul *Placet*.

Secretarius ex ambone descendit et coram praeside se sistit, relationem voluntatis patrum relaturus. Tabella II, n. 7.

Praeses respondet finem concilio imponens (tabella I, n. 9) et statim secretario tradit decretum ad hoc conscriptum, qui, osculatus manum ejus et iterata reverentia, recedit, et ad suggestum decretum legit; ac, eo lecto, praeses dicit gratias Deo esse agendas. Tabella I, n. 10.

Et respondent omnes *Deo gratias*.

Instantia pro actis

7 — Proceditur ut de 1ma. sessione dictum est, n. *47*, 8, sed 1mus. promotor dicit... *in hac solemni postrema sessione* etc. Tabella III, n. 6.

69 ART. V — RITUS FINALES

Oratio gratulatoria

1 — Sermocinator ad hoc a praeside nominatus, a 2do. caeremoniario comitatus, ad praesidem accedit, et, facta ei reverentia, annulum ejus deosculatur (nisi sit et ipse ex ordine episcopali), ac, iterata reverentia, ad suggestum ascendit, orationem congratulatoriam ad patres, clerum, populumque de concilio feliciter celebrato habiturus.

Oratio ad claudendum

2 — Finito sermone, praeses, deposita mitra, assurgit, omnibus pariter sine mitra surgentibus; ministri de libro et scotula se sistunt ante gradus altaris, et praeses ad illud cum suis assistentibus, qui loca sua mutant, se vertit, et in tono feriali canit orationem *Nulla est, Domine* (85) ad sessionem claudendam, et omnes respondent *Amen.* Finita oratione, praeses acceptis mitra et baculo (synodales mitram induunt), medius inter diaconos assistentes, sequentibus ministris insignium, ad thronum revertitur, facta patribus reverentia cum per eos transit, nisi sit legatus *a latere.*

Osculum pacis

3 — Episcopi et synodales infulati, retenta mitra, facta a singulis debita cruci altaris reverentia si transeant ante illam, ad thronum accedunt, ubi, salutato praeside, ascendunt, et solito more recipiuntur ad osculum pacis, dicente praeside *Pax tecum,* et respondente episcopo *Et cum spiritu tuo;* iterata in plano reverentia praesidi, prout accesserunt, ad loca sua recedunt, et cum omnibus pacem dederit, sedet praeses solus.

Ad loca sua reversi, episcopi pacem *inter se dant et accipiunt ut caritatem conjunctionemque animorum ostendant.* CE 1, 31, 19. Osculum pacis ad invicem dabitur ritu in missa solemni consueto, ita tamen ut singulis pacem dent: 1mus. a latere evangelii pacem dat singulis prout ante eum transeunt, et sic alii usque ad ultimum, et ritu finito, sedent omnes.

❯ In concilio plenario si multi sint patres conciliares, postquam omnes pacem a legato receperunt, ad loca sua reversi, 1mus. in unaquaque linea seu ordine pacem dat proximo, et ita usque ad ultimum, prout in missa solemni, et singuli suis remanent locis (86).

Benedictio papalis

4 — In concilio plenario legatus solemniter impertiet benedictionem papalem cum plenaria indulgentia, iisdem sacris indutus vestibus quibus sessioni interest, quo sequitur ordine.

Canonicus vel praelatus, ad cancellos presbyterii, clero et populo gratiam concedendam his verbis annuntiabit, etiam in lingua vernacula legendis:

Emmus. et revmus. in Christo pater et Dñus. N., S.R.E. Cardinalis tituli N. et huius concilii plenarii N. Legatus Apostolicus, benedictionem papalem cum indulgentia plenaria vere contritis mox erit impertiturus; omnes proinde hortatur ut ad eam sancte recipiendam corda sua disponant.

Facta notificatione gratiae concedendae, surgunt omnes, infulati prius mitra deposita; clerus et populus, praelatis et canonicis loci seu delegatis exceptis, genuflectunt.

Crucifer cum cruce et ministri de libro et scotula coram praeside se sistunt, qui, sine mitra surgens, nec praemisso *Confiteor,* canit *Precibus et meritis, Misereatur et Indulgentiam,* prout in appendice PR habetur, et omnibus solemniter solito more benedicit.

Benedictione impertita, sedet legatus ipse solus, et praelatus seu canonicus qui indulgentiam praenuntiavit, eam ad cancellos publicabit cum formula PR *Attentis facultatibus... Emmo. Cardinali Legato Sanctitatis suae concessis... Eminentia sua revma. Summi Pontificis nomine dat* etc.

Et statim eandem formulam vernacula lingua legit.

❯ In concilio provinciali metropolita eodem modo se gerit, sed ante concessionem indulgentiae cum benedictione papali, legendae erunt litterae apostolicae quibus facultas ad hoc ei conceditur, et in fine legitur formula PR *Attentis facultatibus* etc.

❯ Si benedictio papalis concedatur jure ordinario, prius fit ejus notificatio ut supra habetur, sed dicitur *Exmus. et revmus. ...huius concilii provincialis N. praeses* etc., et in fine dicitur *Attentis facultatibus a jure ei concessis* (CJC 914).

Laudes

5 — Promulgata indulgentia, cantores cantabunt laudes seu acclamationes prout in formulario habentur, et dum cantatur praeses et praelati infulati stabunt cum mitris (87).

Recessus

6 — Laudibus cantatis, 1us. diaconus assistens throni cantat *Recedamus in pace* et respondent omnes *In nomine Christi. Amen.*

Ordinabitur processio ad locum vestitionis, ordine tradito in fine 1mae. sessionis, brevem arripiens viam, ubi omnes, sacris vestibus dimissis et acceptis choralibus, ad diversoria sua se conferunt.

TITULUS VIII

RITUS ALIQUANDO SERVANDI

CAPUT I

IN PRIMA SESSIONE

70 ART. I — SI PRAESES MISSAM NON CELEBRET

I — IN CONCILIO PLENARIO si, gravi de causa, legatus missam aperitionis celebrare nequit:

A — SI PRAESENS ADERIT ALTER S.R.E. CARDINALIS

1 — Missa pontificali ritu ab ipso celebrabitur, qui etiam processioni praeerit.

2 — Finita missa, cardinalis celebrans sacras deponit vestes, et induit pluviale et mitram auriphrygiatam, ac locum suum sumit pro sessione (88).

3 — Legatus solemniter ecclesiam introibit, et, facta reverentia cruci et cardinali, ad thronum suum accedens, deposita cappa, accipit amictum, albam cum cingulo, stolam, pluviale, mitram pretiosam et baculum.

4 — Legatus sessioni praeerit, omniaque faciet ut in titulo III habetur, a sessione ad finem.

B — SI PRAESENS NON ADERIT ALTER S.R.E. CARDINALIS

1 — Missa celebrabitur ad faldistorium a metropolita vel a digniore archiepiscopo praesente.

2 — Legatus paratus processioni praeibit medius inter diaconos throni cum dalmaticis, et missae assistit ad thronum solito more.

3 — Synodales et ministri legati, sacris vestibus induti, missae assistunt, propter sessionem statim post missam celebrandam (89).

4 — Finita missa, celebrans cum suis ministris ad capellam suam recedit ut in n. *60,* 8.

❯ De metropolita celebrante vide n. *72.*

II — IN CONCILIO PROVINCIALI, si gravi de causa metropolita missam aperitionis celebrare nequeat, omnia fiunt ut sub littera B, supra, et missa ab antiquiore suffraganeo celebrabitur.

71 ART. II — SI SESSIO DIVIDATUR

❯ Si sessio 2.ª non sit celebranda, sed tantum 1ma., et ultima, vel si alia de causa ita praesidi videatur, licebit sessionem 1mam. in duabus partibus celebrare ritu inferius posito.

A — SESSIO MATUTINA

1 — Omnia fiunt ut in titulo III, usque ad cantum evangelii inclusive, n. *46,* 1 ad 3.

2 — Post evangelium, praelatus unus infulatus, factis debitis reverentiis cruci et praesidi, e suggestu sermonem ad clerum, populumque habebit synodo congruum, n. *47,* 6.

3 — Finito sermone, praeses solemniter benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria impertietur, ritu tradito in titulo III, n. *69,* 4.

❯ In concilio provinciali, si metropolita privilegio concedendi benedictionem apostolicam non habeat, solemniter more solito dabit benedictionem dicens *Sit nomen Domini benedictum,* et consuetas indulgentias elargietur.

4 — Praeses, synodales et clerus, eodem ordine quo ecclesiam ingressi fuerint, egrediuntur, breviore tamen arrepta via, et sacras vestes dimittunt ubi eas sumpserunt, ac recedunt in pace.

B — SESSIO VESPERTINA

❯ Post vesperas sessio reassumitur ad negotia concilii pertractanda.

1 — Omnes qui in sessione matutina sacras vestes induerunt, sacris ministris exceptis, easdem denuo induunt, et deinde privatim ad loca sua

accedunt. Ultimo loco intrabit praeses cum diaconis assistentibus, ministris insignium et familiaribus.

2 — Evangelistarium a secretario generali ad altare adportabitur ritu tradito pro diacono missae. N. *46,* 4.

3 — Post cantum *Veni, Creator* ritu jam tradito (n. *47,* 1), ad negotia tractanda et cetera facienda proceditur ut in titulo III, n. *47,* 2 ad 11, omittitur tamen sermo, cum jam mane habitum fuit.

4 — Fidei professio, si sit in hac 1ma. sessione facienda, fit ordine tradito in titulo V, n. *62,* 4, 5, antequam instetur pro sequenti sessione vel congregatione generali. N. *47,* 7.

CAPUT II

IN SECUNDA SESSIONE

72 ART. I — ASSISTENTIA LEGATI CAPPA INDUTI

❯ *Si celebrans sit metropolita vel loci ordinarius,* legatus missae assistit indutus cappa, quod servari etiam poterit, si maluerit ipse, in 2.ª et ceteris sessionibus concilii, excepta ultima.

Omnia fiunt ut in titulo III, cum exceptionibus ut infra.

1 — Celebrans sacras induit vestes in capella ad hoc, et, paratus cum suis ministris, exspectabit adventum legati ad faldistorium missae a latere epistolae positum.

❯ Si celebrans sit metropolita non utetur pallio, nec crux ejus defertur.

2 — Super altare aderit septimum candelabrum, quod tamen amovebitur statim post missam.

3 — Legatus missam cum celebrante non incipit, sed in throno.

4 — Benedictiones incensi, subdiaconi post epistolam, diaconi ante evangelium, et aquae, fiunt a celebrante.

5 — Praeses incensatur ad offertorium tantum.

6 — Finita missa, celebrans recedit cum suis ministris ad capellam suam, et legatus ac synodales vestes sacras induunt pro missa sicca et sessione.

7 — Cetera fiunt de more.

73 ART. II — SI SESSIO DIVIDATUR

› Si in 2.ª vel ceteris sessionibus ante ultimam, negotiorum copia id requirat, sessio ad prandium interrumpitur et post vesperas reassumitur.

› Si fidei professio facienda sit in 2.ª sessione, sessio interrumpitur postquam omnes eam emiserunt.

› Si fidei professio jam facta fuerit in 1.ª sessione, vel si plura sint decreta adprobanda, sessio dividitur prout magis opportunum videatur, cauto tamen quod missa sicca dividi nequit.

A — SESSIO MATUTINA

1 — Quando dimittenda est sessio, praeses, accepto baculo, surgit, et, nihil dicens, signum crucis super synodales producit quasi eos dimittens, ac ad thronum suum redit. AEM tomus II, col. 929.

2 — Praeses in throno, synodales in suis locis, ministri in sacrario, vestes sacras deponunt et accipiunt chorales.

3 — Praeses et synodales privatim recedunt.

B — SESSIO VESPERTINA

1 — Praeses et synodales privatim ad aulam conciliarem accedunt, et sacras vestes, prout mane, iterum assumunt.

2 — Praeses, flexis genibus ad faldistorium, recitat orationem *Adsumus, Domine,* deinde, acceptis mitra et baculo, ad locum suum in capite consessus accedit.

3 — Sessio continuatur a loco ubi interrupta fuit, et ad finem perducitur.

CAPUT III

74 IN SESSIONE ULTIMA

1 — SI PRAESES MISSAM NON CELEBRET omnia fiunt ut de 1ma. sessione dictum est n. *70,* sed processio omittitur et synodales sacras vestes accipiunt finita missa solummodo.

2 — SI SESSIO DIVIDATUR (quod tamen minime decet) divisio fit finita missa sicca. Modus dimittendi et iterum incipiendi sessionem habes sub n. *73.*

CAPUT IV

DE S.R.E. CARDINALIBUS IN CONCILIIS

75 ART. I — IN CONCILIO PLENARIO

› Si in concilio plenario, praeter legatum a latere, aderit alter vel plures S.R.E. cardinales, sequentes serventur regulae.

PRAEPARANDA. In aula congregationum parentur sedes nobiles a lateribus legati, et in ecclesia sedes camerales super gradu pro unoquoque cardinali, et genuflexorium sufficiens pro omnibus, sericis rubeis vel violaceis coopertum, prout erunt vestes cardinalium.

A — IN PRIMA SESSIONE

1 — In processione pro aperitione concilii cardinales procedunt cum cappa cardinalitia (90) singuli vel bini, sine ulla assistentia, concomitati tamen a suis familiaribus et a nobili familia, et locum sumunt post archiepiscopos et ante clerum legati.

2 — Cardinales missae assistunt ad sedes ipsis paratas et inter se recitant confessionem et partes fixas missae, quae solent recitari; nullam habebunt assistentiam nec eis inserviunt ministri de libro et candela; caeremoniarius unus tamen prope ipsos stabit.

3 — Cum cardinalis celebrans manus lavat, ceteri cardinales biretum tantum deponunt.

4 — Cardinales incensantur duplici ductu a diacono missae, postquam ipse presbyterum et diaconos assistentes incensavit, et ad incensationem assurgunt cum bireto in manu.

5 — Presbyter assistens, accepta pace a celebrante, eam tradit cardinalibus.

6 — Finita missa, cardinales, dimissa cappa, accipiunt amictum, pluviale auriphrygiatum, mitram inauratam, ministrante caeremoniario et caudatario eorum.

7 — Cum legatus ad faldistorium descendit pro missa sicca, cardinales remanent suis locis.

8 — Ad litanias cardinales genuflectunt, deposita mitra, et legatus solus assurgit ad synodum benedicendam.

9 — In sessione conciliari cardinales sedent prope mensam legati, congrua distantia ab eo, et diaconi assistentes a lateribus legati.

10 — In vocatione leguntur nomina cardinalium ante ceteros omnes, sed cardinales nihil respondent sed biretum aliquantulum deponunt, et notarius, lecto nomine cardinalis legati, genuflectit, sed non pro aliis.

11 — Cum legatus in fine synodales benedicit, cardinales stabunt sine mitra.

B — IN SECUNDA SESSIONE

1 — Cardinales missae assistunt cum cappa cardinalitia, ritu tradito pro 1ma. sessione.

2 — Legatus de more, sacris vestibus indutus, vel cum cappa tantum, ad thronum missae assistit, habens presbyterum et diaconos assistentes; canonicorum circuli tamen omittuntur.

3 — Diaconus cardinales duplici ductu incensat post presbyterum et diaconos assistentes legati, qui cum eo unum corpus efficiunt.

4 — Presbyter assistens celebrantis pacem dat cardinalibus postquam eam a presbytero assistente legati accepit.

5 — Cardinales fidei professionem stantes coram legato emittunt, postquam ipse eam emisit; et dum episcopi idem faciunt, sedent cum mitris.

› In 3.ª seu ultima sessione serventur regulae pro 1ma. sessione datae.

76 ART. II — IN CONCILIO PROVINCIALI

› Casus singularis dari potest, licet in dies rarissimus, de celebratione concilii provincialis a metropolita non cardinali, cui interveniat cardinalis, vel in loco concilii commorans, vel suffraganeus, in quo casu sequentes serventur regulae:

1 — Concilio praeest metropolita qui proinde *intra concilium* praecedit cardinalem (91).

2 — Cardinalis missis assistit cum cappa in throno a latere epistolae, sine canonicorum assistentia, quae praesidi tantum debetur.

3 — Metropolita solito more concilio praeest, missas celebrat vel assistit ad thronum, omissis canonicorum circulis.

4 — Metropolita crucem suam habebit ante se.

5 — In processionibus cardinalis cum cappa procedit immediate ante metropolitam; quod si et ipse metropolita sit indutus cappa, ambo insimul ambulant; cardinalis a sinistris, metropolita a dextris.

6 — In sessionibus et congregationibus cardinalis sedebit in sede nobili ejusdem altitudinis ac sedes metropolitae, sed a sinistris ejus.

7 — Cum genua flectunt ad faldistoria, metropolita se sistit a dextris, cardinalis a sinistris.

› In concilio provinciali si metropolita sit cardinalis et alter cardinalis praesens aderit, sequentur regulae datae in art. I huius capitis pro concilio plenario, prout ibi de legato dictum est, n. *75*.

TITULUS IX

77 DE SERVANDIS POST CONCILII CELEBRATIONEM

1 — ADPROBATIO. Decreta concilii plenarii et provincialis, finito concilio, ad sacram Congregationem Concilii mittuntur, ejusque subjiciuntur adprobationi, priusquam promulgentur. CJC 291 (92). Si vero concilium in locis missionum celebratum fuerit, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide erit decreta recognoscere. CJC 304 § 2.

2 — PROMULGATIO. Habita Sanctae Sedis adprobatione, decreta a legato vel a metropolita promulgantur juxta modum a patribus prius determinatum. CJC 291 § 2.

3 — OBLIGATIO. Decreta concilii, statim post eorum promulgationem, vi legis fruuntur in toto territorio concilii (nisi aliter a concilio statutum fuerit, CJC 291 § 1), et proinde servari debent ab utroque clero et a fidelibus prout eos respiciunt.

4 — DISPENSATIONES decretorum concilii subjiciuntur legibus communibus Ecclesiae circa dispensationes; singuli proinde ordinarii nequeunt dispensationes concedere nisi in casibus singularibus et justa de causa. CJC 291 § 2.

5 — EXPENSAE in celebratione conciliorum habitae aequanimiter dividi debent inter locorum ordinarios qui ad ea vocantur.

6 — LITTERAE PASTORALES. Locorum ordinarii post concilii celebrationem solent epistolam pastoralem ad clerum populumque dirigere, illos de rebus in concilio gestis certiores reddentes ad fidei incrementum, morumque emendationem.

TITULUS X

DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS

CAPUT I

78 PRAENOTANDA

Nostris hisce temporibus, ob difficultates conciliorum celebrationi annexas, vel aliis de causis, solent episcopi provinciae, regionis, vel nationis, privatim convenire et quaestiones ad regimen gregis Christi pertinentes discutere et uniformiter resolvere (93).

1 — Codex juris canonici, servata solemnitate conciliorum propria (94), jubet ut episcopi unius provinciae *conferentias* saltem quinto quoque anno celebrent, et ut in ipsis praesertim de praeparando futuro concilio agant (CJC 292 § 1); quae quidem *conferentiae* conciliorum celebrationem facilius reddunt, ex eo quod res agendae tempestive discutiuntur et ordinantur (95).

2 — Ad *conferentias* vocandi sunt a metropolita, vel, eo impedito, ab antiquiore suffraganeo, praeter omnes suffraganeos, etiam archiepiscopi suffraganeis carentes, episcopi exempti, abbates vel praelati nullius. CJC 285 et 292.

3 — Praeter *conferentias* episcoporum uniuscujusque provinciae, in multis nationibus, de venia Sanctae Sedis, habentur conlationes omnium episcoporum nationis vel regionis ad instar concilii plenarii. In Gallia solent quotannis conlationem habere cardinales et metropolitae omnes. In Italia standum rescripto S.C. Concistorialis diei 22 Martii 1919: regiones enim conciliares sunt etiam conlationum, quae quotannis sunt habendae. AAS 1919, pg. 177; 1932, pg. 242.

4 — Tametsi episcopi possint leges pro sua dioecesi modo quo velint promulgare (CJC 335 § 2), proinde etiam dum extra territorium degunt, conlationes episcoporum non exstant ad leges promulgandas, quod conciliorum proprium est.

5 — Decet ut de rebus gestis maioris momenti episcopi Summum Pontificem certiorem reddant, ejusque concilium in agendis difficilioribus, praesertim cum agatur de jure publico ecclesiastico, perquirant. Praeterea ad S.C. Concilii pertinent *ea omnia quae... ad episcoporum conferentias referuntur.* S.C. Concilii 21 Junii 1932, AAS 1932, pg. 243.

CAPUT II

79

ORDO SERVANDUS

❯ Nihil habet jus circa modum quo episcopi convenire debent pro conlationibus, sunt enim modo privato tractandae; nihil tamen impedit, immo convenit ut aliqua cum solemnitate habeantur, pro qua sequentes dantur normae.

1 — *Conferentiae* initium habebunt cum missa de Spiritu Sancto, si ritus diei missas quotidianas votivas permittat, quae a juniore episcopo praesente celebrabitur, cum assistentia praesulum in habitu praelatitio, cum manteleto super rocheto.

2 — Ante initium sessionis praeses recitabit sine cantu orationem *Adsumus, Domine* ut in conciliis, et in fine dicit orationem *Agimus tibi gratias.*

3 — In negotiis pertractandis, quantum fieri poterit, servetur *ratio deliberandi* pro concilii congregationibus data, nn. *52-57.*

CAPUT III

80

DE CONCILIORUM SCHEMATE

Schema concilii vocatur decretorum redactio prout congregationibus concilii erit proponenda; in ejus praeparatione sequentes serventur normae:

1 — Quoad dispositionem materiae servandus est ordo CJC, quod quidem a Sacra Congregatione Concilii exigitur.

2 — Conciliorum decreta minime sunt *canones* vocanda (96).

3 — Decreta non sunt sine necessitate multiplicanda, et, quantum fieri poterit, brevia sunto.

4 — Res tractandae sint objectivae et practicae.

5 — Decreta debent praesertim:

1) Observantiam legum exsistentium, tum universalis Ecclesiae, tum illius regionis, urgere.
2) Media praecipere necessaria ad fidei incrementum, morumque emendationem.
3) Abusus in rebus liturgicis forte irreptos corrigere.
4) Disciplinam in utroque clero tueri.
5) Praefinire cathedraticum (CJC 1504) et taxas uniformes ad normam canonum 1507 § 1; 1909 § 1.

6 — In schemate declarentur res judicio Sanctae Sedis subjiciendae vel indulta postulanda ad maiorem uniformitatem habendam, v.g. in calendario, in festivitatibus de praecepto servandis, in jejunio, vel alia, quae opportuna videantur.

7 — Concilium non sibi proponat edere compendium theologiae dogmaticae, moralis vel pastoralis, neque liturgiae.

❯ Quoad legum praecedentiam vide regulam pro synodis datam, n. *85,* 10.

CAPUT IV

81

ORDO SERVANDUS IN CONFECTIONE SCHEMATIS

Normae (pro lubitu) servandae.

1 — Episcopi in *conferentia* de futuro concilio convocando nominabunt commissionem ad schema praeparandum, quae in subcommissiones dividetur, prout a diversitate materiae exigetur.

2 — Subcommissiones constabunt praeside et peritis, e quibus unus fungitur officio secretarii et redactoris.

3 — Textus subcommissionum, facta redactione a relatore, a praeside ad commissionem schematis mittuntur.

4 — Textus a commissione acceptus prout jacet, vel adjectis mutationibus, ad episcopos mittitur et unusquisque mutationes faciendas, omissiones vel additiones proponit, et textum ad commissionem devolvit.

5 — Commissio textum revisum cum modificationibus ab episcopis propositis, proximae eorum *conferentiae* proponit, ubi schema discussionibus et votationi subjicitur, priusquam concilium convocetur.

6 — Decet ut post ultimam conlationem episcoporum, quae ante concilium proxime celebrandum coadunatur, schema futuri concilii ad Sacram Congregationem Concilii mittatur, ut modificationes, si quae sint faciendae, ante celebrationem concilii fiant.

CAPUT V

82

DE APPENDICE AD CONCILIUM

› Decet edi in volumine altero appendix ad concilii decreta, in qua conjunctim habeant parochi et sacerdotes quae sequuntur :

1 — Caeremoniale particulare cum ritibus qui in libris liturgicis desiderantur, videlicet : pro missa jubilari sponsorum et sacerdotum ; pro renovatione votorum baptismi in die 1mae. communionis puerorum ; pro abjuratione haeresis in lingua vernacula ; aliiqui ritus forte necessarii.

2 — Relatio hymnorum et orationum in vernaculo, quae adprobantur pro usu publico in ecclesiis ad normam CJC 1259, ceteris prohibitis.

3 — Principaliora decreta Sanctae Sedis quae prae manibus habere quis debeat.

4 — Formularium in curiis episcopalibus adhibendum.

5 — Instructiones servandae in causis matrimonialibus pertractrandis.

6 — Exemplaria folia pro libris et notificationibus paroecialibus ; pro inventario ecclesiarum conficiendo ; pro annua relatione ad episcopum a parochis et ecclesiarum rectoribus mittenda.

FORMULARIUM PRO CONCILIORUM CELEBRATIONE

FOLIA ET LIBELLI TYPIS EXCUDENDA

) A Curia Conciliari tempestive ante inchoationem concilii typis erunt edendi et synodalibus, officialibus, aliisque a quibus petentur distribuendi, libri et folia ut infra :

1 — SCHEMA DECRETORUM, synodalibus et officialibus tantum distribuendum.

2 — CAEREMONIALE CONCILII, seu Ordo Servandus in sacris functionibus concilii obeundis, adjectis orationibus dicendis.

3 — ORDO A COETIBUS CONCILII SERVANDUS in negotiis pertractandis.

4 — INSTRUCTIONES synodalibus mittendae una cum litteris adunationis concilii, in quibus declarentur quaenam vestes praelatitiae et sacrae sint ad concilium adportandae; regulae statutae pro tempore concilii quoad hospitium, vel alia quarum cognitio synodalibus necessaria est antequam ad civitatem concilii adveniant.

5 — ELENCHUS SYNODALIUM, procuratorum, consultorum et officialium concilii, juxta ordinem praecedentiae, adjectis titulis, dignitatibus, officiisque uniuscujusque, necnon directione.

6 — TABELLA FUNCTIONUM ET COETUUM, indicativa diei, loci et horae eorum; necnon vestium choralium vel sacrarum ab unoquoque synodali adhibendarum; addentur etiam aliae informationes opportune cognoscendae.

7 — LAUDES in fine concilii concinendae et in ultima sessione distribuendae, adjectis notis musicis.

JUSJURANDUM PRO OFFICIALIBUS

❯ Formula legitur nomine omnium a secretario generali concilii, vel, si ipse sit episcopus, a subsecretario.

Nos ab emmo. (exmo.) ac revmo. praeside huius concilii plenarii (privinciali) N. electi officiales, tactis per nos sacrosanctis Dei Evangeliis, promittimus et juramus officium unicuique nostrum respective demandatum fideliter impleturos, nec insuper evulgaturos, vel alicui extra graemium praedicti pandituros, quaecumque in eodem concilio examinanda proponentur; itemque discussiones et singulorum sententias; sed super iis omnibus, quemadmodum et super aliis rebus quae nobis specialiter committentur, inviolabilem secreti (ad mentem decreti in concilio edendi), fidem servaturos. CV col. 16.

Mox singuli officiales, juxta ordinem quisque suum, ad praesidem concilii accedunt, et, dextera sacro Evangeliorum libro imposita, praelectam formulam coram Praeside ratam habebunt dicentes:

Ego N. electus ad officium N. promitto et juro formulam praelectam. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia. CV col. 16.

❯ Si quis officialis ex ordine sacerdotali utatur pileolo, illud dimittit cum ad praesidem accedit ad sacramentum ratificandum.

FORMULAE PRO DECRETIS CONCILIARIBUS CONSCRIBENDIS

› Litterae indictionis concilii ad singulos ad concilium vocandos nominatim mittendae, a legato pro plenario, a metropolita pro provinciali, conscribentur modo quo ipsi placuerit.

Decreta quae sequuntur in sessionibus conciliaribus promulgantur, sed prius in generali congregationi praesynodali, vel in congregatione quae sessionem prumulgationis praecedit, leguntur.

› Formulae quae sequuntur excerptae fuerunt, 2.ª excepta, ex *Ordine in plenario concilio Piceno servando,* Romae, Typis Vaticanis 1928.

I — DECRETUM DE CONCILIO INCEPTO

IN NOMINE SANCTISSIMAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS:
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI

Apostolica auctoritate, a SS. D.N.N. Nobis conlata, iam pridem nostris litteris diei... nuper elapsi, votis Sacrorum Antistitum N. nationis (regionis) annuentes, plenarium concilium N. die... quae est... huius mensis... in Ecclesia N. solemniter inchoandum, convocavimus seu indiximus.

Quum itaque statuta dies auspicato advenerit, quumque omnia parata sint, ad maiorem Dei gloriam, ad beatae et Immaculatae Virginis Mariae eiusque castissimi Sponsi sancti Ioseph honorem, ad omnium Sanctorum N. nationis (regionis) Patronorum laudem, ad praestitutos canone 290 Codicis juris canonici fines assequendos, Nos eadem apostolica qua pollemus auctoritate, deque concilii patrum assensu, per praesens decretum statuimus et declaramus, hac ipsa die, adiuvante Dei gratia,

plenarii concilii N. initium fieri et iam factum esse. Deum interea humiliter adprecamur ut quod Ipse coepit, perficiat consolidetque.

Datum N., die (1mae sessionis)

N. (Praesidis)

) Haec formula, pro convocatione concilii plenarii conscripta, mutatis mutandis, etiam pro provinciali poterit inservire.

II — DECRETUM DE OFFICIALIBUS CONCILII NOMINANDIS

Quoniam, juxta monitum Caeremonialis Episcoporum, officiales in Concilio deputandi sint, ut omnia cum ordine et optata dignitate peragantur, de consensu exmorum et revmorum. Patrum, ad varia officialium munera nominare decrevimus:

Promotores: NN.
Secretarium generalem: N.
Subsecretarium: N.
Secretarios adjunctos: NN.
Notarios: NN.
Praepositum caeremoniis: N.
Subcaeremoniarium: N.
Caeremoniarios adjunctos: NN.
Ostiarios: NN.

Quique satagant officiorum suorum munera omni cum diligentia, maximaque adhibita cura, explere, ad huius concilii plenarii (provincialis) N. honorem et decorem.

Datum N., die... (1mae. sessionis)

N. (Praesidis).

III — DECRETUM DE MODO VIVENDI IN CONCILIO

Cum in memoriam recordationemque Nostram redit illud Spiritus sancti *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam,* in aggrediendo opere gravissimo, quod intendimus, ad Illum nobis confugiendum est, *a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit, ad Patrem luminum, qui postulantibus sapientiam largitur affluenter, et qui dat velle et perficere pro bona voluntate.* Quare in hoc Concilio plenario celebrando, non viribus nostris exiguis confisi, sed Dei unius ope atque auxilio freti, supplices ab Eo deprecamur, auspice beata et immaculata Virgine Maria, ut sedium suarum assistricem sapientiam mittat, quae Patribus huius Concilii plenarii (provincialis) adsit, et cum ipsis laboret. Obsecramus igitur vos, exmos. et revmos. Episcopos et Fratres nostros, atque in Domino exhortamur, ut ad Concilium promovendum egregias vestras animi dotes et salutaria concilia sanctasque preces conferatis; venerabiles quoque sacerdotes, qui nobiscum congregati sunt, paterno amore per viscera misericordiae Dei obtestamur ut, ad mentam Concilii Tridentini (sess. II), sacrosanctum Missae sacrificium devote Deo offerant, vitae sanctitate fidelibus praeluceant, ac sincero studio omnes in unum cooperantes ea omnia praestare satagant, quae ad felicem Concilii exitum apta et condigna videantur.

Datum N., die... (1mae. sessionis)

N. (Praesidis)

IV — DECRETUM DE PRAEIUDICIO NON AFFERENDO

Si contigerit ut quis in plenarium (provinciale) Concilium non iure admissus, vel proprio suo loco non sedeat, sententiamve dicat, aut aliud quidpiam agat; vel si forte, aliqua ratione, quae sunt cuique propria privilegia non concedantur, decernimus ac declaramus, ad tramitem Concilii Tridentini (sess. II), nullum ipsi ius novum esse ideo acquirendum vel praeiudicium inferendum. Omnium enim iura sarta tectaque esse volumus. Vide notam 48.

V — DECRETUM DE NON DISCEDENDO

Cum vi canonis 289 Codicis iuris canonici: Concilio plenario (provinciali) inchoato, nemini eorum qui interesse debent, liceat discedere, nisi iustam ob causam a Legato pontificio (vel a Concilii provincialis Patribus) probatam; idcirco praecipimus ne quis eorum, qui ad plenarium (provinciale) Concilium convenerint, discedat, antequam ipsum Concilium absolutum fuerit, eiusque decreta subscripta, nisi, judicibus referentibus, iustam ob causam a Nobis (a patribus Concilii huius provincialis)

probatam, Nostram discedendi licentiam obtinuerit, et, si fuerit Episcopus residentialis, nisi praeterea procuratorem legitime constituerit, qui ipsius gerat vices.

Datum N. die... (1mae. Sessionis)

N. (Praesidis)

VI — DECRETUM DE SECRETO SERVANDO

Cum iuxta praescriptum canonis 291 Codicis iuris canonici absoluto Concilio plenario (provinciali), acta et decreta omnia ad S. Sedem a Praeside transmittenda sint, nec eadem antea promulganda sint quam a S. Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint, ideo omnibus, qui ad hoc plenarium (provinciale) Concilium convenerint, mandamus, ut de decretis a Concilio statuendis secretum omnino servent, donec haec eadem recognita et promulgata fuerint; de ceteris vero actis silentium juxta prudentiae leges custodiant.

Datum N. die... (1mae. sessionis)

N. (Praesidis)

VII — DECRETUM DE PROFESSIONE FIDEI EMITTENDA

Cum inter omnes pastoralis officii sollicitudines, illa potissimum prima esse debeat ut Fides catholica, quam Sacrosancta Romana Ecclesia tenet, et quae solidissimo *Petrae* fundamento nititur, incorrupta in Christifidelibus nostrae nationis (regionis) vigeat et augescat, decernimus et statuimus ut, ab unanimi professione eiusdem Fidei, quam salutis humanae initium et fundamentum praedicamus, praesentis quoque Concilii actiones sumant exordium et incrementum. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Idcirco Patrum exempla et S. Concilii Tridentini (sess. XXIV, cap. 12) ac Codicis Juris Canonici (canone 1406) ordinationes pie venerantes, praecipimus, et exmos. et revmos. Patres in hoc Concilio congregatos invitamus, ut professionem catholicae Fidei secundum formulam a Sede Apostolica probatam emittant, et, iuxta *Motu proprio Sacrorum Antistitum,* iusiurandum contra modernismum addant.

Datum N. die...

N. (Praesidis)

VIII — DECRETUM DE CONCILIO SUBSCRIBENDO

Cum iuxta laudabilem consuetudinem in conciliis plenariis (provincialibus) ab immemorabilii tempore receptam, ea quae statuta et sancita fuerunt, subscriptione singulorum Patrum firmentur, fraterna caritate exmos. ac revmos. Patres, qui huic plenario (provinciali) Concilio intersunt, obsecramus ut, ad altare accedentes, Nobiscum decreta ipsius Concilii propria manu subscribere velint.

Datum N. die... (ultimae sessionis)

N. (Praesidis)

IX — DECRETUM DE CONCILIO FINIENDO

Concilium plenarium (provinciale) N. quod die... huius mensis... invocato Dei nomine, implorata beatae et immaculatae Virginis Mariae, eiusque castissimi Sponsi sancti Ioseph intercessione, auspicantibus omnibus N. nationis (regionis) Patronis, sollemniter inchoatum est, hodierna die ad felicem exitum iam pervenit. Summas igitur omnipotenti Deo gratias agentes pro universis beneficiis, quae nobis omnibus in hoc Concilio conferre dignatus est, de exmorum. et revmorum. Patrum assensu decernimus, hac ipsa die... plenario (provinciali) Concilio N. finem imponi, et impositum esse.

Datum N. die... (Postremae sessionis)

N. (Praesidis)

❯ Si Concilium erit prorogandum, edetur decretum de ejus prorogatione, et decretum de finiendo in fine concilii tantum edetur; edictum alterum de nova convocatione erit suo tempore edendum, sed non iterum aperitur concilium quia clausum non fuit.

TABELLAE PRO CONCILII CELEBRATIONE

I — TABELLA PRAESIDIS

1 — Quoties exquirenda est patrum sententia dicit:

Habeatur exmorum. ac revmorum. Patrum sententia.

2 — Cum tradit secretario decretum legendum dicit:

Legatur seu *Legantur.*

3 — Post lectionem decreti aperitionis dicit:

Decretum placuit omnibus patribus; itaque decernimus concilii N. plenarii (provincialis) initium fieri et jam factum esse.

4 — Post instantiam pro vocatione dicit:

Vocentur.

5 — Post instantiam contra absentes dicit:

Admittimus et committimus.

6 — Post decretorum approbationem a patribus dicit:

Decreta (um) placuerunt (it) patribus, ideoque agendae sunt Deo gratiae.

7 — Instantiis promotorum obtemperans dicit:

Ita decernimus et mandamus.

8 — Jubens exsequias celebrari pro defunctis episcopis dicit:

Eas celebrabimus die... hora... (tali loco), *si patribus placeat.*

9 — Finem concilio imponens dicit:

Placuit omnibus patribus; itaque decernimus huic N. synodo plenariae (provinciali) finem fieri et jam factum esse.

10 — Lecto decreto de concilio finiendo dicit:

Cum concilium nostrum ad finem usque feliciter pervenit, gratiae sunt Deo agendae.

II — TABELLA SECRETARII

1 — Patres de initio concilii interrogans dicit:

Exmi. ac revmi. Patres,

Placetne vobis concilii plenarii (provincialis) N. initium nunc fieri?

2 — Patres de decretis lectis (in congregationibus) seu promulgatis (in sessionibus) interrogans ait:

Exmi. ac revmi. Patres,

Decreta (vel alia) *modo lecta (promulgata) placentne vobis?*

3 — Exitum votationum praesidi patefaciens dicit:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Decreta omnibus placuerunt vel *Decretum omnibus placuit.*

❯ Vel si non omnibus placuit dicit *duobus* (vel quot) *exceptis...*

4 — Vota Patrum de proxima sessione exquirens dicit:

Exmi. ac revmi. Patres,

Placetne vobis sessionem (congregationem generalem).. fore die...

5 — Vota Patrum de proxima sessione praesidi referens dicit:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Placuit patribus... sessionem (congregationem generalem) fore die...

6 — Patres interrogans de concilio finiendo dicit:

Exmi. ac revmi. Patres,

Placetne vobis, ad Dei omnipotentis laudem, huius plenariae (provincialis) synodi finem jam fieri?

7 — Praesidi referens vota Patrum dicit:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Placuit patribus huius plenariae (provincialis) synodi initium (finem) jam fieri.

III — TABELLA PROMOTORUM

1 — Instantes pro concilii aperitione dicunt:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Quoniam per edictum Dominationis tuae emmae. (exmae.), diei... mensis... huius (elapsi) anni, celebrandum nunc est concilium plenarium (provinciale) N., nos, huius concilii promotores, requirimus ut ipsum auctoritate apostolica (ordinaria) apertum declarare jubeas, ad maiorem omnipotentis Dei gloriam et huius nationis (regionis-provinciae) honorem et decorem.

2 — Instantes pro synodalium vocatione dicunt:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Nos huius concilii plenarii (provincialis) N. promotores, instamus ut ad patrum vocationem procedere jubeas, ut de eorum praesentia certius fiat concilium.

3 — Instantes contra absentes dicunt:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Quoniam plures patres ad hoc tam nobile concilium convocati non convenere, nos, ejusdem concilii promotores, instamus ut nomina eorum judicibus concilii tradas.

4 — Instantes pro promulgatione decretorum ad concilii ordinationem dicunt:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Illud in more est ut in initio conciliorum decreta pro recta ejusdem ordinatione edantur; ideo rogamus Dominationem tuam emmam. (exmam.) ut decreta ad hoc necessaria promulgentur.

5 — Jubentes ut dies proximae sessionis statuatur dicunt:

Quum plurima alia decreta sint solemniter publicanda et approbanda, rogamus Dominationem tuam emmam. (exmam.) ut proximam sessionem indicere velit.

6 — Jubentes ut actorum instrumentum conficiatur dicunt:

Rogamus vos, huius concilii plenarii (provincialis) N. revmos notarios hic praesentes, ut de omnibus et singulis in hac sessione peractis instrumentum conficiatis.

» In ultima sessione dicunt:

In hac solemni postrema sessione.

7 — Instantes ut ad fidei professionem procedatur dicunt:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Quoniam ex veteri Patrum instituto, sacratiora Ecclesiae concilia fidei confessionem veluti scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum apponere consueverunt: ideo nos plenarii (provincialis) huius concilii promotores coram Dominatione tua emma. (exma.) instamus ut ad tramitem praescriptionis codicis juris canonici (1406, § 1, 1.°) eam coram concilio emittas, et ab omnibus ejusdem concilii synodalibus emitti jubeas.

8 — Instantes ut decreta adprobata edantur dicunt:

Emme. (exme.) ao revme. Pater,

Cum decreta jam sancita et communi omnium Patrum assensu comprobata sint, omni qua par est reverentia instamus ut edentur et publicentur.

9 — Instantes pro solemnibus exsequiis:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Cum e memoria omnium nostrum exiri nequeunt nomina tot venerabilium antistitum qui in vinea Domini admodum olim adlaboraverint in nostris his regionibus, nos, huius concilii plenarii (provincialis) N. promotores, rogamus Dominationem tuam eminentissimam (excellentissimam), ut pro illis omnibus exsequias solemnes celebrari jubeas.

10 — Instantes ut decreta adprobata subsignentur, dicunt:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Cum haec synodalis actio ad finem jam pervenerit, instamus ac petimus, ut decreta adprobata, ab illis omnibus subsignentur qui vocem decisivam in concilio habent, sive ab eorum procuratoribus.

11 — Instantes ut concilio finis imponatur, dicunt:

Emme. (exme.) ac revme. Pater,

Cum ea quae ad fidei incrementum, morum emendationem, disciplinamque in clero tuendam in hac natione (regione vel *provincia), sapienter sint ab hoc concilio enacta, divina auxiliante gratia, nos, huius concilii N. promotores, instamus atque petimus, ut huic finem imponere et iam imponi decernatis.*

LAUDES HINCMARI

Christus vincit — Christus regnat — Christus imperat

Benedictus Dominus Deus Patrum nostrorum qui concilium nostrum opitulatum gratia sua adunavit, direxit et ad finem feliciter perduxit!

Gloriosissimo Pontifici N., sanctissimo et universali Papae vita!

Exaudi Christe!

Salvator mundi	— Tu illum adjuva
Sancte Petre	— Tu illum adjuva
Sancte (N. Papae)	— Tu illum adjuva
Sancte (N. Patroni ejus)	— Tu illum adjuva

IN CONCILIO PLENARIO TANTUM:

Eminentissimo Purpurato Principi N., Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali N., Sanctissimi Domini nostri Papae huic concilio a latere suo legato:

Pro bonitate amor, pro laboribus merces, pro meritis corona!

Exaudi Christe!

Salvator mundi	— Tu illum adjuva
Sancte N. (Cardinalis)	— Tu illum adjuva
Sancte N. (Tituli)	— Tu illum adjuva
Sancte Carole	— Tu illum adjuva
Sancte Roberte	— Tu illum adjuva
Sanctorum cardinalium conlegium	— Tu illum adjuva

❯ Idem repetitur, mutatis mutandis, pro aliis cardinalibus forte concilio intervenientibus.

Excellentissimo Domini Apostolici Nuntio N. Archiepiscopo N. Sanctae Sedis perillustri repraesentanti:

In officio suo concordia et pax.
Omnium nostrum veneratio.

Exaudi Christe!

Salvator mundi — Tu illum adjuva
Sancte N. — Tu illum adjuva

Amplissimo Domino nostro N. huius Ecclesiae N. angelo perillustri :

In gubernando grege Christi firmitas et rectitudo! Omnium nostrum pietas fidelis! In Sede sua stet et pascat!

Exaudi Christe!

Salvator mundi — Tu illum adjuva
Sancte N. (episcopi) — Tu illum adjuva
Sancte N. (sedis) — Tu illum adjuva

Colendissimo Antistitum ecclesiarum omnium N. (nationis, regionis, provinciae) coetui cum universo clero et populo :

In concordia firmitas, avitae virtutis insignia!

Exaudi Christe!

Salvator mundi — Tu illos adjuva
Sancte N. — Tu illos adjuva

❱ Invocentur sancti titulares seu patroni antistitum juxta eorum praecedentiam, et si duo vel tres aderint cum eodem nomine, iterum et tertio repetitur invocatio.

Sancte Carole — Tu illum adjuva
Sancte Francisce Salesi — Tu illum adjuva
Sancte Alphonse — Tu illum adjuva
Honorabilis Pontificum Ordo — Tu illos adjuva

Abbatibus illustrissimis qui huic concilio ornamentum fuerunt :

In tempore prosperitas, in aeternitate laetitia!

Exaudi Christe!

Salvator mundi — Tu illos adjuva
Sancte Benedicte — Tu illos adjuva
Sancte N. — Tu illum adjuva

❱ Citantur nomina sanctorum patronorum abbatum ad concilium praesentium.

Omnes Sancti abbates — Vos illos adjuvate

Illustrissimis praesulibus ad concilium nostrum invitatis :

Rerum ubertas, christiana virilitas, nobilia virtutis praelia!

Exaudi, Christe!

Salvator mundi — Tu illos adjuva
Sancte N. — Tu illum adjuva

❱ Citantur nomina sanctorum eorum patronorum.

Praestantissimis huius concilii officialibus qui concilium nostrum tam praeclare ordinavere :

Pro laboribus gratias. Omnium nostrum gratulatio.

Exaudi Christe!

Salvator mundi — Tu illos adjuva

❱ Aliae invocationes poterunt, juxta locorum et personarum conditiones, adjungi.

LAUDUM COMPLEMENTUM

Christus vincit! Christus regnat! Christus imperat!

Lux, via et vita nostra,
Rex regum,
Gloria nostra.

Christus vincit! Christus regnat! Christus imperat!

Ipsi soli imperium,
Gloria et potestas,
per immortalia saecula saeculorum. Amen!

Vos Pastores — Deus elegit
In vestris sedibus — Vos conservet
Annos vitae — Deus multiplicet.

Feliciter — Feliciter — Feliciter

Tempora bona faxit nobis Deus.

AD MULTOS ANNOS

NOTAE AD SECTIONEM II

(27) Jus canonico-liturgicum de conciliorum celebratione habes in PR *Ordo ad synodum*, in CE, I, 31, et in CJC 281-291. In antiquioribus editionibus PR legebatur *Ordo ad concilium provinciale seu synodum celebrandum.* Caput unicum PR tamen est *Ordo ad Synodum*, tum dioecesanam, tum provincialem seu plenariam, licet rubricae et instructiones magna ex parte agant de dioecesanis tantum. PR tradit ordinem in solemnibus sessionibus servandum solummodo. CE rubricas PR complere sibi proposuit. CJC principaliores leges circa conciliorum celebrationem redegit. Quamplurimae vero quaestiones, et quidem non spernendae, nullibi tractantur. In praxi proinde, si excipias ritus sessionum prout in PR habentur, concilia diversos ordines servaverunt in negotiis expediendis; nec defuere in antiquioribus et recentioribus discussiones et morosa negotiorum expeditio, ob defectum methodi et ordinis tempestive stabiliti.

Nonnulli patres, qui in concilio Vaticano postulata habuerunt de conciliorum celebratione, etiam postulaverunt ut methodus in illis servanda a Sede Apostolica daretur. Quousque talis methodus habeatur, methodus hic exposita utilis esse poterit.

Praeter leges in CE, PR, et CJC exsistentes, sequuti sumus, ubi potuimus, regulas et usus in Vaticano Concilio servatos; nam negotia tum in concilio provinciali tum in plenario sive generali eodem modo tractantur. Cl. Martinucci, qui functus est officio 2di. magistri caeremoniarum in Concilio Vaticano, magna cum auctoritate de conciliorum celebratione scripsit et nobis adjumentum fuit; sanctus Carolus Cardinalis Borromeus tamen hac de re dux est et magister.

(28) De conciliis provincialibus et nationalibus elapso saeculo celebratis, et quomodo viam explanavere ad Vaticanam synodum celebrandam, habes apud Granderath, CV col. 105 ss.

(29) Concilium plenarium vel provinciale nomen *sancti* sibi dare nequit, nam tale vocabulum conciliis oecumenicis exclusive reservatur, quae speciali modo praesentia Sancti Spiritus honestantur. Pius V litteris ad Archiepiscopum Valentinum anno 1565, apud Benedictum XIV, de Synodo, lib. I, cap. III, n. 1. Sed nec alii tituli, uti *insigne* vel *venerabile*, assumere potest concilium particulare.

(30) Concilia nationalia aliquando prohibuit Sancta Sedes tamquam inopportuna; sic concilium nationale Germaniae et aliud Galliae prohibuit Pius IX. Col.

Lac. tom. 5, col. 990; tom. 4, col. 2; tom. VII, CV col. 106. Vide Wernz-Vidal, Jus canonicum, tomus II, de personis, pg. 566, nota 32. Sub pressione civilis potestatis vel spiritus tenebrarum, non defuere, decursu temporis, qui voluere vi conciliorum Ecclesiam Dei nationalizare. De variis haeresibus circa conciliorum celebrationes consule theologos et canonistas. Errores Febronii et Synodi Pistoriensis condemnavit Pius VI in bulla *Auctorem fidei*, 28-8-1794, prop. 85, Denzinger 21-23, 1593-1599.

Hodie tamen, propter vias communicationum in dies faciliores, concilia nationalia ubique gentium coadunantur, amplissimos fructus Ecclesiae afferentes, abusus in unaquaque natione corrigentia et uniformitatem in ecclesiastica disciplina et actione catholica introducentia; ita ut jam nunc dicere licet conciliorum provincialium celebrationem obsoleta devenisse, nam loco eorum advenerunt concilia regionalia et nationalia.

(31) Nationes maiores nonnullae in regionibus conciliaribus dividuntur. Pro regno Italiae S.C. Concistorialis novendecim regiones efformavit, quas habes apud APC 1936, pg. 508. AAS 1919 pg. 72 et 175.

(32) Licet hic non agatur de conciliis generalibus celebrandis, tamen de expositione nostra facile colligi potest methodus in illis servanda, cum eodem modo persolvantur, concilium generale vero in sessionibus seu partibus dividitur. Ritus PR originem suam a conciliis generalibus duxit, et in Concilio Vaticano, mutatis mutandis, idem servatus fuit ordo.

(33) Recentissime Summus Pontifex legatum suum pro Concilio Plenario IV Australiae et Novae Zelandiae constituit apostolicum in loco Nuntium; forsan quia difficilis erat praesentia unius e S.R.E. cardinalibus. AAS 1937, pg. 429. In hoc casu metropolita utetur mozeta super manteletum pro receptione legati.

(34) Ad Concilium Plenarium Americae Latinae vocati fuerunt Romae metropolitae et aliqui suffraganei uniuscujusque provinciae, ne tot nationes sine pastoribus per menses plurimos permanerent.

(35) Mens legislatoris ea esse videtur ut omnibus episcopis, qui conciliis particularibus intersunt, vox deliberandi concedatur, licet id non praecipiatur. CJC 282 § 2; 286 § 2. Cum vox deliberativa praecedentiam concedat et jus induendi sacras vestes (vide notam 61), episcopi titulares, quibus vox tantum consultiva concedatur, consultius ab interveniendo concilio abstinebunt.

(36) Episcopo auxiliari vel coadjutori vox deliberandi a concilio provinciali concedi nequit tamquam episcopo titulari, sed quatenus coadjutori seu auxiliari loco sui superioris; secus justum non esset relate ad ordinarios qui auxiliares non habent et una tantum gaudent voce.

(37) Haec responsio Commissionis ad CJC interpretandum, invenitur apud Concilium Mechlinense IV, sed in editione responsionum desideratur. Ibidem etiam legitur verba canonis 286 § 4 *qui in provincia resideant* esse stricte interpretanda; non sunt vocandi abbates seu superiores maiores provinciarum Galliae, qui in Belgium transmigrarunt ad tempus tantum, cum proposito redeundi in Galliam. Id valet etiam pro casibus similibus.

(38) Quinam sint superiores maiores hic traditur (CJC 488 n. 8), sed vocandi sunt substitutive et non cumulative; videlicet, superiores provinciales, quocumque veniant nomine, vocentur; illi vero impediti, eorum vicarii. Certe si vicarii generales episcoporum non sunt vocandi, a fortiori nec vicarii generales religiosorum.

(39) In historia conciliorum legimus principes saeculares frequentissime fuisse ad concilia invitatos, quod etiam nunc facere fas est, salvis praerogativis Ecclesiae, praesertim libertate in agendo, nam, teste Anselmo, *nihil magis diligit Deus quam libertatem Ecclesiae suae.* Ep. 4, n. 9. Cft. Wernz-Vidal, Jus canonicum, tom. III, pg. 442, qui dicit principes saeculares *posse* ad concilium vocari, quod aperte docet CR tom. I, pg. 377; CV col. 1061; CE I, 31, 7, et Benedictus XIV, de Synodo, lib. III, cap. 9.

(40) In Concilio Vaticano secretarius generalis unicus erat officialis ex ordine episcoporum et etiam synodalis; promotores fuerunt duo advocati concistoriales, subsecretarius et notarii protonotarii apostolici de numero. In pluribus conciliis recentioribus usus invaluit seligendi episcopos ad munus promotorum et a secretis, sine necessitate tamen; maluimus sequi regulam Vaticani Concilii. Praeterea secretarius generalis promotores praecedit, proinde sit etiam superioris gradus.

(41) Invaluit usus eligendi officiales concilii in sessione praesynodali; sed electio officialium in ipso concilio cujus praeparatio, res maximi momenti, plures menses ante ejus inchoationem fieri debet, evadit praejudicialis. In praxi tamen electio officialium ab ipso concilio, nihil aliud erat quam confirmatio illorum qui in ejus praeparatione jam adlaboraverant. Proinde dicimus officiales debere a praeside concilii tempestive nominari. Talem agendi rationem habuit Pius IX, qui ipsemet nominavit officiales Concilii Vaticani antequam conveniret. CV col. 20. CE (I, 31, 18) dicit *deputandi sunt*, sed deputari possunt modo exposito.

(42) Inter episcopos in eodem concistorio praeconizatos sequendus est ordo concistorii. D 4133. Inter episcopos eodem die nominatos praecedit antiquior ordinatione (CJC 106 § 3) et non qui prius consecrationem recepit sicut docebat Ojetti (CJC h.l.); nam in casu consecratio est res secundaria relate ad electionem a Summo Pontifice factam. Inter vicarios vel administratores apostolicos ex ordine episcopali jus antiquum erat ut praecederet antiquior in munere (SRC 14-3-1909 extra collectionem authenticam); post codicem episcopi omnes praecedentia a die praeconizationis seu nominationis gaudent.

(43) Contrarium suo tempore docebat Gavantus, Manuale Eprum. verbum *concilium*, n. 51. Nec gaudet praecedentia episcopus a Summo Pontifice consecratus, episcopi omnes ab eo eliguntur et eorum praecedentia electione regitur. Attamen inter episcopos eodem die electos seu praeconizatos consecratus a Romano Pontifice gaudet praecedentia super ceteros.

(44) Locorum ordinarii ex ordine sacerdotali, quo nomine veniunt apostolici administratores, vicarii vel praefecti apostolici, iisdem gaudent juribus et honoribus, protonotarii videlicet de numero. CJC 308; 315 § 2, 2.°. Praecedunt proinde abba-

tes. D 4154, 11. Inter ipsos apostolicus administrator dioecesis *ad nutum* ibit ante administratorem praelaturae *ad nutum*, sed post praefectum apostolicum permanenter constitutum, est enim titularis praefecturae. Ita Michiels, De personis, Lublin 1932, pg. 561.

Vicarii capitulares ad fruendum honoribus protonotarii titularis tantum admittuntur (CJC 439); proinde ibunt post administratores apostolicos *ad nutum*. Inter ipsos praecedit vicarius capitularis ecclesiae metropolitanae, deinde dioecesis, postremo loco ibit vicarius praelaturae nullius. Inter vicarios dioecesium praecedit antiquior in munere, nisi junior alio titulo gaudeat, ex. gr. praelati domestici vel protonotarii ad instar participantium.

(45) Administratores apostolici dioecesium vel praelaturarum nullius, ad tempus renuntiati, necnon vicarii et praefecti apostolici tamquam locorum ordinarii ad concilium sunt convocandi. Jus canonicum vero illis honores et privilegia protonotariorum de numero participantium tribuit, sed dumtaxat intra proprium territorium. CJC 315 § 2, 2.°. Extra territorium nec vestes praelatitiae ipsis conceduntur, sed titulum tantum Illmi. et Revmi Domini, *Monsignore;* honores etenim ratione officii dantur et non personae. Quaeritur utrum exceptio sit necne facienda pro tempore celebrationis concilii, ita ut eis liceat tamquam protonotariis concilio intervenire, id est, cum habitu praelatitio, et in sessionibus solemnibus cum insignibus pontificalibus, videlicet mitra, annulo et cruce pectorali?

Ratio dubitandi ex eo oritur quod ii ordinarii in concilio gaudent praecedentia ratione vocis deliberativae super ceteros synodales, qui vocem habent tantum consultivam, nisi episcopali charactere ornentur. CJC 106, n. 2.°. E contra, abbates sine territorio ad concilium invitati, dignitates, procuratores capitulorum, qui rite gaudent usu mitrae, eam in concilio adhibent (CJC 409 § 2), at mitra tribuit praecedentiam. CE I, 31, 15. Oppositio locorum ordinariis evadit vexatoria; procuratoribus capitulorum et abbatibus a jure conceditur mitra et vox consultiva; ipsi, quibus vox conceditur deliberativa, mitra et vestibus praelatitiis privantur. Putamus standum CJC, donec aliter a Sancta Sede declaretur. Vide notam 61.

(46) Juxta plurimorum auctorum interpretationem canon 106, 1.°, ita est intelligendus ut verba *ejusdem gradus* referantur ad personam repraesentatam, ita ut simplex sacerdos, procurator archiepiscopi, locum sumere debeat post archiepiscopos sed ante episcopos; et si sacerdos sit procurator primatis seu patriarchae, ibit ante omnes archiepiscopos. Sed in conciliis canon 106, 1.°, interpretandus est ad normam legum liturgicarum de praecedentia, nec fas est in sessionibus locum simplici sacerdoti concedere ante omnes episcopos ratione procurationis alicujus archiepiscopi, quae nec mitram concedit nec votum deliberandi; et in conciliis mitram praecedentiam concedit (CE I, 31, 15) et cui es auctoritas, in casu jus votandi, illi jus est praecedentiae. CJC 106, 2.°. Sic enim statuit S.C.C. in Aquen., 24 Ag. 1850: *hic qui deliberativo voto gaudet, praecedere debet his qui consultivo tantum, quia hic non gaudet jurisdictione.*

Proinde dicimus verba CJC *ejusdem gradus* esse correlativa, videlicet se referunt tum ad delegantem tum ad delegatum, seu si delegatus sit ejusdem gradus ac delegans; unde delegatus archiepiscopi ibit post archiepiscopos, si et ipse sit archiepi-

scopus. Ita etiam intellexit Blat, dicit enim *post episcopos si charactere episcopali (sint) praediti.* Commentarium CJC h.l.

In ordine praecedentiae a S.C.C. pro Concilio Plenario Brasiliensi (1939) dato, statutum fuit ut procuratores, sive archiepiscoporum sive episcoporum, sederent post episcopos, nisi procurator archiepiscopi sit et ipse archiepiscopus. Et sic factum est.

(47) Et non juxta praecedentiam sui episcopi, sicut jam factum est; nam canonici sunt procuratores sui capituli. Titulus *insignis* vel *perinsignis* praecedentiam concedit super ceteros capitulos ejusdem ordinis; sic capitulum insigne ecclesiae cathedralis praecedit ceteros, non autem ecclesiarum metropolitanarum in conciliis plenariis. CJC 408.

(48) *Brevi manu* quaestionem solvere dicitur quando resolvitur sine praejudicio jurium et sine eorum concessione, sic, v.g. si qui praesul in concilio se praesentat tamquam *primas* in natione sua, et, quaestione coram tribunali posita, ab ipso respondetur *sedet inter primates,* non sequitur titulum primatis ipsi fuisse a concilio concessum; et si responsio data sit *sedet cum archiepiscopis,* non sequitur archiepiscopum titulum primatis renuntiasse, si aliunde revera jus ad illum habeat. Id tamen non impedit quominus responsiones tribunalis dentur ad tramitem juris. Vide decretum *De praejudicio non afferendo.*

(49) Antiquitus lites erant in conciliis circa praecedentiam et modum agendi negotia, circa negotia ipsa coram concilio ponenda, judices querelarum proinde instituerunt; in ipso Vaticano Concilio lites non defuere; hodie tamen in conciliis particularibus vix aderunt, praesertim si res omnes tempestive ordinentur; proinde sufficere dicimus judices tres. In Vaticano Concilio decem numerabantur judices, querelarum quinque et totidem excusationum, ab ipsa synodo electi. CV col. 20.

(50) In concilio plenario Piceno (1928) promotores munus judicum exercuerunt, sed id nequit laudari: promotores officiales sunt concilii, judices sunt synodales, qui nomine concilii agunt.

(51) Cum in plurimis recentioribus litteris apostolicis quibus cardinalibus munus concreditur legatorum verba a *latere nostro* non legantur, quaeritur utrum hi cardinales sint legati simpliciter vel a latere.

Respondemus nominationem cardinalis S.R.E. ad officium legati exercendum, ita ut legatus personam papae exerceat tamquam alter ego, facere cardinalem legatum a latere, etiamsi verba haec aliis verbis patefiant, v.g. *personam nostram geras* (AAS. 1934, pg. 47), *nomine nostro, nostraque auctoritate praesideas* (AAS 1935, pg. 75), sicut solet loqui Summus Pontifex. Praeterea cardinalis qui legatus papae renunciatur, ipse jure dicitur *legatus a latere,* nec alia classis cardinalis legati exstat, in jure saltem communi. CJC 266. Hac de re fusiori calamo egimus apud Ephemerides liturgicas, 1938, pg. 147.

(52) Praecepit Gregorius XI ne patriarcha, primas vel metropolita, crucem ante se haberet praesente cardinali, etiam non legato, nam ait *cardinales nobiscum indefessis laboribus universalia ecclesiastica onera sortiuntur.* Apud Thomassinum, Ant. et Nov. Ecc. Disc., pars I, lib. 2, cap. 59, n. 5. Quae quidem lex in CE (I, 4, 2) transivit. Privilegium deferendi crucem propriam tamen nunquam fuit cardinalibus non legatis concessum. Sed quaeritur privilegium crucis competit necne cardinalibus legatis a latere? Nam nos ipsi vidimus tale privilegium ipsis denegatum tamquam metropolitae proprium.

Teste historia, scimus privilegium crucis hastatae semper fuisse proprium legatorum a latere Summi Pontificis, tamquam jus nativum, et solum tardius fuisse ad patriarchas, primates et, ultimo loco, ad omnes archiepiscopos extensum. Id longius exponit Thomassinus, Ant. et Nov. Disc. Pars I, lib. 2, cap. 59. Conc. Lat. IV sub Innocentio III aperte supponit privilegium legatorum deferendi crucem. Baronius. A.D. 1191, n. 26. Doctrina haec confirmatur maxima auctoritate Benedicti XIV, qui privilegium crucis elargitus est episcopis pro tempore Warmiensi et Sambiensi, quique dicit agi de privilegio legatis apostolicis primum concesso. *Romanae Ecclesiae,* 21-IV-1742, opera vol. 17, pg. 457. Etiam de Synodo, lib. II, cap. VI, n. 2. Absonum videtur cardinalibus legatis a latere summi pontificis, qui ubique gentium summa cum honore recipiuntur, tamquam alter ego vicarii Christi, privilegium crucis hastatae denegare; propterea CR dicit *Cardinalis legatus postquam exivit territorium civitatis ubi Pontifex residet... praefertur ante eum crux.* CR lib. I, tit. 8, § 18, tom. I, pg. 320. Cft. etiam Catalanus in PR ubi de pallio. tit. 14, § 8. Ita etiam docet cl. caeremoniarius pontificius Paris de Crassis in libro *De caeremoniis cardinalium et episcoporum in eorum dioecesibus.* Romae 1580, fl. 95v. Tacet hac de re CE quia de ea non agit; PR tamen (ubi de legatorum et imperatoris receptionibus), jubet crucem legato concedere. Crux hastata solebat legato ab ipso Summo Pontifice tradi in fine concistorii in quo mittebatur; ita factum est a Pio VII, die 27 Augusti 1801, quando Cardinalem Caprara legatum in Gallia renuntiavit: Moroni, vol. 37, pg. 285.

(53) PR de alba tacet, sed adhibenda praecipitur a CE h.l. et a Benedicto XIV (De Synodo, lib. III, cap. 11, n. 3), nec eam dispensare licet, etiamsi missa ab alio praelato celebratur, nam praeses praeest processioni, et in sessione sacri ministri induti erunt albis pro evangelii cantu.

(54) Abusus esset concedere omnibus episcopis mitram pretiosam, stolam, vel etiam baculum pastoralem, uti jam pluries factum est, quae proprie sunt praesidis concilii, videlicet legati in plenario, metropolitae in provinciali. D 4335, IV, 2.

(55) In concilio plenario metropolita nulla gaudet jurisdictione metropolitana, est tantum primus inter pares; si pontificali ritu celebret coram legato (etiam non cardinali) ad faldistorium sedere necesse est (CE I, 13, 4); in sessionibus vestibus vel insignibus praesidis propriis, videlicet alba, stola, mitra pretiosa, baculo vel formali non utetur; sedebit tantum honorabiliori loco in choro et sessione, sed sine canonicorum assistentia, caudatarium non habebit, et cappam pontificalem involutam portabit.

Quae de metropolita dicta sunt, pari ratione applicentur nuntio vel delegato apostolico a legato ad concilium plenarium invitato, vel loci ordinario, si concilium in aliqua sede suffraganea celebretur.

(56) In concilio provinciali praesentia nuntii seu delegati apostolici nec supponitur nec convenit, quia, cum ipse praecedentia gaudet et metropolita praeses est concilii, assistentia ejus esset quaedam ordinis inversio, quae a CJC 269, § 1, excluditur. Vide tom. I, n. 29 *Praelatus superioris gradus.*

(57) Consulto legit CE (I, 31, 11) *Episcopi capiant mitras auriphrygiatas uniformes.* Uniformitas mitrae quando plures episcopi conveniunt, maximi est momenti. Vide notam 20, tomi I. In concilio plenario, propter praesentiam legati a latere, qui alter ego Summi Pontificis est, episcopi mitram albam simplicem accipiunt, exemplo patrum Concilii Tridentini, absente Pontifice. In Concilio provinciali Mediolanensi I, anno 1565 habito, Cardinalis Borromeus munere legati a latere in tota Italia fungebatur, proinde "Metropolita cum mitra argentea (auriphrygiata), cardinales cum serica, reliqui vero episcopi cum linea" intervenerunt. AEM tomus II, col. 921. Vide notam 229. Expedit etiam adhibere pluvialia simplicia aequalia; pluviale auriphrygiis ornatum dabitur tantum praesidi concilii.

(58) Invaluit mos passim concedendi episcopis et abbatibus, qui in solemnibus conventibus seu conciliis pergunt parati cum pluviali et mitra, capellanos assistentes sive canonicos duos, qui, a lateribus eorum ambulantes, tempore processionum, oras pluvialis eorum sustentant, quod certe formalem assistentiam constituit. MM facit episcopos binos procedere, et unicuique duos concedit capellanos, qui tamen ambulant insimul, a dextris vel a sinistris, prout a dextris vel a sinistris erit episcopus uniuscujusque, ita assistentiam excludens. Episcopi in processione ipsis honoribus sunt honestandi, quibus in choro honestantur, nam processiones sunt chori ambulantes; at in choro episcopi non habent assistentes, nec eis conceditur clericum ad mitram sustentandam vel capiti imponendam: hujusmodi assistentes tenerentur a suo episcopo separari cum presbyterium ingrediuntur et alibi se sistere. Proinde dicimus episcopos sequi debere binos cum unico capellano, seu potius secretario seu familiari, quod quidem confirmatur usu cardinalium qui in functionibus papalibus assistentes clericos non habent, sed unum tantum caudatarium, et ita factum fuisse legimus in Vaticana Synodo. CV col. 700. MM, qui duos capellanos in vestitione episcopi et in processione concedit, unum tantum dat tempore missae, qui *ad pedes sui episcopi sedere poterit* more caudatarii cardinalis in capellis papalibus. MM vol. IV, pg. 464. Insuper SRC, hac de re inquisita, declaravit episcopos *absque assistentia* procedere et servato ordine in processionibus consueto. D 4355, IV, 3, b.

(59) Juxta MM (h.l.) metropolita ad thronum post processionem legit praeparationem ad missam et capit sandalia, dum concilium exspectat patienter moram faciens. Uti pluries innuimus, hujusmodi solemnissima calceorum vestitio vitanda est.

Maluimus sequi ordinem statutum in Caeremoniali Concilii Quebecensis I, Quebeci 1909.

(60) Re perspecta omisimus cantum hymni *Veni, Creator* ante initium processionis, tum quia nec a PR nec a CE praecipitur, tum quia cantandus erit postea in sessione solemni, nec expedit fieri bis de eodem. Benedictus XIII in Concilio Romano (1725) et Pius IX in Concilio Vaticano (CV col. 27) hoc loco *Veni, Creator* intonaverunt, sed in Concilio Plenario Americae Latinae Romae adunato cantatus fuit hymnus *Ave, maris Stella,* quem quidem usum hic sequuti sumus; expedit enim sub patrocinio tantae Mediatricis concilium aperire. Id etiam docet Gavantus, Praxis Synodi pars VII, cap. 4, n. 3.

(61) Usus erat receptus, seu potius lex generalis, ut in sessionibus conciliaribus sacris vestibus induti sederent illi soli qui voce gaudebant deliberandi: ita aperte docet CR (tom. I, pg. 375), quod maxima auctoritate sancti Caroli Cardinalis Borromei in concilio provinciali suo confirmatur, ubi jussit ut cardinales duo S.R.E., qui, honoris tantum causa, concilio intervenerant, sacras vestes non acciperent. AEM tom. II, col. 951. Sed praelati qui in solemni missa papali sacris vestibus induebant, in missa et sequenti sessione conciliari hoc jure non privabantur. CR tom. I, pg. 377. Eadem ratione in conciliis particularibus paratus intervenit capitulum metropolitanum. Martinucci vestes sacras procuratoribus episcoporum concedit; stricto tamen jure ii parati non debent adesse quia vocem deliberandi non habent, nec praeses concilii hoc ipsis permittere tenetur. Abbatibus sacrae vestes dantur quia praecedunt procuratores quibus conceduntur; praeterea abbates etiam in functionibus non synodalibus solent sacras accipere vestes. Supremi religionum clericalium moderatores qui in oecumenicis conciliis vocem habent deliberandi (CJC 223, § 1, 4), sacras non induunt vestes quia usum mitrae non habent. CV col. 701. Videtur tamen esse superioribus maioribus eorundem religionum concedendae in conciliis particularibus, licet vocem deliberativam non habeant, si procuratoribus concedantur. Alii sacerdotes, etiamsi in ecclesiastica dignitate sint constituti, vestibus choralibus induti intersint.

(62) Quid sibi velint verba haec CE lib. I, cap. 31, n. 12? Respondet ibidem legislator *prout in processionibus quae litaniae appellantur.* Ergo litaniae sanctorum ut in RR titulo IX, cap. IV, n. 2 ad 4. Sed hae excluduntur quia in initio sessionis cantandae erunt, ne fiat bis de eodem; praeterea non agitur de processione paenitentiae causa instituta in qua cantica laetitiae excluduntur. RR ibidem. Commendatur, exemplo sancti Caroli Cardinalis Borromei, cantus psalmorum quibus invocatur nomen Domini, et inter alios ii septem: Ps. 19 *Exaudiat te Dominus.* Ps. 47 *Magnus Dominus.* Ps. 90 *Qui habitat.* Ps. 100 *Misericordiam et judicium.* Ps. 103 *Benedic, anima mea.* Ps. 117 *Confitemini Domino.* Ps. 120 *Levavi oculos meos.* Ps. 121 *Laetatus sum.* Vide AEM, tom. II, col. 972 et 1044.

(63) CE (I, 31, 13) loquitur de reliquiarum ostensione post *processionem si ostendendae erunt.* Revera, antiqui ordines conciliorum de reliquiarum ostensione in initio concilii loquuntur, et ita factum est a Benedicto XIII initio Concilii Romani, sed usus generatim obsolevit. Vide Catalanum, Concilia oecumenica, tom. I, Prolegomena, cap. XX, ubi etiam de Sacrae Eucharistiae ostensione agit.

(64) Rubricae MR in non paucis jus missae votivae pro re gravi mutaverunt, corrigendum proinde CE (I, 31, 13) prout innuimus. Praeterea invaluit usus seligendi aliquam festivitatem maiorem ut initium detur concilio; sic Vaticanum initium habuit in festo Immaculatae Conceptionis, Plenarium Americae Latinae (Romae 1899) in festo SSmae. Trinitatis.

(65) Antiquissima regula est illa quam tradit Patrizi "Omnes qui accipiunt incensum debent stare... et esse capite detecto, exceptis Papa et celebrante, qui cum mitra accipiunt incensum". CR II, pg. 392. Et paulo infra dicit quando Papa lavat manus "laici (et clerici) genuflectunt; cardinales surgunt sine mitris; praelati surgent detecto capite". CR II, pg. 395. Putamus tamen mitram non esse deponendam nisi pro Papa. Juxta MM episcopi mitram retinent, abbates eam deponunt. MM vol. IV, pg. 463.

(66) Benedictio omittitur, seu potius defertur ut in fine sessionis detur, ita speciali vinculo sessionem missae conjungens. Casus tamen singularis in Liturgia Romana; et si sessio vespertinis horis reassumatur, benedictio ad sessionem vesperalem transfertur! MM h.l.

(67) Finita missa, et priusquam ad negotia tractanda procedatur, seu ad sessionem proprie dictam, functio specialis praecipitur facienda, quae, defectu alterius nominis, *missam siccam* nominavimus, constat enim tribus partibus: introitu, litaniis cum oratione, et lectione. Antiphona *Exaudi* in antiquis ordinibus romanis vocatur antiphona ad introitum. Vide ordinem Romanum *Conveniente itaque*, quem tradit Catalanus in fine tituli De Synodis. Missae siccae frequentissime celebrabantur etiam Mediolani tempore sancti Caroli. Vide Malherbes *Le dernier Evangile non-Johannique et ses origines liturgiques.* Les Questions liturgiques et paroissiales, 1940, pg. 37.

(68) In conciliis Romae celebratis, dicto a cantoribus *Ut Domnum Apostolicum benedicere digneris,* ipse Apostolicus Dominus statim assurgens cantabat *Ut hanc sanctam synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere digneris.* CR tom. I, pg. 383. Latet ratio cur benedictio a praeside impetranda, hic et alibi, ad litaniarum finem translata fuit.

(69) Juxta PR pontifex in missa sicca et in sessione a diacono et subdiacono associatur, et functio hujusmodi integre ad altare pervolvitur et non ad thronum, qui non supponitur adesse nisi pro missa. Sed talis agendi ratio nonnullas praesefert difficultates, praesertim quando missa non ab ipso praeside cantatur. Dicimus praesidem a diaconis throni esse associandum et non a sacris ministris et evangelium cantandum cum ipso in throno, ritu in missis consueto; sic melius evolvitur ritus. Ita Gavantus, De Synodo, pars I, cap. 40, n. 7 et MM; ita etiam fecit Pius IX in Vaticana Synodo. CV col. 703.

(70) De antiquissimo ritu locandi librum evangeliorum vel super altare ipsum vel in throno ad hoc, multi testantur auctores. Speciali mentione dignus est textus sancti Cyrilli Alexandrini loquens de Concilio Ephesino *Sancta Synodus Christum*

veluti caput constituit: venerandum enim Evangelium in sacro throno collocatum erat; illud tantum sacerdotum auribus insinuans: justum judicium judicate... Ritus servatus fuit in Concilio Vaticano; recentior in Plenario Quebecensi anno 1909. Vide Catalanus, Concilia oecumenica, tomus I, Prolegomena, cap. XX. Nobilissimus thronus, altare ipsum quod Christus est, ad hoc decet destinari. Videtur etiam nexum adesse inter evangelii cantum ejusque super altare locationem.

(71) Patres sententiam suam emittere rogantur a praeside, quia omnes sunt legislatores, seu decreta a praeside eduntur *ad referendum* concilio. In concilio plenario talis consultatio fit tantum obsequii causa.

(72) Patres sedentes suffragium ferunt, est enim sessio, et ipsi tamquam doctores agunt in bonum Ecclesiae. Ex liberalitate legislatoris votantes, potius quam nativo jure, e praescripto Concilii Vaticani, surgunt detecto capite. CV col. 703. Responsio *Placet* vel *Non placet* originis est apostolicae. Acta Apost. cap. XV, 22, 25. Catalanus, Prolegomena in Concilia Oecumenica, Tomus I, cap. IV.

(73) Usus erat antiquus ut etiam lites a conciliis componerentur, quod tamen obsolevit. Pius IX ad Concilium Vaticanum episcopos orthodoxos invitavit ut mentes suas concilio patefacerent, sed, acceptis invitationibus, non intervenerunt. CV col. 7.

(74) Jus parlamentarium, prout hodie exstat, originem in Britannico Senatu praesertim habuit, et ad ceteras nationes paulatim se extendit. In Concilio plenario Baltimorensi III et in Concilio Plenario Quebecensi I praescriptum fuit ut hae regulae in congregationibus servarentur. Regulae parlamentariae codificatae inveniuntur apud regimenta seu directoria senatus diversarum nationum; hac de re exstant manualia, in lingua anglica habes *Cushings Manual of Parliamentary Practice,* David Mc Kay & Co., Philadelphia; Crew: *Public & Company Meetings,* Jordan & Sons, London. Partes quasdam ordinationis nostrae e Concilio plenario Quebecensi hausimus.

Diximus jus parlamentarium *prout nunc exstat* originem in Britannico Senatu praesertim habuisse; nam jus suum parlamentarium senatus populi romani habebat, quod postea ad concilia romana et africana, aliaque translatum fuit. Ex actis concilii Aquileiae anni 381, praesidente Ambrosio metropolita, apparet quam strictissime patres congregati ad jus parlamentarium romanum servandum sese adstringebant. Hac de re optime more suo agit cl. Batiffol *Origines de règlement des conciles. Études de Liturgie,* Paris 1919, pg. 84.

(75) Expedit ut praeses concilii, secretarii, et promotores, regulas parlamentarias bene calleant ut negotia possint expedite tractari, nemini facta injuria.

(76) Nulla datur lex expressa hac de re, sed analogia sumitur ex capitulis ecclesiarum cathedralium et ex senatibus diversarum gentium: Ita Wernz-Vidal, Jus canonicum, tom. II, n. 539.

(77) Sessio 1.ª celebratur ad concilium aperiendum et ultima ad illud claudendum; sessio 2.ª, et aliae ante ultimam, ad decreta solemniter legenda et promulganda; sed cum decreta in generalibus congregationibus lecta et adprobata jam fuerint, nec promulgari proprie possint nisi habita adprobatione Sacrae Congregationis Concilii, invaluit mos legendi solummodo titulos et initia decretorum; in concilio plenario Piceno nec tituli lecti fuerunt, sed promotores statim postularunt ut patres decreta subsignarent prout in congregationibus adprobata fuerunt. Cum tali agendi ratione sessiones intermediariae non sunt amplius necessariae, et fidei professio fieri poterit in 1.ª, decretorum subscriptio in ultima.

(78) Juxta PR (et Durandum) litaniae cantantur in 1.ª sessione tantum, sed usus erat ut in ceteris etiam sessionibus decantarentur; ita factum est in conciliis provincialibus Mediolani tempore sancti Caroli celebratis (AEM tom. II, col. 1014) et recentissime in Oecumenico Vaticano. CV col. 706. Andrieu tome I, pg. 257. Litaniae omittuntur, sed oratio ad eas complendas in PR remansit cum invitatione ad genuflectendum.

(79) A professione fidei emittenda, actu certe nobilissimo, nec praeses concilii excusatur; nam in conciliis oecumenicis Summus ipse Pontifex eam solemniter profitetur. In Concilio Vaticano patres professionem fidei stantes emiserunt, ratificationem tantum flexis genibus, et ita fieri debere docet Martinucci (h.l.); maluimus sequi usum quem *Ordo in Plenario Concilio Piceno Servandus* praescribit, Romae, Typis Vaticanis. 1928. Praeses tamen professionem fidei emittit *coram* concilio (CJC 1406 § 1, 1.º), ergo ad illud versus; stans legatus quia superior est concilio; stans etiam metropolita in provinciali quia, licet sit primus inter pares, tamen coram concilio profitetur fidem.

(80) Praecipit PR ut in ratificatione praelati utramque manum super textum extendant (ubi de consecratione episcopi); usus receptus est ut dextera tantum textui apponatur, et sic factum est in Concilio Vaticano. CV col. 50. Sacri textus deosculatio a PR potius supponitur quam praecipitur, talis enim semper fuit usus receptus, et praecipitur a sancto Carolo Cardinali Borromeo (AEM tom. II, col. 928) et a Concilio Vaticano. CV col. 50.

(81) Nullibi dicitur an pileolus sit necne dimittendus in ratificatione emittenda. Putamus dimittendum ab episcopis choralibus tantum vestibus indutis, nam etiam ad evangelii cantum ab ipsis dimittitur. Quoad episcopos paratos noluimus quaestionem solvere; certe praelati non episcopi illud dimittere debent, quia coram praelato superiore se sistunt.

(82) Docet MM (tom. IV, pg. 451) absolutiones quinque faciendas esse post missam solemnem pro defunctis episcopis in conciliis celebrandam; PR tamen aperte docet *In exsequiis vero anniversariis non debent fieri hujusmodi quatuor absolutiones sed una tantum. De officio pro defunctis circa finem.* In casu agitur de anniversario late sumpto. Putamus standum rubricis PR. Benedictus XIII in Concilio Romano jussit ut quinque haberentur absolutiones in officio pro episcopis defunctis ab ipsomet celebrato; propterea forsan idem docet MM. Vide Moroni, vol. 15, pg. 176.

(83) Procuratores synodalium, ex usu a saeculis recepto, etiam subsignant decreta nomine suorum ordinariorum (AEM tom. II, col. 950); synodales vero cum voce consultiva decreta non subscribunt.

(84) Antiquissima formula *Ego N. definiens subscripsi,* quae omnibus conciliis erat communis, licet in aliquibus conciliis recentioribus usitata, hodie in conciliis particularibus obsolevit, et oecumenicis reservatur, ibi enim omnes definiunt. Hac de re consule Benedictum XIV, De Synodo, lib. XIII, cap. 2, n. 3.

(85) Hic, sicut in ceteris partibus PR, nulla datur regula certa conclusionum; brevis bis adhibenda praecipitur, longa in aliis orationibus.

(86) CE supponit concilium provinciale cum paucis patribus, puta octo vel decem. In conciliis plenariis fieri nequit ut singuli singulis pacem dent; sic ex. gr., in concilio cum duobus super centum patribus dari deberent 102 x 101 : 2, id est 5151 oscula!

(87) In multis conciliis *Te Deum* cantatum fuit in fine; rubricae vero loquuntur de acclamationibus seu laudibus tantum, quae sufficere videntur. Recentiora concilia acclamationes tradunt prolixas, quae generatim sensu aesthetico carent. Laudes quae tum traditione tum pulchritudine maxime commendantur illae sunt quae Hincmari (806-882) OSB et episcopo Rhemensi tribuuntur, licet maxima ex parte vetustissimae sint, quaeque variari possunt, prout personarum et locorum adjuncta requirant. Acclamationes liturgicae ab aevo apostolico originem ducunt et testimonium de primaeva liturgica unitate ferunt. Vide Cabrol, *Acclamations,* DACL I, 1er. col. 239; Gastoué, *La Musique d'Église,* Paris 1916, pg. 168 *Quelques chants populaires oubliés : Les acclamations.*

(88) Nequit legatus paratus processioni praesidere et missae alterius cardinalis assistere, id enim nunquam fit.

(89) Agitur de casu aliquo extraordinatio et contra regulas juris, nam pontifex ad faldistorium celebrans, praesertim coram cardinali, jus ad presbyterium sacris vestibus paratum non habet; sed synodales vestes sacras induere tenentur ad processiones et ad sessionem, nec poterunt convenienter eas ad missam deponere, iterumque assumere; praeterea casus vix accidere poterit quia missa aperitionis a legato celebrari debet.

(90) SRE Cardinales sacris functionibus cum cappa cardinalitia interveniunt, nam sacras vestes induunt in functionibus papalibus tantum; excipe cardinalem qui functioni praeest; sessio conciliaris exceptio est regulae generalis cum ipsi tamquam synodales intersunt. Ita etiam fiebat Mediolani. AEM tom. II, col. 921 et 951.

(91) Agitur de casu singulari: metropolita concilio praeest, ergo cardinalem praecedit, licet extra concilium cardinalis gaudet praecedentia super metropolita. Casus tamen in praxi vitandus est. De eo agit MM quem sequimur. Vol. 4, pg. 557.

(92) Patres in concilio particulari congregati tantum possunt quantum eis a Sancta Sede demandatum fuerit; proinde etiam quando conciliorum adprobatio antequam promulgarentur a Sancta Sede non praecipiebatur, semper saltem tacite supponebatur concessa. Cum tamen, etiam elapso saeculo, absurda non pauca in quibusdam conciliis irrepsisse cognoscitur, lex data fuit generalis de conciliis non promulgandis nisi prius a Congregatione Concilii ratificarentur. Hac de re non defuere discussiones in Concilio Vaticano, praesertim ab episcopis gallicanis. CV col. 839; Postulata pro revisione, col. 645. Prae oculis tamen habendum est agi de decretorum recognitione et expenso tantum (CJC 291 § 1, CV col. 645) ad instar *nihil obstat* quominus imprimantur; nam Sacra Congregatio decreta non facit sua, nec proinde de erroribus forte occurrentibus respondere tenebit. Ita passim declaravit Congregatio Concilii Tridentini et mens est hodiernae Congregationis Concilii.

(93) In tota America Latina, jam inde a suo concilio plenario (1899), *conferentiae* episcoporum celebratae veniunt, et in Brasilia ita fieri praecepit Leo XIII. *Litteras a vobis,* 2 Julii 1894, Acta, vol. 14, pg. 230.

(94) In concilio Vaticano non defuere petitiones ut conciliorum celebratio sine solemnitatibus permitteretur. CV col. 793. CJC, optimo consilio, *concilia privata* non permisit, sed loco eorum jussit fieri conlationes.

(95) Conlationes in expedite celebrandis conciliis quantum adjuvant apparet ex sequenti comparatione. Concilium Americae Latinae (1899) coadunatus fuit per dies tres super quadraginta, et cum viginti novem congregationibus; Concilium Canadense I (1909) per dies quadraginta quatuor sese protraxit, cum triginta septem congregationibus. Hodie concilia intra septem vel decem dies celebrantur.

(96) CJC (304 § 2) conciliorum decreta canones vocat; lapsus legislatoris, nam Sacra Congregatio Concilii ita decreta conciliorum vocari non est passa, ad normam canonis 291 § 1.

SECTIO III

DE SYNODO DIOECESANA CELEBRANDA

In hac sectione : *Episcopus* se refert ad loci ordinarium. *Gavantus* referatur ad opus ejus *Praxis Dioecesanae Synodi.*

SECTIO III

DE SYNODO DIOECESANA CELEBRANDA

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

83 DE SYNODI CONVOCATIONE

) E vetusto Ecclesiae usu, episcopus, facta visitatione ac cognitis necessitatibus suae dioecesis, clerum convocat, mentemque suam de tollendis abusibus, deque aliis faciendis "quae ad particulares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur" (CJC 356 § 1) aperit, et "liberae adstantium disceptationi" subjicit (CJC 361); ultimo, synodo solemniter adunata, leges condit ipse solus (CJC 362) (97), quae quidem legislatio *constitutiones diocesanae seu synodales* audiunt. CJC 362.

Multum nimirum conferunt huiusmodi legum praescripta, si mature, diligenter, scienter conduntur, ut arceantur facile irrepentes vitiosi abusus, restaurentur labentia, devia emendentur et, ecclesiasticae disciplinae solidato vigore, ad egregia et salutaria coepta concordes vires coalescant. Pius Papa XII, g.r., ad Archiepiscopum Mediolanensem, dioecesanam synodum indicentem. AAS 1941, pg. 419.

1 — QUANDO CONVOCANDUM. Synodus dioecesana celebranda est decimo saltem quoque anno. CJC 356 § 1. Licet proinde frequentius synodum convocare, si necessitas vel utilitas dioecesis id suadeat, v.g. quinto peracto anno ab ultima habita, non tamen frequentius, ne sibi ipsi officiat.

In locis missionum, vel ad instar eorum, ubi paucissimi sunt sacerdotes, vel tempore persecutionum, seu gravis periculi, obligatio convocandi synodum cessat.

2 — TEMPUS CONVOCATIONIS. Synodus quocumque anni tempore, judicio episcopi, convocari potest, sed seligi debent dies in quibus parochi et canonici facilius ecclesias suas relinquere possint; excluduntur proinde dies Quadragesimae et Adventus, festivitates maiores, vigilia Pentecostes, Purificatio B.V.M. Juxta PR (de Festorum publicatione) laudabiliter seligetur Dominica II post festum Paschae, quae Boni Pastoris nuncupatur.

3 — QUO CONVOCANDUM. Synodus in ecclesia cathedrali celebranda est. CJC 357 § 2. Rationabili de causa, v.g. si impedita sit ecclesia cathedralis vel si sit nimis parva, licet synodum in alia ecclesia dioecesis adunare. CJC 357 § 2.

4 — A QUO CONVOCANDUM. Synodus ab episcopo tantum convocari licet, vel a vicario generali de speciali ejus mandato. CJC 357 § 1.

"Si episcopus plures dioeceses aeque principaliter unitas regat, aut unam habeat in titulum, alteram aliasve in perpetuam administrationem, potest unam tantum dioecesanam synodum ex omnibus dioecesibus convocare". CJC 356 § 2.

Vicarius capitularis synodum convocare nequit. CJC 357, § 1.

Praeter episcopos residentiales, convocare possunt synodum hi locorum ordinarii:

1) Abbates vel praelati nullius. CJC 323 § 1.

2) Vicarii (non vero praefecti) apostolici, sed nullo praefinito tempore. CJC 304 § 2.

3) Administratores apostolici dioecesis, praelaturae seu abbatiae nullius permanenter constituti (CJC 315 § 1); qui vero ad tempus renuntiantur, ad instar vicarii capitularis (CJC 431 § 2), nequeunt synodum convocare, nisi ex apostolicis litteris aliud constet. CJC 314; 315 § 2, 1.º.

5 — QUOMODO CONVOCANDA. Synodus convocatur generali edicto episcopi seu litteris pastoralibus in ecclesiis legendis.

Praeterea ad singulos, qui ad synodum sunt vocandi, mittetur intimatio personalis, in qua dicetur tempus durationis synodi, statuentur vestes ab unoquoque habendae, diversorium, ceteraque utiliter a synodalibus cognoscenda vel tempore synodi observanda.

6 — PRAEPARATIO SPIRITUALIS. Valde utilis erit si ante initium synodi synodales consuetis exercitiis spiritualibus vacarent per dies tres "ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat". CE I, 31, 4 (98).

7 — SOLEMNITAS. Synodus dioecesana solemniter est celebranda, quae quidem solemnitas multum confert ad ejus fructuosum exitum coram clero et populo, et sine indulto apostolico synodum privatim celebrare non licet (99).

8 — ORATIO IMPERATA. Per dies novem ante initium synodi et dum peragitur, praevio monitu ordinarii, addenda erit in omnibus missis oratio *de Spiritu Sancto* pro re gravi; in die postremo synodi vero *pro gratiarum actione.*

9 — CIVILES AUCTORITATES, obsequii causa, invitari poterunt ad sessiones solemnes aperitionis et clausurae synodi, non tamen ad congregationes.

CAPUT II

DE SCHEMATIS PRAEPARATIONE

84 ART. I — DE COMMISSIONE

"Episcopus, si id ipsi expedire videatur, opportuno ante synodum tempore, unam vel plures e clero civitatis et dioecesis commissiones nominet, seu coetus virorum, qui res in synodo tractandas parent". CJC 360.

Licet episcopus possit per se ipsum constitutiones synodales praeparare, et synodo imponere, decet tamen ordine sequenti procedere, ad mentem canonis 360.

1 — Episcopus commissionem unam de synodalibus constitutionibus parandis instituit, cujus erit ipse praeses; secretarius erit sacerdos in ecclesiastica dignitate constitutus, seu dignitas capituli, qui fungetur etiam munere secretarii futurae synodi.

2 — Ad commissionem componendam sacerdotes, non exclusis religiosis, vocentur, virtutibus et doctrina praediti, tot quot necessarii videantur, non tamen sine necessitate multiplicandi.

3 — Commissio in subcommissiones dividetur, juxta materias in synodo tractandas, quae constituuntur praeside seu relatore et peritis.

4 — Commissio, absoluto schemate, illud ad episcopum mittet.

5 — Episcopus, immutatis iis quae immutari visum fuerit, schema secretario tradit, ut nova fiat redactio a subcommissionibus, ac iterum illud ad episcopum defertur a secretario.

6 — Convocatur congregatio schematis, quod discussionibus subjicitur, ac, si placet episcopo, iterum emendatur.

7 — Schema prout jacet, sub secretum servandum, mittetur ad synodales ad mentem canonis 360 § 2 (100), ut ipsi, si maluerint, habita cognitione schematis, emendationes proponant verbis apertis, ad rem, formaque compendiosa, ac schema quamprimum ad secretarium remittant.

8 — Secretarius modificationes propositas subcommissionibus mittet ut de ipsis brevem conficiant relationem.

9 — Iterum convocatur commissio schematis ad propositas mutationes cognoscendas, ac demum redactio ejusdem ab episcopo adprobatur.

10 — Episcopus, si maluerit, convocabit separatim prius canonicos, deinde parochos, ultimo superiores regulares, ac cum ipsis mentem suam de proxima synodo habenda exponit, prout res ad hos vel ad illos spectat.

11 — Ultimo synodus convocatur.

85 ART. II — DE MATERIA SCHEMATIS

In schematis praeparatione sequentes regulae erunt servandae:

1 — Contra jus commune nihil statuetur.

2 — Statuat praesertim synodus ea omnia quae, juxta praescriptionem codicis juris canonici vel apostolicas constitutiones, a loci ordinario sunt stabilienda, vel si jam sint a concilio particulari loci praevisa, ea confirmet, imprimis:

I — Media statuat necessaria ut clerici obligationibus sui status satisfaciant, formam vestium eorum statuenda (CJC 136), ceteraque determinanda ad normam canonum 124 ad 144.

II — Territorium dioecesis "in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes, distribuat, (nisi talis divisio jam exstet), qui veniunt nomine *vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus*". CJC 217.

III — Statuat facultates et obligationes vicariorum foraneorum ad normam juris. CJC 447.

IV — Indicem taxarum funeralium, si non exsistat, conficiat, ad normam canonis 1234; non vero aliarum taxarum ab episcopis provinciae determinandarum. CJC 1507.

V — Abusus tollere curet, praesertim in celebratione missae sacrificii, in sacramentorum administratione, in cultu sanctorum forte existentium ad normam canonis 1261 et novissimae instructionis Sancti Officii hac de re. AAS 1937, pg. 304.

VI — Leges ferat synodus quas ad normam canonis 1519 necessarias fore arbitretur ad bona ecclesiastica rite administranda.

VII — Modum quo *catholica actio* meliore forma in dioecesi foveri possit, statuat.

VIII — Media statuat necessaria ut apostolicae constitutiones de sacra liturgia fovenda, praesertim *Divini cultus sanctitatem* Pii papae XI observentur. AAS 1929, pg. 33.

IX — Determinet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit in casu vacationis ad normam canonis 472, 2.°.

3 — Urgere debet synodus observantiam codicis juris canonici, apostolicarum constitutionum et concilii loci.

4 — *Praeter jus* commune ea omnia statuere potest "quae ad particulares cleri, populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur". CJC 356 § 1 (101). Devitet tamen synodus sine necessitate legum multiplicationem.

5 — Ne multiplicentur constitutiones diversarum synodorum, postrema synodus transcribat ea quae ex anteactis erunt conservanda, aliis abrogatis.

6 — A reservatione peccatorum abstineat "nisi, re in synodo dioecesana discussa, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit" (CJC 895) ad normam canonis 897.

7 — A censuris *latae sententiae* ferendis, sunt enim odiosae, caveat.

8 — Quoad cetera etiam pro synodo dioecesana valent ea quae dicta sunt pro confectione schematis concilii (n. *80*), praesertim ut ordinem CJC sequatur, et ut leges breves sint.

9 — *Quoad legum praecedentiam* haec notentur: prius agatur de legibus universalibus observandis, deinde de legibus concilii loci, ultimo de dioecesanis; cauto tamen quod legislatio *juxta legem*, praecedit legislationem *praeter legem*.

CAPUT III

DE VOCANDIS AD SYNODUM

86 ART. I — QUINAM VOCANDI

I — E PRAECEPTO JURIS VOCANDI SUNT (CJC 358 § 1):

1 — Vicarius generalis, seu vicarii generales si sint plures. CJC 366 § 3.

2 — Canonici ecclesiae cathedralis (102), non tamen honorarii, vel, ubi non exstat capitulum, consultores dioecesani.

3 — Rector Seminarii dioecesani, saltem maioris.

4 — Vicarii foranei jam constituti vel in synodo constituendi.

5 — Deputatus uniuscujusque collegialis ecclesiae a capitulo ejusdem ecclesiae e gremio eligendus.

6 — Parochi civitatis in qua synodus celebratur, etiamsi non sit sedes dioecesis.

7 — Unus saltem parochus ex unoquoque vicariatu foraneo, eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant; parochus autem electus debet pro tempore absentiae vicarium substitutum sibi sufficere ad normam canonis 465 § 4.

Eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant; proinde etiam a vicariis paroecialibus (CJC 471 § 1); a vicariis oeconomis (CJC 472); a vicariis adjutoribus (CJC 475 § 1); a vicariis substitutis (CJC 474); qui omnes ad parochos repraesentandos eligi nequeunt nisi agatur de vicario paroeciali de quo in canone 471 § 1.

8 — Abbates de regimine, et unus e superioribus cujusque religionis clericalis qui in dioecesi commorentur, designatus a superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi et superior provincialis interesse ipse maluerit.

Juxta CJC nulla religio, exempta vel non, subjecta aut non capitulo generali, ab intervenienda synodo eximitur, et ab uno e *superioribus* erit repraesentanda, qui nequit loco sui mittere alium religiosum, nisi in casu speciali de permissu loci ordinarii.

II — HONORIS CAUSA DECET VOCARI:

1 — Episcopus auxiliaris vel coadjutor.

2 — Episcopi intra territorium dioecesis commorantes.

3 — Abbates titulares seu ad honorem, protonotarii apostolici, praelati, forte in dioecesi exsistentes.

› Jure consuetudinario nemo vocari tenetur (103).

› Praecedentia inter synodales traditur in titulo III ubi de processione pro incipienda synodo, n. *97*, 7, 8.

III — E CONCESSIONE JURIS VOCARI POSSUNT, judicio episcopi:

1 — Canonici ecclesiarum collegiatarum, omnes vel aliqui, praeter delegatum capituli.

2 — Parochi omnes paroeciarum extra civitatem in qua synodus celebratur exsistentium.

3 — Omnes superiores religionum clericalium vel societatum clericalium dioecesis. CJC 673 § 2.

4 — Sacerdotes quorum praesentia in synodo necessaria vel utilis esse poterit, judicio episcopi.

87 ART. II — JUS SUFFRAGII

JUS SUFFRAGII habent omnes ad synodum ab episcopo tamquam synodales invitati. CJC 358 § 2. Suffragium jus tribuit votandi, licet cum voto tantum consultivo; unicus est legislator, episcopus videlicet, cui, quoties bonum commune id exigat, votum synodi sequi convenit, licet ad id non teneatur.

88 ART. III — OBLIGATIO INTERVENIENDI

1 — OBLIGATIO INTERVENIENDI gravis est et personalis, unde sola causa proportionaliter gravis, a judice cognoscenda, eximit.

"Iis qui ad synodum venire debent, si legitimo impedimento detineantur, non licet mittere procuratorem, qui eorum nomine synodo intersit". CJC 359 § 1. Nam cum synodales votum solum consultivum habeant, nihil est procuratoribus transmittendum.

2 — POENAE CONTRA NEGLIGENTES. Synodalis ad synodum vocatus, qui, sine causa a judice synodi uti sufficiens recognita, non inter-

fuerit, potest justis poenis compelli et puniri ab episcopo (CJC 359 § 2): poenis vindicativis a jure praevisis. CJC 2298.

Obligatio interveniendi similis est pro omnibus, sive vocentur a jure, sive alio quoque titulo ab episcopo intimentur; omnes proinde possunt ab eo compelli et poenis puniri.

3 — RELIGIOSI. "In omnibus in quibus religiosi subsunt ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri" (CJC 619); et certe quoad interventionem synodo ei subsunt; tamen, e speciali privilegio juris, si religiosus sit exemptus nec curam animarum habeat, nequit ab episcopo compelli, nec poenis puniri si synodo non interfuerit. CJC 359 § 2. Forsan quia agitur de superioribus regularibus ad synodum vocatis, qui, si negligentes, a suis superioribus maioribus erunt compellendi et poenis plectendi.

CAPUT IV

DE OFFICIALIBUS ET DE JUDICE SYNODI

89 ### ART. I — OFFICIALES

Synodus, sicut de conciliis dictum est, suos habet officiales ad negotia et functiones ejus ordinandas. Alii sunt maiores, alii minores.

OFFICIALES MAIORES SUNT: Secretarius; subsecretarius, notarii duo, promotores duo, magistri caeremoniarum.

OFFICIALES MINORES SUNT ceteri omnes qui quomodocumque in synodo adlaborant.

Officiales erunt etiam synodales, et nominantur ab episcopo tempestive ante initium synodi ut omnia apte et ordinatim disponantur.

90 ### ART. II — JUDEX

JUDEX EXCUSATIONUM ab episcopo nominatur antequam congregatio praesynodalis celebretur, qui solet esse vicarius generalis.

Judicis est:

1 — Excusationes eorum qui ad synodum convenire nequeunt vel nolunt, et illorum qui antequam absolvatur discedere velint, cognoscere, acceptare vel rejicere.

2 — Lites, si quae sint, inter synodales componere. Nulla datur appellatio a sententia judicis ad episcopum; judex tamen ne agat contra mentem aut voluntatem episcopi qui synodo praeest.

CAPUT V

91 ## DE NOMINATIONIBUS IN SYNODO FACIENDIS

I — In omni synodo sequentes fiunt nominationes quae ab episcopo proponuntur et a synodo adprobantur (CJC 385 § 2):

1 — Examinatorum synodalium.

2 — Parochorum consultorum.

Tot eligantur quot episcopus prudenti suo judicio necessarios judicaverit, non tamen infra quatuor, nec ultra duodecim. CJC 385 § 2. Parochi consultores in examinatores synodales eligi possunt. S.C. Concistorialis, die 3 oct. 1910.

Adveniente nova synodo, examinatores et parochi consultores intra vel extra synodum nominati, ab officio cadunt; possunt tamen iterum ad decennium nominari. CJC 387.

3 — Judices synodales, non plures quam duodecim, ab episcopo proponuntur et a synodo adprobantur ad normam canonis 1574.

Adveniente nova synodo ab officio cadunt, prout de consultoribus supra dictum est, nam eodem reguntur jure. CJC 1574 § 2; 387 § 1.

II — Laudabiliter episcopus ceteras nominationes juris, adunata synodo, annuntiet, nisi jam sint factae, videlicet:

1 — Vicariorum foraneorum.

2 — Titularium vacantium beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum.

3 — Librorum censorum ad normam canonis 1393.

4 — Coetus bini, alter pro disciplina, alter pro administratione bonorum temporalium seminarii; utrumque deputatorum coetum bini sacerdotes ad normam canonis 1359 constituunt.

5 — Concilii administrationis bonorum temporalium ad normam canonis 1520.

› Coetus bini et concilium (nn. 4, 5) in synodo instituantur, nisi jam sint constituti.

TITULUS II

CAPUT UNICUM

DE CONGREGATIONIBUS SYNODALIBUS

92 ART. I — PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

1 — LOCUS. Pro habendis conventibus parabitur aula nobilis, sufficiens pro synodalibus.

Si fieri possit, aderit ingressus unus pro episcopo, alius pro synodalibus, et nullus aderit aditus pro illis qui de gremio synodi non sunt. In capite aulae aderit imago Christi crucifixi.

2 — CAEREMONIALE idem erit ac pro conciliis n. *49,* congrua congruis referendo, et caeremoniarii servabunt regulas pro congregationibus concilii datas, n. *48,* 7.

Vicarius generalis sedebit a dextris episcopi, vel a sinistris si aderit episcopus auxiliaris.

3 — VESTES. In congregationibus conveniunt omnes cum vestibus cuique propriis, exclusis superpelliceis. Vide n. *48,* 6.

4 — PRAEPARANDA. Mensa maior pro episcopo, super strato elevata, et retro sedes cameralis.

Mensae tres minores, pro secretariis, promotoribus et notariis. Vide diagramma III pro aula conciliari.

Decet mensas pannis laneis viridibus cooperire.

Super mensam praesidis aderit campanula et chartula cum orationibus dicendis in principio et in fine; super alias mensas quae ad scribendum sunt necessaria ponentur.

Hinc inde aderunt sedes pro praelatis, canonicis, parochis et aliis synodalibus, juxta eorum praecedentiam.

93 ART. II — CONGREGATIONES

1 — CONGREGATIO PRAEPARATORIA. Judicio episcopi, ante inchoationem synodi habebitur conventus principaliorum synodalium et officialium ad ordinem in synodo servandum cognoscendum, et ad res necessarias constituendas. Cum congregatio sit privata, omnes cum habitu quotidiano interveniunt, et aula aliqua minor seligitur.

2 — CONGREGATIO PRAESYNODALIS convocanda erit pridie aperitionem synodi in aula nobili congregationum, ad quam convenire debent omnes synodales cum vestibus choralibus cuique propriis.

NEGOTIA TRACTANDA:

1) Episcopus brevi sermone synodales alloquetur, cui respondebit breviter decanus parochorum.

2) Expositio ordinis servandi in congregationibus et sessionibus synodi.

3) Lectio decreti de judice et officialibus synodi eligendis et eorum jusjurandum, si, judicio episcopi, erit emittendum.

❯ Formula jurisjurandi, mutatis mutandis, habetur in appendice ad concilii celebrationem.

4) Lectio decretorum quae in 1ma. sessione erunt promulganda relate ad synodi ordinationem, videlicet de ejus aperitione, de modo in eo vivendo, de secreto servando, et de non discedendo.

❯ Formulae in appendice traduntur.

3 — CONGREGATIONES SYNODALES. *Post* 1mam. sessionem synodi et *ante* ultimam, duae vel tres congregationes erunt, judicio episcopi, coadunandae ad negotia synodi tractanda. Congregationibus interveniunt synodales omnes cum vestibus choralibus cuique propriis sicut pro praesynodali.

NEGOTIA TRACTANDA:

1) Episcopus nominationes juris in synodo faciendas faciet prout in capite V tituli I dictum est.

Secretarius legit relationem sacerdotum, in curia exaratam, qui ad officia synodalia rite eligi poterunt, 1.° loco judicum synodalium, 2.° examinatorum synodalium, 3.° parochorum consultorum.

Propositis nominibus, episcopus synodum interrogat dicens *Revmi. Dni., placentne vobis nominationes modo lectae?*

Et omnes aliquantulum assurgentes respondent *Placent.*

Secretarius assurgens decreta nominationum legit.

❯ Episcopus, si maluerit, nomina sacerdotum votationibus subjiciat, adjectis pluribus nominibus si necessarium; ad hoc tamen non tenetur quia nominationes ab ipso fiunt adprobante synodo.

2) Deinde, si aliae sint nominationes faciendae, secretarius, jubente episcopo, decreta eorum legit.

❯ Lectio decretorum nominationum in congregatione fit tantum ut synodales certiores reddantur, nam nominationes in sessione promulgantur; proinde decretorum lectio in congregatione judicio episcopi omitti poterit.

3) Secretarius, jubente episcopo, legit schema decretorum synodi, cujus exemplar erit prius synodalibus distribuendum.

Decreta lecta, per partes ad arbitrium episcopi, discussionibus subjiciuntur, deinde votationibus adprobantur; si vero expensa sufficienter jam fuerint, discussiones omitti poterunt (104).

In discussionibus, si quae sint, in loquendo et in votando, servabitur, congrua congruis referendo, cum votum sit solum consultivum, *ratio deliberandi,* ut in conciliorum celebratione habetur, nn. *52* ad *57*.

4) Lectis et adprobatis decretis, episcopus exhortationem ad clerum habebit de officio suo fideliter exsequendo, prout ei opportunum videbitur, vel cetera ordinet juxta necessitates vel utilitates suae dioecesis (105).

TITULUS III

94 DE PRIMO DIE SYNODI (106)

CAPUT I

PRAENOTANDA

❯ In 1mo. die synodi fit ejus solemnis initium, quod constat processione, missa, missa sicca et sessione (107).

1 — PRAESES synodi est episcopus loci ordinarius, et alii omnes sub ejus auctoritate agunt.

2 — SECRETARIUS negotia synodi dirigit, eique inserviunt SUBSECRETARIUS et NOTARII, quorum officia eadem sunt ac pro conciliis, n. *41*, 4, 5, 6.

3 — PROMOTORES cursum synodi, sicut de conciliis dictum est, promovent, n. *41*, 7.

❯ Secretarius promotores praecedit, proinde ad munus promotorum non erunt invitandi sacerdotes qui, alio quovis titulo, secretarium praecedere debent.

4 — CAEREMONIARIUS 1us. functiones omnes synodales dirigit, sicut de conciliis dictum est, et in officio suo exsequendo operam navant caeremoniarii 2us et 3us.

5 — SYNODALES prae oculis habeant verba PR "Caritative monentur omnes (ab episcopo), quod durante Synodo honeste se habeant in omnibus, et extra (sessiones seu congregationes); ita quod eorum conversatio ceteris sit merito in exemplum". **Andrieu tome III, pg. 599.**

CAPUT II

95 DE PRAEPARANDIS

COLOR pro altari et clero: missae celebrandae (108)

A — UBI PROCESSIO INITIUM SUMIT

Vide n. *42*-A sed parentur duae aulae minores pro vestitione synodalium.

I — IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI :

Omnia parentur ut in n. *42,* I.

II — IN LOCO VESTITIONIS CAPITULI ET PRAELATORUM :

Omnia parentur ut in n. *42,* III, praeterea

PRO UNOQUOQUE ABBATE VEL PROTONOTARIO :

Amictus, pluviale simplex, mitra e serico damasceno.

PRO SECRETARIO ET PROMOTORIBUS :

Amictus tres, pluvialia simplicia tria. Gavantus, pars I, cap. 19, n. 1, cap. 20, 1.

III — IN LOCO VESTITIONIS UTRIUSQUE CLERI :

Omnia parentur ut in n. *42,* IV.

96 B — IN ECCLESIA CATHEDRALI

Ecclesia ornabitur festivo et solemni ritu. CE I, 31, 6.

I — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI.

Aderit genuflexorium tapeto et pulvinaribus instructum pro episcopo; super altari ardebunt sex cerei cum ipse ante processionem vel finita functione ad orationem se sistit.

❯ Si capella ssmi. Sacramenti sit ad ambitum oculorum processionis, Sacramentum amovebitur, ne clerus processionaliter ambulans genuflectere teneatur.

II — AD ALTARE MAIUS.

Omnia parentur ut in n. *43,* II, sed observa :

Si episcopus sit metropolita et missa celebranda sit de aliquo festo seu dominica in qua usus pallii permittatur, parabitur; secus metropolita sine eo celebrabit (109). Vide n. *296* tomi I.

Pulvinaria nobilia pro evangelistario et pro episcopis omittuntur, nisi aderit episcopus auxiliaris; basis pro cruce pariter omittitur, nisi episcopus sit metropolita.

III — PRO SESSIONE.

Parentur omnia ut in n. *43,* III.

Non aderit basis pro cruce nisi episcopus sit metropolita, nec mensa pro tachygraphis.

Consule diagrammata I et II.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

97 ART. I — PROCESSIO

❯ Missa conventualis legetur extra chorum, et processio initium habebit post nonam.

❯ Si in 1mo. die synodi missa votiva de Spiritu Sancto prohibeatur, et infra octavam Pentecostes, missa conciliaris erit conventualis, sed cantabitur post nonam.

1 — QUINAM INTERVENIUNT. Ad processionem conveniunt synodales et alii utriusqus cleri, vel confraternitates, prout fuerunt ab episcopo convocati.

2 — VESTES in processione eaedem sunt ac pro missa quae sequetur, videlicet chorales unicuique propriae, et sacrae pro vicario generali, capitulo cathedralis, secretario et promotoribus concilii, missae ministris et praelatis forte intervenientibus.

3 — ITINERARIUM. Processio initium habebit in aula ubi praeses et synodales sacras vel chorales vestes acceperunt, et finietur in ecclesia synodi.

4 — ADVENTUS EPISCOPI. Episcopus recipietur ad locum suae vestitionis a capitulo et a clero ecclesiae cathedralis; deinde, facta brevi oratione coram altari ssmi. Sacramenti, si aderit, pergit ad sedem ipsi paratam, sedet, caput bireto cooperit, et canonicos benedicit, cum et ipsi, facta reverentia episcopo et cruci, recedunt ad aulam suae vestitionis.

5 — PRAEPARATIO ET VESTITIO. Omnia fiunt ut pro concilio dictum est, n. *44*, 5, sed sacras induunt vestes omnes supra citati, n. *97*, 2.

6 — PROCESSIO fit ut de concilio dictum est, n. *44*, 6.

7 — 1.ª PARS PROCESSIONIS ordinem pro concilio stabilitum sequetur, sed notetur:

1) Si praeses non sit metropolita, crux ecclesiae cathedralis portabitur a subdiacono parato, medius inter acolythos cum candelabris, ante clerum saecularem, thuriferarius crucem praecedit; si vero praeses sit metropolita, aderunt cruces duae sicut de conciliis dictum est.

2) Synodales in habitu chorali insimul procedunt juxta consuetam praecedentiam.

3) Parochi ad synodum vocati junctim procedunt, et si aderit consuetudo adhibendi stolam, eam habere poterunt tempore processionis tantum, et, hac finita, involutam super brachium dexterum reponunt.

❯ Si aderit consuetudo concedendi parochis civitatis praecedentiam super parochos rurales, servari poterit, judicio episcopi. Gavantus, pars I, cap. 9, n. 10.

❯ Si aderunt capitula collegialia, etsi insignia, habitum choralem induere tantum poterunt, sed praecedunt ceteros synodales non paratos.

8 — 2.ª PARS PROCESSIONIS:

1) Cantores bini vel quaterni.

❯ Si praeses sit metropolita hoc loco procedit thuriferarius et crucifer ejus sicut de conciliis dictum est, n. *44*, 8.

2) Secretarius et promotores synodi pluvialibus parati.

3) Protonotarii ad instar vel supranumerarii cum pluviali et mitra.

4) Abbates bini cum pluviali et mitra.

5) Capitulum ecclesiae cathedralis sacris vestibus paratum, cum quo incedunt presbyter assistens et sacri ministri missae.

6) Vicarius generalis, vel vicarii generales si sint plures.

❯ Vicarius generalis, etsi canonicus, nequit in synodo locum sumere inter canonicos. Gavantus, pars I, cap. XIII, n. 12.

7) Episcopi auxiliares, vel alii si qui aderint, cum pluviali et mitra, singulariter procedunt cum capellano uno a sinistris, oram pluvialis sustentante.

8) Episcopus, medius inter diaconos assistentes, oras pluvialis ejus sustentantes, et retro caudatarius, caudam habitus talaris ferens.

9) Episcopum sequuntur:

Ministri de mitra et baculo.

Ministri de libro et candela.

Nobilis familia.

Familiares ejusdem.

10) Episcopi et praelati in habitu praelatitio si qui aderint.

❯ Tempore processionis festivo more sonabunt campanae ecclesiarum et omnes procedunt supplicantes, psallentesque processionali modo.

9 — INTROITUS IN ECCLESIAM. Omnia fiunt ut pro conciliis dictum est, n. *44*, 9, omissis paragraphis conciliorum propriis.

❯ Si episcopus non sit metropolita, crucifer, cum omnes ecclesiam fuerunt ingressi, ad sacrarium recedit, officio suo expleto.

❯ Si, justa de causa, processio omittatur, fit ut in n. *114*.

98 ART. II — MISSA

Missa ab episcopo celebrabitur et omnia fiunt ut de concilii celebratione dictum est, n. *45*, 1 ad 9, sed notetur:

1 — Quoad usum sacri pallii, vide n. 96, II.

2 — Episcopus per chorum transiens omittit reverentias.

3 — Incensatio et osculum pacis fiunt more in missis pontificalibus solito. Vide n. *45*, 6 et 7, congrua congruis referendo.

99 ART. III — MISSA SICCA

Omnia fiunt ordine tradito pro conciliis, n. *46*, 1, 3, sed episcopus omittit reverentiam choro, et in fine locatio evangeliorum super altare (n. *46*, 4) pariter omittitur.

100 ART. IV — SESSIO SYNODALIS

› Sacristae aulam synodalem praeparabunt prout de conciliis dictum est, n. *47*, in initio.

› Priusquam episcopus de throno descendat, omnes qui post missam loca sua mutare debent ad ea accedunt.

› Si locus aderit sufficiens, dignitates et canonici cathedralis sedebunt in lineis vel in corona, latera mensae episcopi cingentes.

Veni Creator

1 — Proceditur sicut in concilio, n. *47*, 1, omissa reverentia choro ab episcopo.

Decretum de inchoanda synodo

2 — Promotores, a 2.° caeremoniario comitati, ad praesidem accedunt, ac, facta reverentia, pro synodo inchoanda instant; iterata statim reverentia, ad loca sua recedunt. Tabella III, n. 1.

Secretarius ad episcopum accedit, et, facta ei reverentia, accipit decretum de synodo inchoanda, dicente episcopo *Legatur;* iterata reverentia, ad suggestum accedit, decretumque legit, ac ad locum suum redit.

Vocatio synodalium

3 — Promotores ut prius ad praesidem accedentes, pro synodalium vocatione instant. Tabella III, n. 2.

Praeses respondet *Vocentur*, et recedunt promotores.

1us. notarius, stans a latere sinistro mensae praesidis, legit nomina synodalium cum eorum titulis, servato ordine praecedentiae, et singuli prout vocantur assurgentes cum bireto in manu respondent *Adsum*.

Canonici vocantur juxta eorum in capitulo praecedentiam; parochi servato ordine prioritatis beneficii, sed prius vocatur parochus ecclesiae cathedralis. CJC 478 § 1.

Alii sacerdotes vocantur secundum tempus officii seu gradus, deinde ordinationis, vel si eodem die ordinati fuerint, secundum aetatem. CJC 106, 3.°.

Ceteris paribus, tituli honorifici praecedentiam concedunt.

Notarius nomina absentium notabit et vicario generali tradebit.

Obedientia

4 — Synodales omnes, prout vocantur, nudato capite ad episcopum accedunt, et, facta prius et postea simul ipsi et cruci reverentia, annulum ejus deosculantur, ac ad locum suum revertuntur.

Instantia contra absentes

5 — Fit ordine pro conciliis tradito, n. *47*, 4, nisi, judicio episcopi, omittatur.

› Si qui absentes legitime fuerunt excusati, vicarius generalis hac de re synodum certiorem faciat.

Decretum de judice et officialibus synodi

6 — Secretarius accedit ad episcopum, qui ei tradit decretum de judice et officialibus synodi eligendis dicens *Legatur*.

Secretarius ad suggestum ascendens decreta legit et ad locum suum revertitur.

Decreta de synodi ordinatione

7 — Proceditur sicut de conciliis dictum est, n. *47*, 5, sed notetur:

a) Decreta conficiuntur prout in appendice habentur.

b) Promotores a 2.° caeremoniario erunt comitati.

c) Finita decretorum lectione, secretarius ad locum suum recedit, cum sententia synodi non erit exquirenda.

Sermones episcopi et oratoris

8 — Proceditur sicut de conciliis dictum est, n. *47*, 6; episcopus tamen, si velit, ipse solus synodum alloquatur.

Instantia pro 1.ma congregatione et 2.a sessione

9 — Promotores ad episcopum accedentes et praemissa reverentia, instabunt pro denunciatione 1mae. congregationis generalis et 2ae. sessionis. Tabella III, n. 5.

Episcopus respondet statuens dies et horas, vel, si placet, decretum diem et horam statuens secretario legendum tradit dicens *Legatur.*

Instantia pro exsequiis 10 — Promotores ibidem stantes, instabunt ut pro sacerdotibus qui inde a postrema synodo habita in Domino obierunt exsequiae solemnes celebrentur.

Episcopus respondet diem statuens (Tabella I, n. 8), et recedunt promotores.

Instantia pro actis 11 — Proceditur sicut de conciliis dictum est, n. *47*, 8.

Oratio mentalis 12 — Proceditur sicut de conciliis dictum est, n. *47*, 9.

Benedictio 13 — Ad nutum 1mi. caeremoniarii assurgunt capitulum cathedralis et praelati si aderint, ceteri manent genuflexi. Presbyter assistens ad thronum accedit; ministri de libro (cum canone ad benedictionem aperto) et de candela ad episcopum accedunt, qui solito more benedictionem solemnem in cantu impertietur dicens *Sit nomen Domini benedictum.*

Indulgentiae 14 — Presbyter assistens solitas indulgentias publicabit.

❯ Si episcopus sit metropolita, subdiaconus crucifer coram pontifice se sistit pro benedictione, qui prius a 2.° diacono assistente exuetur mitra.

Recessus 15 — Indulgentiis elargitis, omnes assurgunt, et, ordine quo venerunt, ad locum vestitionis recedunt.

In aula vestitionis episcopus, adjuvantibus sacris ministris, vestes sacras deponit et induit mozetam, vel cappam si maluerit.

Ceteri omnes in locis designatis, sacras deponunt vestes et induunt chorales.

Prius episcopus, deinde synodales recedunt.

❯ Post vesperas in aula nobili habebitur *1ma congregatio generalis,* ad quam synodales omnes conveniunt cum habitu chorali ut in titulo II habetur.

TITULUS IV

DE SECUNDO DIE SYNODI

CAPUT I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

101 ART. I — PRAENOTANDA

❯ In 2.° die synodi habebitur sessio II ad negotia synodi expedienda, quae constat missa, missa sicca et sessione.

1 — ORDO MISSAE. Dicitur missa votiva de Spiritu Sancto in colore rubro pro causa gravi et publica, si ritus diei eam permittat; secus missa erit de die cum oratione de Spiritu Sancto sub unica conclusione cum prima. Vide n. *45*, 1.

2 — CELEBRANS erit una e dignitatibus capituli si aderint, et sacri ministri canonici duo qui postea missae siccae inserviunt.

3 — VESTES. Synodales missae assistunt cum vestibus choralibus; vicarius generalis et capitulum ac praelati vestes sacras assumunt pro sessione tantum (110).

102 ART. II — PRAEPARANDA

COLOR: ad missam pro altari et clero: missae celebrandae.
ad sessionem pro clero tantum: rubeus.

Parentur omnia sicut pro 1ma. sessione, n. *95, 96,* sed cum sequentibus modificationibus:

I — IN LOCO VESTITIONIS CAPITULI ET PRAELATORUM

Sacrae vestes pro capitulo ecclesiae cathedralis, synodalibus qui in 1ma. sessione eas induerunt, sacris ministris et insignium, et, si episcopus sit metropolita, pro subdiacono crucifero. Vide n. *95,* II.

II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

Ut in n. *96,* I, paragrapho dempta.

III — AD ALTARE MAIUS

Omnia parentur ut pro missa solemni cum assistentia episcopi cappa induti.

SUPER ABACO: Pontificalis pars III.
Folia cum duabus fidei professionibus, tot quot erunt synodales.
Formae jurisjurandi et ratificationis fidei professionis, typis crassis exaratae.

GENUFLEXORUM ligneum duplex pro jurejurando.

IV — PRO SESSIONE

Omnia parentur ut pro 1ma. sessione, n. *43,* III, sed excluditur basis pro cruce, nisi episcopus sit metropolita.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

103 ART. I — MISSA

1 — ADVENTUS EPISCOPI. Episcopus recipietur ad januam ecclesiae cathedralis, vel ubi mos est, a capitulo et clero cathedralis, ceteri vero synodales episcopum exspectabunt ad scamna ipsis reservata.

2 — MISSA celebrabitur solemniter more consueto, cum assistentia episcopi cum cappa.

3 — BENEDICTIO ET INDULGENTIAE OMITTUNTUR, celebrans vero de more altare osculatur.

4 — FINITA MISSA, celebrans cum suis ministris et acolythis, qui tamen non deferunt candelabra, ad sacrarium debitis cum reverentiis recedit.

104 ART. II — MISSA SICCA

1 — VESTITIO. Presbyter et diaconi assistentes, debitis cum reverentiis, ad sacrarium recedunt ad sacras induendas vestes, et duo alii canonici supplebunt in diaconorum officio.

Episcopus, deposita cappa, induet amictum, albam cum cingulo, stolam, pluviale cum formali, et mitram pretiosam, ministrantibus duobus canonicis ipsi assistentibus.

Interim in sacrario, vel ubi mos est, canonici cathedralis, choralibus vestibus depositis, sacras induunt cuique proprias.

Idem faciunt episcopus auxiliaris, vicarius generalis, abbates vel protonotarii praesentes, ministri insignium, et crucifer si episcopus sit metropolita.

Diaconus et subdiaconus missae, sacris vestibus induti cum manipulis prout missae inservierunt, vel, si missa non fuit in colore rubro, mutatis vestibus missae pro aliis rubeis, ad scamnum, debitis cum reverentiis accedunt.

Presbyter et diaconi assistentes ad thronum revertuntur et canonici, qui ibi erunt, recedunt ad sacras induendas vestes.

Capitulum et synodales parati, ministri insignium, crucifer metropolitae si aderit, ad loca sua revertuntur, facta reverentia cruci et episcopo.

2 — ANTIPHONA AD INTROITUM fit ordine tradito pro 2.ª sessione concilii, n. *61,* 2.

3 — LITANIAE OMITTUNTUR sed dicitur earum oratio finalis, et proceditur ordine tradito pro 2.ª sessione concilii, n. *61,* 3.

4 — EVANGELIUM cantatur ut in 1ma. sessione concilii, n. *46,* 3, sed erit *Designavit Dominus* ut in festo evangelistarum.

› Evangelistarii locatio super altare post evangelium omittitur.

105 ART. III — SESSIO SYNODALIS

› Sacristae aulam synodalem praeparabunt prout de conciliis dictum est, n. *47,* in initio.

❯ Quoad synodalium collocationem vide paragraphos sub n. *100* in initio 1mae. sessionis.

Veni Creator 1 — Proceditur sicut pro concilio, n. *47*, 1, omissa reverentia choro ab episcopo.

Vocatio synodalium 2 — Proceditur ut in 1ma. sessione, n. *100*, 3, vel si ab episcopo non judicatur necessaria, omittetur. Obedientia omittitur.

Instantia contra absentes 3 — Fit ordine tradito pro 1ma. sessione n. *100*, 5, nisi judicio episcopi omittatur.

Nominationes juris 4 — Promotores, de more ad episcopum accedentes, instabunt ut nominationes a jure faciendae, publici juris fiant, et recedunt. Tabella III, n. 12.

Episcopus synodo parochorum consultorum, examinatorum et judicum synodalium in praecedenti congregatione adprobata nomina proponit et deinde dicit *Quid vobis videtur?* et nihil respondet synodus.

Secretarius ad episcopum accedit, qui ei tradit decretum nominationum dicens *Legatur*. Secretarius ad suggestum ascendens, vel si placet, a sinistris mensae episcopi, decretum legit, et ad locum suum recedit.

Nominationes aliae 5 — Si aliae adsint nominationes faciendae, prout in capite V tituli I, habetur (n. *91*, II), secretarius ad episcopum accedit de more, qui ei tradit decreta nominationum dicens *Legantur*.

Secretarius recedit et decreta legit e suggestu vel a sinistris mensae episcopi, et postea ad locum suum recedit.

Nominatorum jusjurandum 6 — ❯ Acolythi seu sacristae genuflexorium sufficiens pro duobus, coram mensa episcopi ponunt, et caeremoniarius 3us. super illud ponit evangelistarium apertum cum formula jurisjurandi.

Judices et examinatores synodales seu parochi consultores, aliique forsan modo nominati qui ad jusjurandum a jure tenentur, duce 2.° caeremoniario, ad episcopum bini accedunt et coram eo genuflexi, dextera evangelistario apposita, sinistra pectori, prius deposito pileolo si eo utantur, jusjurandum emittunt de conlato officio fideliter exsequendo, ac, reverentia vel genuflexione iterata, ad loca sua revertuntur.

Fidei professio 7 — Proceditur sicut de conciliis dictum est n. *62*, 4, sed notetur:

a) Post instantiam promotorum immediate proceditur ad professionem fidei emittendam, omissa lectione decreti.

b) Fidei professio emittenda est ab omnibus synodalibus coram episcopo et ab episcopo coram synodo. CJC 1406, § 1, 1.° (111).

c) Synodales bini ad ratificationem accedunt, prius deposito pileolo si eo utantur.

Decretorum publicatio 8 — Proceditur ut pro conciliis, n. *62*, 6, sed:

a) Decreta a secretario vel ab alio praelato seu canonico leguntur; quod si tempus non sufficiat ad decreta omnia legenda, sufficit legere titulos et eorum initia.

b) Finita lectione, sententia synodi non erit inquirenda, sed episcopus dicit *Deo gratias* (112).

Instantia pro exsequiis 9 — Promotores ad episcopum se sistunt de more et instant ut pro sacerdotibus, qui inde ab ultima synodo in pace Domini quiescunt, exsequiae solemnes celebrentur.

Praeses respondet diem statuens, omissa interrogatione synodo.

Instantia pro 3.ª sessione seu congregatione 10 — Proceditur ut in 1ma. sessione concilii, n. *47*, 7.

Instantia pro actis 11 — Ut ibidem, n. *47*, 8.

Oratio mentalis 12 — Ut ibidem, n. *47*, 9.

Benedictio 13 — Ut ibidem, n. *47*, 10.

Recessus 14 — Ut ibidem, n. *47*, 11.

❯ Post vesperas in aula nobili habebitur 2.ª *congregatio generalis*, ad quam synodales omnes conveniunt in habitu chorali ut in titulo II habetur.

TITULUS V

DE TERTIO DIE SYNODI (113)

CAPUT UNICUM

106 DE MISSA PRO SACERDOTIBUS DEFUNCTIS

❯ In 3.° die synodi celebrabitur missa solemnis *Requiem* pro sacerdotibus qui inde ab ultima synodo in Domino obierunt.

1 — PARABITUR ecclesia cathedralis sicut pro missa solemni defunctorum parari solet.

2 — EPISCOPUS cappa indutus, vel paratus si maluerit, missae assistit.

3 — CELEBRANS erit unus e canonicis capituli vel praelatus synodalis.

4 — ORDO. Missa dicitur sub ritu duplici cum unica oratione *Deus qui inter apostolicos sacerdotes,* anniversarii ad instar, nisi eo die missae privilegiatae defunctorum prohibeantur.

5 — SYNODALES missae interveniunt cum vestibus choralibus cuique propriis.

6 — SERMO habebitur in memoriam sacerdotum, pro quibus agitur officium, ab ecclesiastico viro ad hoc ab episcopo deputato.

7 — ABSOLUTIO ad tumulum dabitur ab episcopo tantum solito more.

❯ Post vesperas in aula nobili habebitur 3.ª *congregatio generalis,* ad quam synodales omnes conveniunt cum habitu chorali ut in titulo II habetur, ad constitutiones synodales legendas, explanandas, adprobandas.

TITULUS VI

DE QUARTO DIE SYNODI

CAPUT I

107 PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

❯ In 4.° die synodi habebitur solemnis ejus clausura, quae constat missa, missa sicca, sessione et ritibus finalibus.

ART. I — PRAENOTANDA

1 — ORDO MISSAE. Dicitur missa de SSma. Trinitate vel de Beata Maria Virgine tamquam votiva pro re gravi et publica et sub unica conclusione additur oratio *pro gratiarum actione*. Diebus quibus haec missa prohibetur dicitur missa de die, addita sub unica conclusione oratione de qua supra. Vide n. *45*, 1.

2 — CELEBRANS erit una e dignitatibus capituli, vel episcopus auxiliaris seu praelatus, ad arbitrium episcopi.

3 — VESTES eaedem erunt ac pro 2.ª sessione, n. *101*, 3.

108 ART. II — PRAEPARANDA

COLOR : ad missam pro altari et clero : missae celebrandae.
ad sessionem pro clero tantum : rubeus.

Omnia parentur ut pro 2.ª sessione, n. *102*, sed super altare aderunt sacrae vestes pro episcopo, videlicet : amictus, alba cum cingulo, pluviale cum stola, mitrae pretiosa et auriphrygiata ; baculus pastoralis prope altare.

Vimpae sericae duae pro ministris de mitra et baculo.

❯ Pagellae et genuflexorium pro jurejurando omittuntur.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

109 ART. I — MISSA

Omnia fiunt ut pro 2.ª sessione, n. *103,* sed episcopus sacris vestibus paratus missae solemni assistit.

110 ART. II — MISSA SICCA

1 — VESTITIO fiet ordine tradito pro 2.ª sessione, n. *104,* 1, sed episcopus, pluviali et stola albi coloris depositis, induit pluviale et stolam rubri coloris, et sacri ministri, depositis vestibus albi coloris, induunt alias rubras.

2 — ANTIPHONA AD INTROITUM cantatur ordine tradito pro 3.ª sessione concilii, n. *46,* 1, sed in fine dicuntur orationes propriae duae, videlicet *Ad te, Domine* et *Omnipotens... qui sacro verbi tui* ut in PR habentur pro 3.º die synodi.

3 — LITANIAE OMITTUNTUR et dicitur tantum earum oratio finalis *Deus, qui populis tuis,* ritu tradito pro 2.ª sessione concilii, n. *61,* 3.

4 — EVANGELIUM cantatur ut in 1ma. sessione concilii, n. *46,* 3, sed erit *Si peccaverit in te frater tuus* e feria 3.ª post dominicam 3am. Quadragesimae.

› Evangeliorum super altare locatio omittitur.

111 ART. III — SESSIO SYNODALIS

› Quoad aulae synodalis seu presbyterii dispositionem, et synodalium collocationem, proceditur ut in aliis sessionibus.

Veni Creator

1 — Proceditur sicut pro concilio, n. *47,* 1, omissa reverentia choro ab episcopo.

Vocatio synodalium

2 — Fit ut in 2.ª sessione, n. *105,* 2.

Instantia contra absentes

3 — Fit ordine tradito pro 1ma. sessione, n. *100,* 5, nisi judicio episcopi omittatur.

Decretorum publicatio

4 — Proceditur ut de 2.ª sessione dictum est, n. *105,* 8, nisi decreta omnia in praecedenti sessione jam fuerint publici juris facta.

Eorum subsignatio

5 — Secretarius exemplar synodalium constitutionum ad episcopum affert, qui eas subsignabit. Vide notam 116.

Instantia pro constitutionum promulgatione

6 — Promotores ad episcopum de more accedentes, instabunt pro constitutionum promulgatione. Tabella III, n. 13. Episcopus respondet jubens constitutiones promulgari (Tabella I, n. 7), et promotores recedunt.

Accedit secretarius, cui episcopus tradit decretum de synodalibus constitutionibus promulgandis dicens *Legatur.* Secretarius recedit, et ad suggestum decretum legit, ac ad locum suum redit.

Exhortatio finalis

7 — Episcopus, verbum ad synodum habens, omnes ad officia sua fideliter exsequenda, ad leges canonicas et liturgicas observandas, ceteraque facienda prout ei opportunum videbitur, in Domino exhortabitur (114).

Instantia ad ad synodum claudendam

8 — Promotores de more ad episcopum accedentes, instabunt pro fine synodo imponendo. Tabella III, n. 11. Episcopus respondet finem synodo imponens (Tabella I, n. 9), et recedunt promotores.

Decretum de synodo finienda

9 — Secretarius ad episcopum accedit, qui ei tradit decretum de synodo dimittenda dicens *Legatur.* Secretarius ad suggestum ascendens, decretum legit, et, eo lecto, episcopus dicit gratias Deo esse agendas (Tabela I n. 10), et synodales respondent *Deo gratias.*

Instantia pro actis

10 — Proceditur ut de conciliis dictum est n. *47,* 8, sed promotor dicit *in hac solemni postrema sessione.* Tabella III, n. 6.

Jubente caeremoniario 1.º, ostiarii januas ecclesiae, si obseratae fuerint, aperient, et populus ecclesiam ingredietur.

112 ART. IV — RITUS FINALES

Oratio gratulatoria

1 — Si episcopus opportunum judicaverit, invitabit ecclesiasticum virum, prae ceteris scientia et virtutibus nobilem, ad orationem gratulatoriam ad synodum habendam.

Sermocinator, recepta episcopi benedictione de more et osculatus ejus annulum, ad suggestum ascendit et orationem congruam habebit, in habitu quo in sessione adstabat, chorali seu sacro; et, sermone finito, ad locum suum revertitur.

Te Deum

2 — Finito sermone, episcopus, accepto baculo, cum diaconis assistentibus descendit ad faldistorium, et ad altare se vertit. Ibi, reddito baculo ac nudatus mitra a 2.° diacono assistente, episcopus intonat solemniter hymnum *Te Deum,* quod a synodo, alternante schola, continuabitur.

Ad versum *Te ergo, quaesumus* episcopus genuflectit ad pulvinar ante faldistorium positum, omnibus genuflectentibus.

Oratio ad claudendam synodum

3 — Finito hymno, episcopus stans, stantibus omnibus, cantat recto tono orationem *Nulla est* ad synodum claudendam et omnes respondent *Amen;* deinde a 1.° diacono induitur mitra pretiosa et a ministro accipit baculum, ac ad thronum revertitur, medius inter diaconos assistentes, sequentibus ministris insignium, et clerum benedicens cum per chorum transit.

Benedictio solemnis

4 — Presbyter assistens ad solium ascendit, et episcopus solito more synodo et praesentibus benedicit dicens *Sit nomen Domini benedictum;* quod si fuerit metropolita defertur ante eum crux, propterea mitram prius deponit.

Indulgentiae

5 — Benedictione impertita, sedet episcopus, dum presbyter assistens consuetas indulgentias publici juris facit.

› Solet Sacra Poenitentiaria episcopis concedere facultatem dandi plenariam indulgentiam in fine 1mae. synodi.

› Episcopus laudabiliter seliget diem clausurae synodalis actionis ad benedictionem papalem cum indulgentia plenaria clero et populo concedendam, prout jure ordinario ei permittitur.

› Si episcopus speciali facultate instruatur, dabit benedictionem papalem cum plenaria indulgentia ritu tradito pro conciliis, n. *69*, 4.

› Laudes seu acclamationes omittuntur. CE I, 31, 20.

Recessus

6 — Proceditur ordine tradito pro conciliis, n. *69*, 6.

› Episcopus laudabiliter synodales ad prandium post sessionem invitabit, et in fine comestionis cantores laudes Hincmari modulabuntur, factis mutationibus ad synodum necessariis.

TITULUS VII

RITUS ALIQUANDO ADHIBENDI

CAPUT I

IN PRIMO DIE SYNODI

113 ART. I — SI EPISCOPUS MISSAM NON CELEBRET

❯ Si, gravi de causa, episcopus missam pro synodo inchoanda celebrare nequit, haec celebrabitur ab episcopo auxiliari seu a 1ma. dignitate capituli cum assistentia episcopi.

1 — Processio ante missam omittitur, cetera fiunt ut pro missa solemni in 2.ª sessione synodi n. *103,* sed episcopus sacris vestibus paratus missae assistit.

2 — Missa sicca celebrabitur ut pro 1ma. sessione dictum est, n. *99,* sed omnes sacras prius induunt vestes ut pro 2.ª sessione synodi, n. *104.*

3 — Cetera fiunt ut de 1ma. sessione dictum est.

114 ART. II — SI PROCESSIO OMITTATUR

❯ Rationabili de causa, judicio episcopi, processio extra ecclesiam ante synodi inchoationem omitti poterit, in quo casu:

1 — Episcopus ad missam solemnem se parat more consueto in secretario, cum cantu horae nonae.

2 — Fiat introitus processionalis ante missam pontificalem consuetus, vel clerus januam exteriorem sacrarii egrediens, introibit per ostium majus ecclesiae.

3 — Crux ecclesiae cathedralis sola adportabitur, vel, si episcopus sit metropolita, crux ejus tantum.

CAPUT II

DE SYNODO BREVIORI

115 ART. I — IN TRIBUS DIEBUS

Si synodus in tribus diebus successivis erit celebranda, quae in titulo V, de 3.° die synodi habentur omittuntur (115).

116 ART. II — IN DUOBUS DIEBUS

A — IN PRIMO DIE

1 — Processio omittitur.

2 — Missa celebrabitur solemniter ab episcopo, vel a canonico seu praelato coram episcopo pluviali parato.

3 — Omnes qui sacras vestes induere debent, eas induunt prout de 1ma. sessione dictum est, n. *97,* 2, dummodo missa solemnis ab ipsomet episcopo celebretur. Si tamen missa ab alio cantetur, sacrae vestes assumentur expedita missa, sed vide notam 110.

4 — Sessio synodalis celebrabitur ritu tradito pro 1ma. sessione, *100,* 1 ad 8.

5 — Finito sermone, sessio suspenditur ordine tradito pro concilio, n. *73*-A.

6 — Post vesperas sessio reassumitur ritu tradito pro concilio *73*-B.

Negotia tractentur ut infra:

a) Fiunt nominationes juris vel aliae faciendae ut in n. *105,* 4 et 5, et deinde nominati jusjurandum emittunt, n. *105,* 6.

b) Fidei professio emittitur, n. *105, 7*.

c) Decreta publici juris fiunt, n. *105,* 8.

d) Fit instantia pro 2.ª et ultima sessione ordine tradito pro concilio, n. *47, 7*, et deinde fit instantia pro actis, n. *47,* 8.

e) Oratio mentalis fit ut in, n. *47,* 9.

f) Benedictio et indulgentiae dantur ut in n. *100,* 13 et 14.

g) Recessus fit ut in n. *100,* 15.

❯ Congregatio generalis omittitur.

B) — IN SECUNDO DIE

Proceditur ordine tradito in titulo VI, nn. *107* and *112*

117 ART. III — IN DIE UNO

❯* Juxta PR synodus etiam in die uno absolvi potest, si negotia omnia possint ita compendiose tractari; talis vigebat usus in dioecesibus in quibus, ad tramitem Concilii Tridentini, synodi annuatim habebantur. Fatendum tamen celebrationem synodi in uno vel etiam in duobus diebus synodum proprie haud dici posse; difficile negotia synodalia in diebus duobus absolvi possunt, vix in uno. Propterea cum juxta CJC synodi post singulos decennios celebrari debeant, decet ut quam solemnissime fiant per quatuor vel saltem tres integros dies; secus non aderit locus pro sessionibus et congregationibus. Praeterea solemnis inchoatio et clausura synodi in uno eodemque die haud intelligitur.

1 — Pro synodo in uno die habenda proceditur ordine tradito pro 1.° die synodi quando in duobus diebus absolvitur, n. *116.* Sed in sessione vespertina post decretorum publicationem (n. *105,* 8) ista statim subsignantur, n. *111,* 5; deinde fit ut in fine ultimae sessionis, n. *111,* 6 ad 10

2 — Ritus finales fiunt ordine tradito pro ultima sessione n. *112,* 1 ad 6.

CAPUT III

DE SYNODO SINE EPISCOPO CELEBRANDA

118 ❯ Si episcopus loci ordinarius gravi de causa synodo praesidere nequeat sequentes serventur normae.

I — SI PRAESES SYNODI SIT S. R. E. CARDINALIS, licet sine episcopali charactere, omnia fiunt prout expositum est.

119 II — SI SYNODO PRAEEST METROPOLITA INTRA SUAM PROVINCIAM omnia fiunt prout de metropolita in sua dioecesi dictum est, non exclusa cruce archiepiscopali, sine tamen 7.° candelabro.

120 III — SI SYNODO PRAEEST APOSTOLICUS ADMINISTRATOR charactere episcopali ornatus ad tempus renuntiatus, seu episcopus coadjutor vel auxiliaris, functiones peragat ad faldistorium ordine sequenti:

1 — Praelati, capitulum cathedralis vel alii qui in synodo sacras induunt vestes, habitu chorali tantum induti functionibus interveniant. Vide notam 110.

2 — Processio omittitur.

3 — Missa inchoationis ad faldistorium celebrabitur a praeside ritu episcopi titularis proprio, adhibito tamen baculo.

4 — Missa sicca celebrabitur ad faldistorium ut infra habetur.

5 — Sessio synodalis celebrabitur ritu tradito, n. *100*, sed mensa praesidis locabitur super suppedaneum unius gradus tantum, et sacri ministri parati inservient loco diaconorum throni.

6 — Post *Veni, Creator* secretarius, e suggestu, legit decretum loci ordinarii, episcopum auxiliarem seu coadjutorem synodi praesidem constituens.

7 — Obedientia omittitur; indulgentiae pariter omittuntur, sed solemnis benedictio impertitur a praeside in fine sessionis.

8 — Si praeses sit apostolicus administrator, constitutiones subsignabit, secus ad loci ordinarium subsignanda deferentur.

9 — Cetera fiunt sueto more.

121 IV — SI SYNODO PRAEEST VICARIUS GENERALIS vel CAPITULARIS, seu APOSTOLICUS ADMINISTRATOR sine episcopali charactere, sequentes serventur normae.

1 — Processio pro synodo inchoanda omittitur.

2 — Missa aperitionis a praeside celebrabitur ritu solemni sacerdotali; si vero praeses sit protonotarius ad instar participantium, ritu pontificali ipsi proprio, celebrabit; si sit administrator apostolicus cum privilegiis protonotarii de numero, pontificali ritu celebrabit ad faldistorium; in utroque tamen casu in fine missae populum de more benedicit.

3 — Missa sicca celebrabitur ad altare ut infra n. 123; si vero praeses gaudeat privilegiis protonotarii de numero celebrabit ad faldistorium ritu inferius posito, n. 122.

4 — Sessio synodalis celebrabitur ordine tradito sub n. *100*, cum modificationibus sub n. *120*, 5, datis pro episcopo titulari, videlicet praeses sacris vestibus paratus, cum mitra si ejus fruatur usu, et cum assistentia sacrorum ministrorum, sessioni praesidet; in fine tamen benedictionem non dabit nec indulgentias.

5 — Diebus quibus praeses missae solemni ab alio celebratae assistit, sedebit in 1.° loco chori, habitu praelatitio tantum indutus.

CAPUT IV

122 MISSA SICCA AD FALDISTORIUM

❯ Si celebrans usu gaudeat faldistorii, missa sicca celebrabitur ordine sequenti.

A — SI PRAESES MISSAM CELEBRET

Finita missa, celebrans cum suis ministris ad faldistorium a latere epistolae revertitur.

Presbyter assistens, facta reverentia celebranti, ad scamnum recedit; sacri ministri manipulos deponunt.

Celebrans, ministrante diacono et adjuvante subdiacono, dimittit mitram, planetam, dalmaticam, et tunicam, atque induitur pluviali, mitraque pretiosa.

Deinde, ante se habens ministros de libro et scotula cum sacris ministris utrimque, legit gratiarum actionem, interim dimittens caligas et sandalia.

Sacristae quae missae inservierunt amovent, exceptis acolythorum candelabris et evangelistario.

B — SI PRAESES MISSAM NON CELEBRET

Finita missa, celebrans cum suis ministris recedit.

Locabitur faldistorium ex parte epistolae, et, finita missa, accedunt sacri ministri qui missae inservierunt, vel alii duo sacris vestibus induti sed sine manipulis, qui loca sua sumunt a lateribus faldistorii.

Praeses, a 1.° caeremoniario comitatus, ad faldistorium accedit et induit amictum, albam cum cingulo, stolam et pluviale ac mitram pretiosam.

Cum paratus erit praeses, ad faldistorium in medio presbyterio positum accedit pro missa sicca.

1 — ANTIPHONA AD INTROITUM. Celebrans assurgit et, medius inter sacros ministros, pergit ad faldistorium in medio presbyterio positum, salutans chorum cum per eum transit, et deinde crucem salutat.

Cetera fiunt ut de conciliis dictum est, n. *46,* 1 vel n. *61,* 2, sed celebranti assistunt sacri ministri; presbyter assistens remanet ad scamnum.

2 — LITANIAE. Omnia fiunt prout de conciliis dictum est, n. *46,* 2, vel n. *61,* 3; sed *Flectamus genua* canitur a diacono, *Levate* a subdiacono.

Dictis orationibus, pontifex accipit mitram et ad faldistorium missae recedit et sedet.

3 — EVANGELIUM. Acolythi manipulos brachiis diaconi et subdiaconi imponunt.

Diaconus, accepto evangelistario, illud super altare locat, factis suetis reverentiis, et ad episcopum revertitur.

Thuriferarius accedit, et episcopus, diacono naviculam ministrante, incensum benedicit et thuribulo imponit.

Diaconus, dicto *Munda cor meum* et accepto evangelistario, ad celebrantis benedictionem accipiendam accedit.

Cantatur evangelium praescriptum, et dum cantatur, presbyter assistens stabit a sinistris episcopi, qui baculum in manu tenebit.

In fine celebrans, osculatus textum, incensatur a diacono, quae omnia fiunt ut in missa pontificali ad faldistorium.

Sacri ministri, manipulis depositis, se sistunt a lateribus celebrantis; presbyter assistens vero, officio suo expleto, recedit, pluviale dimittit, ac cum vestibus choralibus propriis ad locum suum in sessione accedit.

Acolythi cum candelabris ad sacrarium recedunt.

CAPUT V

123 MISSA SICCA AD ALTARE

❫ Si praeses non gaudet usu faldistorii, missam siccam celebrabit ad altare quo sequitur ordine.

A — SI PRAESES MISSAM CELEBRAVIT, ea finita, ad scamnum accedit, ubi sacri ministri manipulos deponunt, deinde praeses exuitur casula et manipulo, auxiliante diacono, et induit pluviale.

B — SI MISSA AB ALIO CELEBRATA FUIT, versus finem missae praeses synodi ad sacrarium, comitante 1.° caeremoniario, recedit, et induit amictum, albam cum cingulo, stolam et pluviale, vel etiam mitram si ejus gaudeat usu; deinde comitatus a sacris ministris paratis, sed sine manipulis, ad altare accedit solito more.

1 — ANTIPHONA AD INTROITUM. Facta cruci altaris debita reverentia, praeses stans intonat antiphonam, quae a subdiacono vel ab alio ei praeintonatur, et statim genuflectit in inferiori gradu altaris cum suis ministris, omnibus genuflectentibus.

Finita antiphona, assurgit celebrans cum suis ministris, et ad scamnum accedit et sedet.

Dum repetitur antiphona, assurgit praeses cum suis ministris et coram altari se sistit, facta cruci reverentia; deinde cantat orationes e libro a sacris ministris sustentato, vel, si commode fieri possit, a ministro de libro.

2 — LITANIAE. In medio presbyterio coram altari, ubi locari solet faldistorium, ponetur scabellum et super ipsum pontificale ad litanias apertum; praeses cum suis ministris ante illud se sistit et genua flectit.

Litaniae cantantur ritu tradito pro conciliis, n. *46,* 2. Ad *Ut hanc presentem synodum* celebrans cum suis ministris assurgit, non deposita mitra si ea utatur, et synodum benedicit, ac iterum genuflectit. Cetera fiunt ut pro functione ad faldistorium.

❫ In 2.° vel 3.° die seu quando litaniae omittuntur, praeses post duas collectas in fine psalmi statim adjungit tertiam orationem, praemissa a ministris invitatione ad genuflectendum, sed praeses non genuflectit.

3 — EVANGELIUM. Post collectam praeses cum suis ministris coram altari accedit et ascendit ipse solus; ministri, facta reverentia, ad scamnum accedunt et manipulos induunt.

Praeses altare osculatur; diaconus evangelistarium super altare ponit; praeses incensum benedicit et thuribulo imponit, deinde diaconum benedicit, qui evangelium cantat et praesidem incensat, quae omnia fiunt more in missis solemnibus consueto.

Sacri ministri manipulos deponunt et acolythi cum candelabris ad sacrarium recedunt.

Celebrans descendit in planum et genua flectit in infimo gradu altaris pro cantu *Veni, Creator* et sessionis initio.

❫ Si praeses jus habeat ad presbyterum assistentem, hic, post incensationem celebrantis, facta ipsi et cruci reverentia, ad sacrarium recedit, officio suo expleto.

TITULUS VIII

124 DE SERVANDIS POST SYNODUM

1 — AUDIENTIA PUBLICA. Juxta sanctum Carolum, finita synodo, audientia publica erat concedenda, tum ab ipso episcopo tum a suis vicariis generalibus. AEM, tomus II, col. 1070. Vide quae dicta sunt de audientia publica conciliari, n. *50*.

2 — OBLIGATIO. Constitutiones synodales ab episcopo subsignatae statim urgere incipiunt, nisi aliter ab ipso determinatum veniat (116).

3 — DISPENSATIONES super res in synodo determinatas legi generali Ecclesiae subjiciuntur.

4 — EXPENSAE in synodi celebratione habitae aequaliter dividi debent juxta vires seu necessitates dioecesis.

5 — LITTERAE PASTORALES. Episcopus solet, peracta synodo, epistolam ad clerum populumque dirigere, illos de rebus gestis certiores faciens.

6 — APPENDIX. Decet edi in fine constitutionum synodalium appendix in qua habeant parochi ordinationes generales dioecesis quae in appendice concilii loci non inveniuntur. Vide appendicem ad concilium, n. *82*.

FORMULARIUM

PRO SYNODI CELEBRATIONE

FOLIA ET LIBELLI TYPIS EXCUDENDA

1 — Schema constitutionum synodalium.

2 — Litterae indictionis synodi ad singulos ad eam vocandos mittendae, quae conscribentur modo quo episcopo placuerit. Vide n. *83,* 5.

3 — Edictum de processione habenda.

4 — Normae a vicario generali datae quoad hospitium vel disciplinam cleri tempore synodi sed extra rem synodalem.

5 — Normae a praefecto caeremoniarum de episcopi mandato datae, ordinem et disciplinam in processione, et in re synodali statuentes.

6 — Normae praecedentiae in processione et sessionibus servandae.

7 — Elenchus synodalium et officialium synodi, juxta ordinem praecedentiae, adjectis titulis et officiis uniuscujusque pro vocatione in sessione.

8 — Tabella precum in processione et in missa sicca adhibenda.

9 — Elenchus sacerdotum qui ad officia diversa in synodo eligi poterunt, ut in capite V tituli I (n. *91*) habetur.

10 — Formula jurisjurandi eorum qui in synodo ad officia erunt nominandi.

11 — Formulae professionum fidei, tot quot erunt synodales.

12 — Formula, typis crassis impressa, ratificationis fidei professionis.

13 — Regulae principaliores in congregationibus servandae. Vide *Ratio deliberandi,* nn. *52* ad *57* pro conciliis data.

FORMULA JURISJURANDI AB ILLIS QUI AD OFFICIA NOMINATI FUERUNT

AEM tom. II, col. 1067

Ego N. examinatoris synodalis — parochi consultoris — judicis synodalis (seu alterius) officium quod suscepi, promitto, spondeo ac juro, me fideliter et sincere, quantum in me est exsecuturum; quavis personarum acceptione posthabita. Sic me Deus adjuvet et haec santa Dei Evangelia. CJC 364 § 2, 1.°.

Ad normam CJC jusjurandum emittere debent:

1) Omnes qui ad curiam dioecesanam pertinent, inter quos adnumerantur examinatores et judices synodales, parochi consultores, censores. CJC 363 § 2; 364 § 2 1.°.

2) Administratores bonorum ecclesiasticorum. CJC 1520, § 4; 1522, 1.°.

3) Omnes qui tribunal ecclesiasticum constituunt aut eidem opem ferunt. CJC 1621 § 1.

❯ Si, de episcopi mandato, officiales synodi sacramentum emittere debeant, inservit forma pro officialibus concilii data, cum modificationibus quas episcopus faciendas judicaverit.

❯ Insuper omnes qui curiae episcopali seu tribunali ecclesiastico sunt addicti jusjurandum emittere debent de secreto servando intra fines et secundum modum a jure vel ab episcopo determinatum. CJC 364 § 2, 3.°.

FORMULA PRO DECRETIS SYNODALIBUS CONSCRIBENDIS

❯ Decreta quae sequuntur in sessionibus synodalibus promulgantur, prius tamen in congregatione, quae sessionem praecedit, leguntur.

I

DECRETUM DE SYNODO INCEPTA

Nos N. Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus N. etc.

Auctoritate nostra ordinaria synodum dioecesanam N. (1ma. vel qualis), jam litteris nostris datis die... convocavimus.

Quum itaque statuta dies auspicato advenerit, quumque omnia parata sint, ad maiorem Dei gloriam, ad Beatae Virginis Mariae ejusque castissimae Sponsi Joseph, et SS NN huius Dioecesis N. patronorum, ad praescriptos a sacris canonibus fines consequendos, Nos, auctoritate qua fungimur, per praesens decretum statuimus et declaramus, hac ipsa die, adjuvante Dei gratia, synodi nostrae N. initium fieri et jam factum esse. Deum interea humiliter adprecantes, ut quod ipse coepit, perficiat, consolidetque.

Datum N., die (1mae. sessionis)

N. Episcopus.

II

DECRETUM DE SYNODI JUDICE ET OFFICIALIBUS NOMINANDIS

❯ Decretum hoc conscribitur sicut de conciliis dictum est, sed omittuntur verba *de consensu... Patrum,* atque adjungitur nomen judicis synodi prout in capite V, tituli I habetur.

III

DECRETUM DE MODO VIVENDI IN SYNODO

Quoniam nihil fere saepius divinis litteris et ecclesiasticis monumentis commendatum est, quam clericalis ordinis vitae integritas, innocentia, fides, religio, pietas, virtutumque omnium ornamenta, quibus Domus Dei potissimum excolitur, ideo vos omnes et singulos, ecclesiastici Dioecesanam Synodum in hac urbe celebrantes, in Domino cohortamur, ut, cum vos semper praeclaro vitae exemplo alios inflammare ad virtutem deceat, tum hoc tempore, quo potissimum clericis pie et religiose vivendi rationem praescribimus, ipsi ex legum praescripto honeste viventes assidue in laudem Dei incumbatis, pie et caste preces offeratis, vosque Sacerdotes quotidie hoc Synodali tempore Missae sacrum peragatis; faciatis item obsecrationes, orationes et postulationes pro Sanctissimo Domino Nostro N. Pontifice Maximo, et pro humili Nostra Persona, necnon pro spirituali progressu huius Ecclesiae N., ut, auxiliante Dei misericordia, quae ad nostram omniumque fidei nostrae concreditorum salutem spectant, ea diligenter et sancte peragamus.

In loco autem benedictionis, quod templum Domini est, confidentes Vos et cor totum referentes ad Dominum, et Synodales tractationes vobiscum mente tacita reputantes, loco et ordine cuique assignato sedete, ne vocibus obstrepite, confabulationibus autem nunquam operam date, quae et venerationi huius loci et ecclesiasticae disciplinae et dignitati synodicae actionis repugnant; atque iuxta Caeremonialis rubricas, moderatoribus caeremoniarum sine contradictione obedite, atque omnia quiete et iuxta ordinem fiant, nec vestrum quisque a loco sessionali exire audeat, nisi de necessaria causa, tuncque impetrata exeundi facultate a Vicario Generali.

Datum die N. (1mae. sessionis)

N. Episcopus.

IV

DECRETUM DE PRAEJUDICIO NON AFFERENDO

❱ Hoc decretum conscribitur prout de conciliis jacet, mutatis verbis *in plenarium concilium* pro *in synodo hac dioecesana.*

V

DECRETUM DE NON DISCEDENDO

Ut consentientibus omnibus ad finem feliciter perducantur nostrae synodales deliberationes, districte vobis omnibus et singulis, qui huic Synodo iure interesse debetis, vetamus ut ne vestrum quisquam a civitate hac N. discedat, exceptis iis quibus notis de causis permisimus, ea tamen conditione, ut sessionibus omnino adsistant, antequam haec Nostra Dioecesana Synodus de more absoluta ac dimissa sit. Qui vero gravi de causa usque ad finem interesse nequeat, debitam discedendi facultatem a Vicario Nostro Generali prius obtineat.

Hinc huic Synodo, synodalibusque actionibus, sessionibus ac conventibus quibuscumque, qui indicentur, omnes et singulos vos interesse iubemus.

Datum die N. (1mae. sessionis)

N. Episcopus.

❱ Decretum hoc sicut etiam illud de modo vivendi in synodo traduntur a T. Veggian in opusculo suo *Il sinodo diocesano*, Vicenza, 1920, et adhibentur in dioecesi Vicentina.

VI

DECRETUM DE SECRETO SERVANDO

❱ Huius decreti publicatio omittatur, nisi, judicio episcopi, super quasdem partes rerum agendarum erit emittendum, in quo casu inservit, mutatis mutandis, formula pro conciliis data.

VII

DECRETUM DE JUDICIBUS ET EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS ET PAROCHIS CONSULTORIBUS NOMINANDIS

Cum juxta canones 285, § 2 et 1574 in synodo dioecesana ab episcopo, adprobante synodo, nominandi sint judices et examinatores synodales ac parochi consultores, nos horum qui sequuntur ecclesiasticorum virorum nomina synodo proposuimus, et ad canonica officia exsequenda renuntiamus prout sequitur:

Judices synodales :

NN.

Examinatores synodales :

NN. ....

Parochi consultores :

NN. ....

quos omnes in Domino exhortamur ut pro viribus officia sibi commissa cum omni diligentia, maximaque adhibita cura, explere valeatis, ad huius synodi et nobilissimae dioecesis nostrae honorem et decorem.

Datum die... (2ae. sessionis)

N. Episcopus.

❯ Si aliae sint nominationes faciendae, decreta conscribi poterunt, mutatis mutandis, prout de hoc decreto dictum est.

VIII

DECRETUM DE PROFESSIONE FIDEI EMITTENDA

❯ Huius decreti lectio in synodis solet omitti, sed Mediolani tempore sancti Caroli fiebat, et in quibusdam locis fieri adhuc solet; quod si legendum sit, inservit, mutatis mutandis, forma pro conciliis data.

IX

DECRETUM DE SYNODO PROMULGANDA

❯ In synodis nullum datur decretum de ea subscribenda, sed loco ejus legitur decretum episcopi quo constitutiones synodales vel aliae instructiones promulgantur.

X

DECRETUM DE SYNODO FINIENDA

❯ Decretum hoc conscribi poterit formula pro conciliis data, sed omittuntur verba *de... Patrum consensu* et ubi dicitur *concilium* legatur *synodus.*

TABELLA PRO SYNODI CELEBRATIONE

I — TABELLA PRAESIDIS

❯ Tabella pro concilio data inservit, cauto tamen quod ad synodales loquens vel de ipsis agens dicit tantum episcopus *Revmi. Synodales;* sic dicit *Habeatur Revmorum. Synodalium sententia* vel *Placuit synodalibus* etc.; insuper ubi legitur *Concilium* legatur *Synodus.*

II — TABELLA SECRETARII

❯ Inservit tabella pro concilio data, factis tamen mutationibus prout de tabella praesidis dictum est.

III — TABELLA PROMOTORUM

❯ Inservit tabella pro concilio data, cauto tamen quod dicatur *huius Synodi, synodalium* etc. Ad n. 3, dicatur *ut nomina eorum vicario generali tradas.*

Insuper sequentes instantias duas adjungimus ex actis synodalibus sancti Caroli, quas tamen breviori forma ad normam CJC redegimus. AEM tom. II, col. 1060 et 1068.

12 — Instantes pro judicum et ceterorum nominatione dicunt :

Exme. ac revme. Domine,

Cum sacri canones ad tramitem Concilii Tridentini sancivere ut in dioecesanis synodis personae dignitate praeditae, aut personatus obtinentes designentur, ad causas ad forum ecclesiasticum pertinentes cognoscendas; cum praeterea praecipiunt nominationem examinatorum synodalium, seu parochorum consultorum;

Quamobrem nos, huius N. Synodi promotores petimus et instamus, personas ad ea munera apta ab Amplitudine tua exma. designari pro

huius dioecesis N. necessitatibus, prout in praecedenti congregatione generali electi et adprobati fuerunt. Praeterea instamus ut ii omnes debitum emittant jusjurandum.

13 — Instantes pro promulgandis decretis dicunt:

Exme. ac revme. Domine,

Quo diligentior sit exsecutio Synodi huius et aliarum instructionum seu constitutionum ab Amplitudine tua ad huius Ecclesiae N. sibi commissae bene gerendae rationem, nos, promotores synodales, enixe petimus ut monita seu decreta exsecutionis constitutionum seu instructionum, e suggestu per Cancellarium promulgari, et omnia alia edici et annuntiari, quo idem clerus instructior in dies fiat, ac sollicitudinis studio inflammatior ad omnem ecclesiasticae disciplinae rectam, cumulatamque exsecutionem, perpetuamque observantiam!

NOTAE AD SECTIONEM III

(97) Proinde prius de dioecesis visitatione, cujus veluti complementum est synodus, agendum esset, PR tamen de synodo et de concilio simul agit.

(98) In multis dioecesibus ante introductionem exercitiorum spiritualium cleri, annuatim celebratio synodi, praeter partem juridicam, ad vitam spiritualem in clero renovandam praecipiebatur; hodie talem finem consequuntur spiritualia exercitia data opera habenda, in quibus etiam fit fidei professio; synodus reservatur ad regimen dioecesis ordinandum. Nexus tamen apparet, seu posthabita cleri disciplina et dioecesis regimine, vix possibilis habetur vita spiritualis cleri.

(99) Cum juxta Tridentinum, synodi dioecesanae quotannis erant celebrandae ea lege, ut quotquot clerici curam animarum habentes convenirent (sess. 24, cap. 2, de refor.), plures episcopi indultum apostolicum petiebant ut ad synodum vocarentur parochi qui, juxta possibilitates propriae ecclesiae, poterant vocari; alii indultum impetrabant celebrandi synodos privatas; sic vocabantur conventus sacerdotum dioecesis cum canonicis effectibus synodi. Ea indulta per modum unius concedi solebant a S. Congregatione Concilii. ASS vol. 21, pg. 726; vol. 38, pg. 276. Cum post CJC legislatio tum quoad tempus convocationis, tum quoad sacerdotes vocandos mitigata valde fuit, hujusmodi indulta non sunt amplius necessaria. Stricte loquendo tamen indultum celebrandi synodum privatam nunquam venit concessum, cum tales conventus non nisi latissimo sensu synodi dici poterant.

(100) Juxta canonem 360 § 2 episcopus decretorum schema illis tantum synodalibus qui ad synodum convenerunt tradere tenetur; facilius tamen et celerius evolvetur schematis discussio, si ad synodales mittatur antequam ad synodum accedant; si non ad omnes, saltem ad doctiores.

(101) Quaestio difficilis movetur: quousque episcopus possit leges *praeter* jus commune condere. Id certe licet et multoties fieri debet, quia legibus generalibus satis non fit necessitatibus diversorum locorum. CJC 335. Sanctus Carolus cardinalis Borromeus multiplices condidit leges particulares in suis synodis, et Benedictus XIV docet id fieri posse ab episcopis. *De synodo dioecesana*, lib. XII, per integrum rem exponens. Sed jurisprudentia hodierna in multis differt ab ea quae tempore sancti Caroli vigebat; sic ordinatio sacrae liturgiae evasit quaestio maior Sanctae Sedi reservata. CJC 1257. Praeterea multae sunt quaestiones juris liturgici, praesertim quoad materiam et formam ecclesiarum, altarium, sacrarum vestium vel vasorum, quae a Sancta Sede non ordinantur, et in quibus a vera ecclesiastica tradi-

tione et artis sacrae legibus aberrant ecclesiarum rectores. Bene ageret synodus, quae, data opera, curaret de observando canone 1296 § 3.

(102) CJC jus antiquum mutavit, nam juxta Benedictum XIV (De Synodo, lib. III, cap. 4, n. 2) sufficiebant aliqui canonici ad capitulum repraesentandum, episcopi tamen erit res componere ne servitium chorale detrimentum patiatur.

(103) Si quis putet se esse ad synodum jure consuetudinario vocandum, quia v.g. ad ultimas synodos tales sacerdotes fuerunt vocati, probare debet agi de consuetudine centenaria vel saltem immemoriabili, quae in praxi vix habetur; ceterae consuetudines suppressae habeantur. CJC 5. Oportet proinde verba PR ...*qui de jure vel consuetudine venire tenentur* juxta CJC interpretari.

(104) Juxta verba admonitionis pontificis in 1.° die synodi discussiones in ipsis sessionibus essent habendae. Dicit postea rubrica *querelae, si quae sint, audiuntur;* agitur de usu maiorum, hodie in sessionibus obsoleto. Placet tamen urgere ut in schematis praeparatione servetur mens admonitionis PR (in 1.° die synodi) quae omnino concordat cum canone 361; nam, etsi unus sit legislator, oportet audire eos qui, licet sint secundae dignitatis viri, principales sunt cooperatores episcopi in pascendo grege Christi, et primo loco parochos; ad rem synodorum magister: "Dioecesanas Synodos a prima earum origine potissimum ex parochis fuisse conflatas, et ratio suadet, et antiquissimi Ecclesiae canones nos edocent". Benedictus XIV, de Synodo, lib. III, cap. 4, § 1.

(105) De cathedratico in synodo solvendo non egimus, quia cum quotannis solvi debeat ad normam canonis 1504, et synodi non amplius ita frequenter habeantur, ejus solutio aliter in unaquaque dioecesi ordinatur; fieri tamen potest in 1ma. congregatione generali, si episcopo ita videbitur.

Pariter nominationem testium synodalium, septem vel plurium, ex actis ecclesiae Mediolanensis, omisimus. AEM tom. I, col. 450. Eorum munus, odiosum nimis, erat episcopum certiorem reddere de decretorum synodi in dioecesi observantia, cui nunc aliter provideri potest.

(106) Necesse erit tandem aliquando rubricas de synodi celebratione, deque concilio provinciali separatim edi; prout exstant, confusionem gerunt; nam PR a prima ad ultimam rubricam de dioecesana tantum synodo agit; CE vero in cap. 31 libri I, paucis exceptis, de provinciali concilio tractat. Martinucci ipse, rubricas quasdam CE quae de provinciali concilio agunt, uti de Pallii usu, ad synodum extendit; praeterea concilium maiori cum solemnitate celebrandum est quam synodus.

(107) Rubricas PR legentibus, patet nullam processionem esse ante synodum faciendam, et articuli 11, 12, 13 CE (l.c.) potius agunt de conciliis; tamen processiones solent fieri in initio et in fine synodi; ita docet Gavantus (pars I, cap. 14) quem sequitur Martinucci. Solebat sanctus Carolus processionem instituere ab Ecclesia Metropolitana ad Basilicam Ambrosianam in qua fiebat statio seu missa sicca, et rursus ad Metropolitanam, ubi, post missam pontificalem ab ipsomet celebrata et cantatis litaniis, per integram horam orationem ad clerum habebat, ultimo sessio

synodalis celebrabatur! AEM tom. II, col. 1043. Quo non obstante, episcopus poterit justa de causa, processiones omittere.

(108) Juxta CE (I, 31, 11) et PR *paramenta omnia erunt coloris rubri*, supponit enim cantari missa de Spiritu Sancto; decet proinde synodum aperire die quo missa de Spiritu Sancto permittatur, secus missa erit de die in suo colore, juxta novissimas rubricas MR superius citatas. Sed quaeri potest: 1) Si missa non fuit in colore rubro, retinendus estne color missae pro sessione? 2) Quando synodales sacras assumunt vestes post missam pro sessione, cujusnam erunt coloris?

Ad 1am. Juxta doctrinam Benedicti XIV (notam 110) capitulum vel alii in synodo praesentes sacras vestes adhibent cum episcopus solemniter missam celebrat, secus non. Proinde ratio principalis vestium sacrarum est missa solemnis, cujus color retinendus est pro functionibus sequentibus; sic factum est Romae in initio Concilii Vaticani et postea in initio Concilii Plenarii Americae Latinae; mutatio vestium totius presbyterii intra functiones evadit morosa et caret pulchritudine.

Ad 2am. Si praeses cum suis ministris, et juxta receptum usum etiam capitulum vel praelati, sacras vestes sunt accepturi pro sessione, sequimur rubricas CE et PR, quas etiam Gavantus sequitur, pars II, sess. II, 5; sess. III, 5. Exstat forsitan ratio intrinseca, seu Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quod praesertim in synodis consequitur. Mediolani ruber erat color synodorum et conciliorum tempore sancti Caroli.

(109) Si dies non sit de pallio, nequit metropolita eo uti pro missa inchoationis synodi, nam rubrica CE (I, 31, 13) loquitur de concilio provinciali, dicit enim *cantabitur missa per archiepiscopum vel ab antiquiore suffraganeo.* Ita etiam aperte docet Benedictus XIV *ad quam indubitanter respondemus, neque archiepiscopo, neque episcopo habenti Pallii privilegium, fas esse in ea* (synodo) *Pallium gestare.* De Synodo, lib. III, cap. XI, n. 7. Corrigendus proinde Martinucci. vol. 4, pg. 392, 402.

(110) Dicit Benedictus XIV (l.c. lib. III, cap. XI, § X): "... si vel privatim (episcopus) missam faciat, vel missae quam alter celebrat, assistat... canonici sacra indumenta non assumunt sed illa adhibent, quae in choro deferunt, quae etiam retinent cum sessionibus synodalibus adsunt". Id eruitur ex eo quod missa solemnis, missa sicca, et sessio, quid unum efficiunt, nam solemnis benedictio in fine sessionis tantum impertitur. Proinde canonici sacras vestes habebunt in sessione *si* eas in missa solemni loci ordinarii habuerunt, secus non. Hac de re tacet PR; CE dicit vestes sacras accipiendas esse, sed potius loquitur de concilio, et agit de 1ma. sessione cum episcopus solemniter celebrat. CE I, 31. 11. Nobis videtur standum doctrinae Benedicti XIV, et hac de re nulla dubitatio si synodus non ab ipsomet episcopo loci ordinatur, sed ab alio praelato de speciali mandato ejus, tametsi episcopali charactere fulgeat.

Quoad sessiones synodales habitas post missam ab alio celebratam coram episcopo, vel post ipsius missam lectam (quae tamen omnino improbanda est) viget usus ab auctoribus probatus ut canonici sacras induant vestes; nam missa sicca et

sessio ab episcopo revera praeficiuntur, et quasi aliquid a missa disjunctum haberi possunt; praeterea etiam in processionibus et in vesperis quibus praeest episcopus, canonici ita se habent. Proinde ab usu recepto recedere noluimus; contraria tamen sententia Benedicti XIV valde nobis placet cum distinctionem claram ponit concilium inter et synodum, et improbandus non esset episcopus qui verbis Benedicti XIV standum putaret.

(111) Ante codicem fidei professio *laudabiliter* erat ab episcopo in synodo emittenda (Benedictus XIV, de synodo lib. V, cap. II, n. 4), post codicem vero fieri debet. Fidei professio actus est nobilissimus, proinde si praesens aderit episcopus auxiliaris vel coadjutor seu alius forte invitatus, nequiret dispensari ex eo quod sit episcopali charactere auctus, nam non modo ipsi S.R.E. cardinales in plenariis conciliis sed nec Summus Pontifex in oecumenicis a fide emittenda dispensantur. Dicimus episcopum professionem fidei emittere debere ad synodum conversus, legit enim CJC *coram synodo;* innovatio quoad modum, nam synodus est episcopo inferior, proinde dicebat Gavantus episcopum fidei professionem emittere genuflexus versus altare *coram Deo.* Pars II, annotatio 3.ª; de professione. Nec sufficit, sicut passim fiebat ante CJC, si ab episcopo fiat tantum professio summaria *singula singulis referendo,* lex enim non distinguit.

(112) S. Cong. Concilii (27-IV-1592) prohibuit in fine synodi per verba *Piacetne vobis* clerum interrogare, nam unicus legislator est episcopus. Ferraris, Bibliotheca verbum *Concilium,* n. 60.

(113) Verba Pontificalis de *1mo., de 2do. vel de 3.° die Synodi* se referunt ad 1mam., 2am. vel 3am. sessionem synodi, quae quidem, teste sancto Carolo, non necessario tribus diebus successivis, nullo interposito, celebrari decet; imo potius valde convenit diem unum inter sessiones intercalare ad congregationes cleri habendas, in quibus res utiles ad dioecesis ordinationem exponantur et discussionibus elucidentur.

(114) Exhortatio finalis PR seu potius monitiones *Nos, quamvis indigni,* licet in multis obsoletae, valde curiosae sunt et studio liturgistarum commendantur, nam ibi inveniuntur plurima maximi momenti. Omnino legendae sunt etiam monitiones synodales sancti Caroli Cardinalis Borromei, quae, a principio ad finem, agunt de vita clericorum, de legibus canonicis et liturgicis servandis. AEM tom. I, col. 453-471. Nec praetermittendi sermones ejus synodales, e quibus aliqui supersunt. AEM tom. II, col. 841-908.

Liceat nobis hic in praelatorum memoriam revocare instructiones synodales Ludovici-Eduardi Cardinalis Pie circa errores temporis nostri, quae in multis minime sunt obsoletae. Inter recentiores synodos specialem mentionem meretur Synodus Ecclesiae Pisanae XI, a Cardinali Maffi, praeclarae memoriae, adunata anno 1920, in qua etiam perpulchram habuit more suo ad clerum exhortationem.

(115) Minus videtur convenire, si synodus in tribus diebus absolvatur, celebrare missam pro defunctis sacerdotibus immediate ante missam siccam et sessionem conciliarem sicut docet Gavantus, Pars II, sessio 2.ª, a; hoc enim juxta PR fieri nequit, nam missa de requie non est missa synodalis.

(116) Constitutiones dioecesanae in synodo adprobatae nulla indigent confirmatione a Sancta Sede, quae non solet dari, nec proinde est petenda. Benedictus XIV, De Synodo, lib. XIII, cap. 3, n. 6. Multo minus exigitur adprobatio capituli dioecesis, nec possunt canonici constitutiones post episcopum subscribere, Ibidem, cap. 2, nn. 1, 2.

SECTIO IV

ORDO AD VISITANDAS PAROECIAS

SECTIO IV

ORDO AD VISITANDAS PAROECIAS

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

125 DE VISITATIONIS MINISTRO ET MODO

1 — OBLIGATIO VISITATIONIS. "Ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam, ceteraque pro ratione adjunctorum ad bonum religionis constituenda, tenentur episcopi obligatione visitandae dioecesis". CJC 343 § 1.

Re quidem vera, inter media a jure canonico statuta quibus episcopus possit sollicitudinem suam pastoralem exhibere in bonum religionis, primo loco nominanda est dioecesis visitatio, nam cognitio de visu rerum et personarum necessaria omnino est ad ejus regimen et progressum (117).

2 — QUANDO FACIENDA. Episcopi universam dioecesim *saltem* singulis quinquenniis lustrent. CJC 343 § 1.

3 — ANNI TEMPUS. Licet dioecesis visitatio quocumque anni tempore fieri possit, expedit tamen illo tempore fieri quo episcopus facilius a sua cathedrali ecclesia abesse possit; excluduntur proinde tempus Adventus et Quadragesimae, solemnitates Paschae et Pentecostes, Nativitatis Domini et Corporis Christi. CJC 338 § 3.

Exemplo sancti Caroli Cardinalis Borromei convenienter dioecesis visitatio fiet post octavam Pentecostes usque ad Adventum. AEM tom. I, col. 1153.

4 — A QUO FACIENDA. Visitator natus dioecesis est episcopus loci ordinarius, cuius officium est dioecesim gubernare. CJC 335.

Episcopus, si fuerit legitime impeditus, visitationem dioecesis facere potest per Vicarium Generalem (cum speciali mandato) vel per visitatorem ab ipso ad hoc nominatum. CJC 343 § 1. Si visitator non sit vicarius generalis, expedit in visitatorem eligere virum in ecclesiastica dignitate constitutum.

Si in dioecesi aderit episcopus coadjutor vel auxiliaris, etiamsi non sit vicarius generalis, qui visitationem facere possit et velit, episcopus eam alteri ne committat. CJC 351 § 3.

Dioecesis amplitudo, negotiorum pondus, vel infirmitas episcopi, nominationem visitatoris necessariam facere potest.

Si suffraganeus canonicam visitationem facere neglexerit, metropolita eam exsequatur, causa prius ab Apostolica Sede probata; tempore visitationis metropolita omnia agat ad tramitem juris, prout in canone 274, 5.° habetur.

Administrator apostolicus ad tempus datus, vacante sede, potest dioecesim visitare quasi vicarius capitularis; sede plena vero potest dioecesim visitare ad normam juris, non secus ac episcopus loci ordinarius. CJC 315 § 2, 1.°.

Vicarius capitularis, utpote loci ordinarius, potest dioecesim visitare, praesertim si jam ab anno vacet, vel elapso anno ab ultima peracta visitatione (D 2864), eo tamen consilio ut nihil innovetur. CJC 436.

Abbates vel praelati nullius quoad dioecesis visitationem eodem jure reguntur ac episcopi residentiales. CJC 323 § 1.

Vicarii seu praefecti apostolici "regionem sibi concreditam, quandocumque sit opus, debent ipsi per se, vel si legitime impediti fuerint, per alium visitare, eaque omnia in visitatione expendere, quae ad fidem, bonos mores, sacramentorum administrationem, praedicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, juventutis institutionem, disciplinam ecclesiasticam referuntur". CJC 301 § 2.

5 — AUXILIARES VISITATORIS. "Fas est episcopo clericos duos, etiam e capitulo sive cathedrali sive collegiali, sibi adsciscere visitationis comites atque adjutores; eosque, quos maluerit, eligere, reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine". CJC 343 § 2.

Canonici qui episcopum comitantur in visitatione dioecesis, vel visitationem ipsam ejus nomine et mandato peragunt, a choro excusantur, et percipiunt fructus praebendae ac distributiones quotidianas. CJC 420, § 1, 12.°.

6 — QUOMODO FACIENDA. Dioecesis visitatio ad mentem Ecclesiae fieri debet: a) solemniter; b) expedite; c) modo paterno et medicinali; d) utiliter ad bonum dioecesis; de quibus agendum per singula.

a) Visitatio ad tramitem juris PR fieri debet *solemniter*, seu adhibitis ministris et ritibus prout in titulo sequenti habentur, praesertim cum agatur de 1ma. dioecesis visitatione.

Justa tamen de causa, citra apostolicum indultum, episcopo licebit visitationem modo semiprivato vel etiam privato persolvere prout inferius in titulo III habetur.

b) Visitatio fiat qua par est diligentia sed *expedite* et sine inutilibus moris. CJC 346. Prima tamen vice diligentius erit agendum, in reliquis non erit diutius immorandum. Gavantus, *Praxis visitationis*, initio.

c) Visitator debet *paterna forma* procedere (CJC 345), et tamquam medicus spiritualis remedia apta applicare, nam visitatio fit ad corrigendum non ad puniendum. Id etiam eruitur ex oratione *Deus, humilium visitator* in initio visitationis recitanda.

Quo tamen non obstante, si necesse sit, episcopus non prohibetur, immo tenetur, tempore visitationis ad normam juris procedere contra contumaces, poenis canonicis non exceptis. CJC 346.

d) Visitatio fiat *in bonum* dioecesis et animarum prout supra dictum est. Quod si visitatio fiat, et quidem solemniter, sed visitator *finem et objectum* visitationis prae oculis non habeat, quod intendit Ecclesia minime consequetur.

7 — TEMPUS DURATIONIS a jure non praefinitur; pro parvis paroeciis civitatis episcopalis dies unus sufficit; pro magnis paroeciis, praesertim ruralibus a sede dioecesis distantibus, dies plures requiruntur, sed octo dies tamquam tempus maximum haberi debet; id tamen erit judicio episcopi determinandum.

8 — RECURSUS. Contra praecepta et decreta visitatoris datur recursus in devolutivo tantum, nisi visitator ordine judiciario procedat. CJC 345; 513 § 2.

9 — CANONICA PROVISIO, seu ut aiunt procuratio, dicitur "contributio sumptuum et expensarum necessariorum pro victu et honesta sustentatione, tempore visitationis praestanda illis qui ecclesias visitant". Ferraris, Bibliotheca, v. procuratio.

Episcopus cum suis officialibus jus habet ad canonicam provisionem, hac tamen de re haec habet codex:

"Caveant episcopi ne superfluis sumptibus cuiquam graves onerosive sint, neve ratione visitationis ipsi aut quisquam suorum pro se suisve dona quodvis genus petant aut accipiant, reprobata quavis contraria consuetudine; circa vero victualia sibi suisque ministranda vel procurationes et expensas itineris, servetur legitima locorum consetudo". CJC 346.

Unde tempore visitationis episcopus pro se et suis ministris provisionem seu procurationem accipere potest et debet, servata hac de re legitima locorum consuetudine. In Anglia solet paroecia episcopo pecuniam offerre; in Brasilia episcopi, adprobante Sancta Sede, aliquid recipiunt a confirmandorum patrinis; aliis in locis aliae exstant consuetudines. Paupertas ecclesiae, ut patet, a solvenda procuratione excusare poterit; sed e contra, ecclesia visitanda etiam abstineat a gravando episcopo. *Ratione visitationis* tamen episcopus nihil accipere potest, et usus ubi viget, etiam saecularis, reprobatur.

10 — PRAEPARATIO. Parochi seu ecclesiae rectoris munus erit visitationem temporaliter et spiritualiter praeparare.

Temporalis praeparatio in eo consistit ut loca et res omnes visitandae, *nitide, munde* et *apte* disponentur prout decet in Ecclesia Dei. Parochi seu ecclesiae rectoris erit, conlatis consiliis cum secretario visitationis et caeremoniario episcopi, omnia apte et opportune in ecclesia et annexis disponere.

Spiritualis praeparatio praesertim habetur animarum ad Deum conversione, ad quod consequendum missiones seu alia spiritualia exercitia seu speciales praedicationes haberi expedit.

Parochi erit fideles tempestive instruere de proxima visitatione habenda, de dignitate episcopi visitatoris, deque fine ab Ecclesia in visitatione intento.

Si confirmationis sacramentum erit administrandum, oportet electos ad tantum sacramentum recipiendum apte disponere.

Laudabiliter imprimi poterunt libelli cum precibus et canticis ac ritu in visitatione servando, populo opportune distribuendi.

11 — PRAECEDENTIA. Epscopus non tenetur in dioecesis visitatione servare praecedentiam inter personas seu loca visitanda. D 96, ad 2um. Pius Papa XI, Apostolica visitatio, AAS 1932, pg. 23. Expedit tamen ut visitatio incipiatur ab ecclesia cathedrali cum suo capitulo. AEM tom. I, col. 81 et 1153; Visitatio Urbis incipitur ab Ecclesia Lateranensi. ASS vol. 36, pg. 533.

CAPUT II

DE VISITATIONIS OBJECTO

126 ART. I — PRIVILEGIUM EXEMPTIONIS

1 — Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia *quamvis exempta* quae intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ab Apostolica Sede concessam. CJC 344 § 1.

2 — Privilegium exemptionis a visitatione nunquam praesumitur et in dubio tamquam nullum haberi debet.

3 — Privilegium exemptionis visitationis, utpote contra jura episcopalia, strictae est interpretationi subjiciendum.

4 — In Apostolica visitatione, tum intra tum extra Urbem, nulli homini fas est privilegium exemptionis invocare.

ART. II — PERSONARUM VISITATIO

Visitationi episcopi obnoxiae sunt personae omnes physicae vel morales prout sequuntur:

1 — Clerici intra paroeciam exsistentes; quique omnes singulariter visitatori se praesentare debent, et de officiis et muneribus unicuique

propriis, deque vita ad normam sacrorum canonum servanda, rationem reddere tenentur.

2 — Regulares extra domum illegitimi degentes. CJC 616 § 1.

3 — Religiosi saecularizati vel simpliciter ad tempus exclaustrati. CJC 639.

4 — Canonicorum capitula, vel alia, si quae sint, ecclesiastica collegia.

5 — Clericorum, religiosorum vel laicorum piae uniones et confraternitates.

6 — Tertii ordines saeculares, non tamen quod attinet ad ea quae internam disciplinam seu spiritualem associationis directionem spectant si subsunt regularibus. CJC 690.

7 — Tempore visitationis parochi erit populum certiorem reddere de episcopali audientia, ut fideles qui maluerint visitatorem adire possint.

128 ART. III — LOCORUM VISITATIO

Episcopi erit, praeter ecclesiam paroecialem, cetera loca sacra seu pia intra limites paroeciae personaliter, vel per alium ecclesiasticum virum, quantum fieri poterit, in ecclesiastica dignitate constitutum, visitare.

Visitationi subjecta sunt loca sacra seu pia prout sequuntur:

1 — Ecclesiae sive oratoria omnia, publica, semipublica vel privata, eorumque altaria.

2 — Coemeteria benedicta et ossuaria.

3 — Hospitalia, orphanotrophia, aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, sive in personam moralem ecclesiasticam erecta sint sive non, et quovis modo exempta, sunt enim instituta ecclesiastica non collegiata, et loci ordinario subjiciuntur, qui ea visitare potest et debet. CJC 1491 § 1.

4 — "Ordinarii locorum sive per se sive per alios possunt scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus etc., in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant visitare" (CJC 1382), nam "Religiosa juventutis institutio in scholis quibuslibet auctoritati et inspectioni Ecclesiae subjicitur". CJC 1381 § 1. "Ordinariis locorum jus et officium est vigilandi ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat" (CJC 1381 § 2); itemque exigendi (tempore praesertim visitationis) ut religionis morumque causa, tum magistri tum libri removeantur". CJC 1381 § 3.

› Si scholae sint religiosis familiis concreditae, vide n. *131*, 11.

129 ART. IV — RERUM VISITATIO

Episcopi erit in dioecesis visitatione de rebus omnibus sacris seu piis inquirere, quae inferius recensentur juxta ordinem CJC.

1 — Utrum sacramenta et sacramentalia debita cum diligentia ad normam legum liturgicarum administrentur.

2 — Utrum missae sacrificium et sacri ritus ad tramitem legum liturgicarum celebrentur.

3 — De festis et dominicis diebus an fideliter serventur.

4 — Utrum fideles de jejunio et abstinentia opportune instruantur.

5 — Circa custodiam et cultum SSmae. Eucharistiae, quaerendum erit utrum ecclesiasticae leges serventur. Vide instructionem S.C. de Disciplina Sacramentorum. AAS 1938, pg. 98.

6 — Item de cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum, praesertim an instructio Sancti Officii diei 26 maii 1937 fideliter observetur. AAS 1937, pg. 304.

7 — In specie de sacris processionibus utrum ordinatim et pie habeantur.

8 — De sacra supellectili ad normam juris exsequenda et religiose omnique adhibita diligentia conservanda. Vide tomum II, sect. VII.

9 — De catechetica ad populum instructione ardenter promovenda ad normam decreti SCC diei 12 Januarii 1935. AAS 1935, pg. 145.

10 — De sacris concionibus ad normam juris habendis, servatis in primis quae in litteris encyclicis Benedicti XV *Humani Generis* praecipiuntur. AAS 1917, pg. 305.

11 — De malis libris seu ephemeridibus damnandis.

12 — De ecclesiasticorum bonorum recta ad normam juris administratione.

13 — De piis fundationibus zelose adimplendis.

14 — Praeterea inquirendum erit de vitae christianae et liturgicae in populo institutione, deque catholica actione ad tramitem pontificalium instructionum promovenda.

De singulis, prout necessitas vel utilitas locorum, judicio episcopi, erit necessarium, inquiratur.

130 ART. V — VISITATIO ARCHIVI

Episcopus visitabit archivum paroeciale, videlicet libros baptismorum et confirmationum, matrimoniorum et obituum, duobus exemplaribus conscribendos (CJC 470 § 3); praeterea libros administrationis materialis *accepti* et *expensi* (CJC 1523, 5.°); inventarium rerum immobilium, mobilium pretiosarum, et aliarum (CJC 1522, 2.°); schedae (fiches) fidelium paroeciae pro statu animarum (RR tit. XII, cap. 6); ac cetera documenta tabularii paroeciae de quibus certior fieri oporteat. CJC 470 § 4.

131 ART. VI — DE RELIGIOSORUM VISITATIONE

Cum privilegium exemptionis religiosorum praesertim tempore visitationis agitetur, expedit illud breviter exponere, habita prae oculis dioecesis visitatione.

1 — Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent nisi specialiter eisdem fuerit concessum. CJC 618, § 1.

2 — "Regulares... seu ordines utriusque sexus cum *eorum* domibus et ecclesiis... ab ordinarii loci jurisdictione exempti sunt, praeter quam in casibus a jure expressis" (CJC 615); in casibus vero in jure expressis, episcopus religiosos exemptos visitare potest (CJC 344, § 2), et, si necesse sit, etiam poenis coercere. CJC 619. Post CJC hujusmodi visitatio fit ab episcopo auctoritate sua ordinaria cum nullibi agatur de apostolica delegatione.

3 — Ecclesiae seu oratoria etiam semipublica ad dioecesim pertinentia, licet eorum administratio regularibus ab episcopo tradatur, nulla exinde gaudent exemptione, etiamsi sint earum domibus annexa. Cft. Bondini, de privilegio exemptionis, Romae 1919, pg. 41.

4 — Ecclesiae seu oratoria publica annexa domibus *non formatis* religionum exemptarum manent sub peculiari *vigilantia* episcopi, licet sint exempta. CJC 617 § 2. Cft. Bondini, o.c. pg. 66.

5 — Ecclesiae tertii ordinis saecularis quae ad regulares pertinent fruuntur eorum privilegio exemptionis; si vero ecclesiae seu oratoria ad ipsum tertium ordinem pertineant visitari possunt ab episcopo. Bondini, o.c. pg. 74.

6 — Ordinarii loci generali visitationi subjecta sunt (CJC 512):

1) Singula monialium monasteria quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate subjecta sunt.

2) Singulae domus congregationum juris dioecesani utriusque sexus.

Eidem visitationi subjecta sunt, cum sequentibus tamen restrictionibus:

3) Monasteria monialium quae regularibus subduntur, circa ea quae *ad clausurae legem* spectant; imo etiam *circa alia omnia, si* superior regularis ea a quinque annis non visitaverit.

Tempore visitationis intra monialium clausuram ingressus patet ordinario loci aut superiori regulari, vel aliis visitatoribus ab ipsis delegatis, sed dumtaxat inspectionis causa; proinde ea finita statim e clausura egredi debet visitator. Visitator ad cautelam secum habeat clericum vel virum religiosum maturae aetatis. CJC 600, 1.°. Vide instructionem S.C. de Religiosis circa monialium clausuram diei 6 Feb. 1924. AAS 1924, pg. 95.

4) Singulae domus congregationum clericalium juris pontificii etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum paenitentiae, seu quae ad cultum divinum spectant.

5) Singulae domus congregationis laicalis utriusque sexus juris pontificii, non solum in iis de quibus in superiore numero, sed etiam in rebus quae ad internam disciplinam spectant, ad normam tamen canonis 618 § 2, n. 2 prout sequitur.

7 — In visitatione religionis mulierum vel virorum laicorum episcopus "*potest et debet* inquirere num disciplina, ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit; num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur". CJC 618 § 2, 2.°.

8 — "Visitator (quisquis sit ad normam juris) jus et officium habet interrogandi religiosos quos oportere judicaverit, et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosi obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec superioribus fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere, aut visitationis scopum aliter impedire" (CJC 513) sub poenis a jure statutis. CJC 2413.

9 — Praeterea episcopali visitationi subjecti sunt religiosi omnes, etiam exempti, praesertim in rebus quae sequuntur :

1) Quoad divinum cultum maximi momenti est tempore visitationis observantia canonis 1261 :

> "Locorum ordinarii advigilent ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum, aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum, vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens".
>
> "Si loci ordinarius leges pro suo territorio hac in re tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et ordinarius potest eorundem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem visitare".

2) Non licet religiosis, etiam exemptis, insolitas imagines apponere, nisi ab ordinario loci sint adprobatae. CJC 1279 § 1.

3) Quoad catecheticam populi instructionem ordinarii loci est *omnia in sua dioecesi edicere,* et etiam religiosi exempti eadem servare tenentur. CJC 1334; 1336.

4) Religiosi servare debent instructiones loci ordinarii quoad praedicationem ad populum habendam, etiam in suis ecclesiis exemptis. CJC 1345.

5) Religiosi etiam exempti circa stipem manualem stare debent decreto ordinarii loci aut dioecesis consuetudini. CJC 831 § 3.

10 — *Hospitalia, orphanotrophia,* aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, *quovis modo exempta,* visitationi episcopi subduntur. CJC 1489, § 1; 1941 § 1.

"Imo, licet in personam moralem non sint erecta et domui religiosae concredita, siquidem de domo religiosa juris dioecesani, jurisdictioni ordinarii loci penitus submittuntur; si de domo religiosa juris pontificii (etiam regularium cum lex non distinguat) episcopali vigilantiae subsunt quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem". CJC 1491 § 2.

11 — Scholae, recreatoria, patronatus etc. in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant visitari debent ab episcopis; a qua visitatione *quorumlibet* religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae. CJC 1382.

12 — *Parochus vel vicarius religiosus,* licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi maiores superiores religiosi ordinariam sedem habent, subest *immediate* omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta. CJC 631 § 1; 1349 § 2. Uno verbo "a parocho vel vicario regulari exigere potest episcopus quidquid a parocho saeculari exigere solet". Benedictus XIV, *Firmandis,* § 10. Vol. 15, pg. 453.

Si ecclesia paroecialis pertineat ad ordines regulares, episcopus visitare debet ea omnia et sola quae ad ministerium paroeciale spectant: altare SSmi. Sacramenti, fontem baptismalem, sacram supellectilem ad paroeciae usum, confessionalia paroecialia, legata paroeciae, collectas dioecesanas.

Si vero ecclesia paroecialis ad dioecesim pertineat, visitatio episcopi erit totalis, excepta quae ad regularem observantiam religiosorum se referunt.

13 — Si in regularium aliorumve religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, episcopi erit superiorem hac de re monere, et, si necesse sit, rem ad Sedem Apostolicam deferre. CJC 617 § 1.

Ad rem Bondini "*Abusus* hic sumitur pro habituali et gravi inobservantia legum ecclesiasticarum..., si vita monastica graviter negligatur..., si leges circa celebrationem missarum, circa cantum, altaria etc. pessundarentur". o.c. pg. 66. Plurima alia de religiosorum exemptione in citato opere invenies.

132 ART. VII — QUAESTIONARIUM VISITATIONIS

Elenchus quaestionum a visitatore proponendus vel piarum seu sacrarum rerum de quibus tempore visitationis certior fieri debet, variari potest juxta necessitates vel abusus eradicandos diversarum dioecesium; proinde consulto hic illum omisimus, ex expositis tamen facile conscribi poterit.

Quaestionarium pro Apostolica visitatione Urbis anni 1904 habes apud ASS vol. 37, pg. 202 ss., 275 ss., 403 ss.; vol. 38, pg. 172 ss.; vol. 39, pg. 174 ss. Utilem elenchum rerum sacrarum pro visitatione

tradit De Amicis, *Caeremoniale Parochorum*, apud Ephem. lit. vol. 25, pg. 306, separatim etiam editum.

Facilius et melius fiet visitatio si ante ejus initium edatur *annuarium dioecesis* cum accurata relatione paroeciarum, ecclesiarum seu oratoriorum, ordinum religiosorum, locorum piorum, quae erunt visitanda, adjectis informationibus temporis fundationis, rectorum etc. Proinde non unum sed duo *quaestionaria* fieri expedit, pro annuario unum, pro paroecia visitanda alterum. Quaestio v.g., *quando fundata est paroecia*, vel *cujus est titularis* fieri debet ante visitationem et in annuario dioecesis edi.

TITULUS II

DE SOLEMNI DIOECESIS VISITATIONE

CAPUT I

CLERUS VISITATIONIS ET REGULAE SERVANDAE

133 ART. I — CLERUS VISITATIONIS

VISITATIONI INTERVENIUNT :

Praelatus Visitator, qui secum habebit :
Convisitatores, si amplitudo paroeciae id exigat ;
Assistentes duo ;
Secretarium visitationis ;
Caeremoniarum magistrum ;
Familiares tres vel quatuor :
- Secretarium.
- Cruciferum, si praesul sit metropolita.
- Caudatarium.
- Scutiferum.

E CLERO ECCLESIAE VISITANDAE INSERVIUNT :

Parochus seu rector ecclesiae, sive 1ma. dignitas capituli si ecclesia sit cathedralis vel collegialis.
Acolythi duo.
Ministri insignium quatuor pro libro, candela, mitra et baculo.
Ministri duo pro thuribulo et aqua lustrali.
Crucifer, nisi visitator sit metropolita.

134 ART. II — REGULAE SERVANDAE

1 — EPISCOPUS visitationem peragit in habitu praelatitio; et in maioribus ecclesiis assumit etiam cappam; aliae regulae servandae suis tradentur locis.

2 — CONVISITATORES illi sacerdotes nuncupantur qui, dum episcopus ecclesiam cathedralem seu paroecialem invisat, visitationem expleunt aliarum ecclesiarum, personarum seu locorum ecclesiasticae jurisdictioni subjectorum intra fines paroeciae exsistentium.

3 — ASSISTENTES, si sint canonici in sua dioecesi vel praelati, inserviunt induti habitu canonicali sive praelatitio; sed dum episcopus missam lectam celebrat vel confirmat, induunt superpelliceum.

In visitatione ecclesiae collegialis assistentes seu convisitatores canonici ecclesiae cathedralis praecedunt capitulum illius ecclesiae. D 748.

4 — SECRETARIUS VISITATIONIS. In visitatione ecclesiae cathedralis secretarius erit ipse cancellarius dioecesis; pro aliis ecclesiis erit ab episcopo eligendus sacerdos virtutibus et scientia praeditus. Ipsius officium erit episcopum tempestive ante visitationis initium certiorem reddere de ecclesia visitanda. Tempore visitationis adnotabit quidquid, judicio episcopi, erit corrigendum, et mandata sive summarium exhortationum ejus. In fine visitationis ejus rugitum conscribit et coram episcopo et clero ecclesiae legit, quod ab ipso et ab episcopo subsignetur.

Secretarius visitationis curam habebit de quaestionario deque responsionibus ab ecclesiarum rectoribus missis. Accuratam relationem omnium locorum, rerum et personarum juxta ordinem visitationis conficiet ut omnia cum ordine fiant.

Habebit *librum visitationis* in quo ipse solus vel episcopus scribunt; citationes huius libri in foro Ecclesiae fidem faciunt. Pius Papa XI, Instructio pro Ap. Visitatione, n. XI. AAS 1932, pg. 23.

Si episcopus aliquid in libro chronicon paroeciae scribat, ipsius erit ea in libro visitationis transcribere.

Curet secretarius ut omnia conscribat sine ulla personarum acceptione, neminique facta injuria.

Post visitationem secretarius authenticum exemplar actae visitationis cum observationibus episcopi ad rectorem ecclesiae mittat, in archivo ejus conservandum et in libro chronicon paroeciae transcribendum.

Ut secretarius possit officio suo libere vacare, nihil ei faciendum committatur tempore visitationis.

5 — IN ECCLESIAE CATHEDRALIS VISITATIONE tempore liturgicarum functionum serventur regulae ordinariae, proinde 1ma. dignitas capituli hyssopum et naviculam incensi, cum opus erit, ministrat.

Officium assistentium episcopo exercetur ab illis quibus munus diaconorum throni committitur.

CAPUT II

135 ORDO RITUUM

❯ In capitulis sequentibus illi tantum ritus qui proprii sunt visitationis exponuntur; si confirmationis sacramentum erit administrandum omnia fiunt prout in volumine I, sectione II habentur; si episcopus missam lectam celebret, munus assistentium erit missae inservire et non parochi. Expedit tempore visitationis a prolixis functionibus, pontificalibus praesertim, abstinere, ne canonica pars visitationis detrimentum patiatur.

ART. I — DE VISITATIONE FACIENDA IN DIE UNO

❯ Si visitatio paroeciae erit in uno die exsequenda, sequens ordo servari poterit:

ANTE PRANDIUM:

1 — Receptio episcopi.
2 — Sermo cum generali absolutione.
3 — Defunctorum statio.
4 — Confirmatio, si erit administranda.

POST PRANDIUM:

1 — Visitatio ssmae. Eucharistiae.
2 — Visitatio ss. oleorum et reliquiarum.
3 — Visitatio ecclesiae, sacrae supellectilis, annexarum ecclesiae; archivi.
4 — Visitatio personarum.
5 — Discessus.

136 ART. II — DE VISITATIONE FACIENDA IN DUOBUS DIEBUS

› Si visitatio paroeciae intra duos dies absolvenda erit, sequens servari poterit ordo:

IN 1mo. DIE ANTE PRANDIUM:

1 — Receptio episcopi.
2 — Sermo cum generali absolutione.
3 — Visitatio ssmae. Eucharistiae.

IN 1mo. DIE POST PRANDIUM:

1 — Confirmatio.
2 — Visitatio ss. oleorum et reliquiarum.
3 — Visitatio ecclesiae et supellectilis.

IN 2do. ANTE PRANDIUM:

1 — Missa lecta episcopi cum generali fidelium communione.
2 — Defunctorum statio.
3 — Visitatio annexarum ecclesiae.

IN 2do. DIE POST PRANDIUM:

1 — Visitatio archivi.
2 — Visitatio personarum.
3 — Benedictio cum Venerabili ritu pontificali.
4 — Discessus.

CAPUT III

137 DE PRAEPARANDIS

COLOR: Pro altari: diei,
Pro episcopo et parocho ut infra (118).

ART. I — IN SACRARIO

PRO PAROCHO SEU 1ma. DIGNITATE CAPITULI:

Pluviale nobile albi coloris (sine stola), et amictus si gaudeat usu rocheti; biretum, vel mitra si ejus gaudeat usu.
Crux hastata, nisi episcopus sit metropolita.

Acolythorum candelabra.
Thuribulum cum navicula thuris.
Vas aquae benedictae cum aspersorio.
Crux parva cum imagine Crucifixi, super lancem albo velo coopertam.
Funalia duo.
Baldachinum portatile cum hastis parabitur in loco ubi incipienda erit processio.

138 ART. II — IN ECCLESIA

PROPE JANUAM MAIOREM:

Parvum tapetum nobile plicatum.
Pulvinar sericum viridis coloris.

139 ART. III — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

COLOR: albus.

Altare ornabitur more consueto; sex tantum accendentur cerei cum episcopus accedit pro ssmae. Eucharistiae visitatione.
Bursa cum corporali.
Clavis tabernaculi.
Vas ad digitos abluendos cum purificatorio.
Pulvinar in infimo gradu.

SUPER ABACO:

Velum humerale.
Stola ad usum parochi.
Funalia duo.

140 ART. IV — IN PRESBYTERIO

Altare ornabitur solito more cum candelabris sex, quorum cerei accenduntur cum episcopus ad ecclesiam accedit.

In cornu epistolae, ita ut celebrans legens se sistat facie ad cornu evangelii, aderit legile cum missali, signaculo ad orationem titularis apposito, et intus folium cum oratione *Deus humilium visitator* et versibus prout in PR habentur.

IN PLANO PRESBYTERII

Faldistorium veste violacea coopertum cum pulvinari coloris ejusdem.

SUPER ABACO

PRO VIVORUM ABSOLUTIONE (color violaceus)

Pluviale cum stola, amictus; mitra auriphrygiata.

Vela duo pro ministris de mitra et baculo.

Baculus pastoralis, parieti appositus.

Canon pontificalis.

Scotula cum candela.

Tabella pro *Confiteor* cum musicis notis.

Tabella indulgentiarum.

PRO MORTUORUM ABSOLUTIONE subtus alias vestes (color niger)

Pluviale cum stola.

Mitra simplex alba.

Pontificale, pars III, seu ritus absolutionis.

Libri cum responsorio *Libera me* pro cantoribus.

❯ Mortuorum absolutio fieri etiam potest cum vestibus sacris violaceis (PR), quod sèrvari convenit si fiat immediate post aliam pro vivis, ne ter mutetur vestium color.

PRO SSMAE. EUCHARISTIAE VISITATIONE

Pluviale cum stola albi coloris subtus ceteras vestes.

PROPE ABACUM

Lectica mortuaria sive pannus niger suo tempore extendendus.

❯ Si episcopus erit missam lectam celebraturus, parentur quae paranda sunt solito more.

❯ Si episcopus sacramentum confirmationis velit ministrare, parentur quae necessaria sunt prout in sectione I tomi I habentur.

❯ Si processionalis receptio omittatur, pluviale parochi, baldachinum hastatum, crux in lance, tapetum et pulvinar ad januam, pariter omittentur, nec aderit legile cum missali super altari, sed sacrae vestes episcopi solito more.

❯ Si processionalis receptio omittatur, vel etiam processio ad coemeterium, crucifer cum ceroferariis non inserviunt, sed tantum crux visitatoris si sit metropolita.

CAPUT IV

RITUS SERVANDUS

141 ART. I — RECEPTIO EPISCOPI

1 — Episcopus ecclesiam cathedralem vel paroeciales principaliores suae dioecesis prima vice visitans, processionaliter recipi debet. CE I, 2, 8. Ritus solemnis receptionis habetur in sectione V huius voluminis, n. *189*.

2 — Pro subsequentibus visitationibus processionalis receptio omittitur, et episcopus recipietur ad januam principalem a parocho et clero paroeciae ritu tradito pro functionibus ordinariis, adhibita tantum aqua lustrali, quae a parocho sive rectore episcopo porrigitur, licet praesentes adsint canonici ecclesiae cathedralis (D 1587), nec aderit crux cum candelabris.

❯ Servari licebit receptio semiprocessionalis prout in sectione sequenti, n. *196*, habetur.

3 — Ad episcopi ingressum festivo more vibrabunt sacra aera turris, quod laudabiliter etiam fit pridie ad vesperas.

142 ART. II — SERMO ET GENERALIS ABSOLUTIO

Vestitio episcopi

1 — Finita receptione, caeremoniarius sacras vestes episcopi clericis distribuit, videlicet amictum, stolam, pluviale, mitram auphrygiatam, baculum; quique, unus post alium, coram episcopo se sistunt.

Interim parochus pluviale, in processionali receptione episcopi adhibitum, deponit.

Episcopus sedens in throno, vel si non aderit, in faldistorio in medio plano presbyterii, biretum, cappam et crucem pectoralem deponit ac, ministrante 1.º assistente et adjuvante 2.º, sacras de more induit vestes, cauda habitus talaris non expedita, et accipit mitram et baculum.

❯ Si episcopus missam lectam celebravit, ea finita, manipulum, planetam et stolam deponit, et accipit stolam et pluviale violacei coloris, mitram et baculum.

Sermo episcopi

2 — Faldistorium locabitur in medio suppedaneo, vel a latere evangelii si aderit Sacramentum, et episcopus, cum suis assistentibus, oras pluvialis ejus sustinentibus, ad altare accedit, factaque cruci debita reverentia, vel genuflexione Sacramento, ascendit et sedet.

Episcopus, assistentibus hinc inde stantibus, sermonem ad clerum et populum habebit, finem pastoralis visitationis exponens, omnesque ad suorum peccatorum veniam obtinendam exhortans (119).

Generalis absolutio

3 — Finito sermone, episcopus, retenta mitra sed reddito baculo, assurgit dum omnes genua flectunt (120).

Parochus, accepta tabella cum *Confiteor* a caeremoniario, coram praelato se sistens, stans et aliquantulum inclinatus, nomine suo et totius paroeciae, cantabit *Confiteor* (121).

Ad *tibi pater* et *te pater* ab inclinatione cessat et genuflexionem conficit versus episcopum, deinde ut prius cantum prosequitur.

❯ Si parochus vel sacerdos qui *Confiteor* canit sit canonicus ecclesiae cathedralis vel praelatus, loco genuflexionis, profundius se inclinat.

Confiteor cantato, sedet episcopus, et qui eam cantavit, facta debita cruci et episcopo simul genuflexione, recedit.

Assistens 1mus., a dextris episcopi stans, accepta a caeremoniario indulgentiarum formula, indulgentias publicabit, prout episcopus jure communi vel speciali privilegio eas impertiri velit.

Ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo, qui, deposita mitra, assurgit et canit *Precibus et meritis* et *Indulgentiam*, deinde dabit benedictionem dicens *Et benedictio Dei*, quod cum erit dicturus a 1.° assistente mitra induetur, et cum dicit *Patris*, baculum accipit.

Benedictione impertita, sedet praelatus.

❯ Si visitator sit metropolita, crucifer (sine candeliferis) genua flectit in infimo gradu altaris statim ac lectae fuerint indulgentiae, et, benedictione impertita, recedit; praelatus priusquam dicat *Precibus et meritis* caput cruci profunde inclinat (CE I, 25, n. 4), quasi veniam petens, et sine mitra populum benedicit (122).

143 ART. III — DEFUNCTORUM STATIO

❯ Diebus quibus missa solemnis exsequialis prohibetur, defunctorum statio omittatur. Qui dies sunt:

1) Duplices I classis primariae Universalis Ecclesiae, feriis II et III Paschae et Pentecostes exceptis.

2) Festum titularis vel dedicationis illius ecclesiae, seu patroni principalis loci, vel tituli instituti seu fundatoris ordinis.

144 A — CUM COEMETERIO

❯ Si ecclesiae paroeciali annexum fuerit coemeterium, defunctorum statio ibidem fiat quo sequitur ordine (123).

Vestitio episcopi

1 — Episcopus, ministrante 1.° assistente et adjuvante 2.°, cruce et mozeta depositis et accepto amictu, vel, si sit paratus, deposito pluviali et stola violacei coloris, induit stolam et pluviale nigri coloris, ac a 1.° assistente cooperitur mitra simplici alba; vel si maluerit, retentis vestibus violaceis, mitram albam tantum assumit.

Episcoporum absolutio sine cantu

2 — Ministri de libro et candela coram pontifice se sistunt, qui infulatus assurgens clara voce intonat antiphonam *Si iniquitates;* clerus statim psalmum *De profundis* eodem tono prosequitur cum *Requiem aeternam* et repetitione antiphonae in fine.

Interim thuriferarius nixus genibus se praesentat, et, 1.° assistente naviculam ministrante, episcopus incensum thuribulo imponit cum solita benedictione, et recedit thuriferarius.

Dum antiphona repetitur, 1us. assistens mitram episcopo aufert, qui subinde dicit *Kyrie, eleison; Christe, eleison, Kyrie, eleison, Pater noster.*

Episcopus a 1.° assistente accipit aspersorium sine osculis et ter ante se aquam aspergit, in medio, a dextris et a sinistris.

Reddito aspersorio, pontifex thuribulum pariter sine osculis accipit et eodem modo ter ante se incensat, quasi ibidem adessent cineres seu ossa defunctorum episcoporum, interim secreto prosequens *Pater noster.*

Reddito thuribulo 1.° assistenti, ministri de libro et scotula coram pontifice se sistunt, qui dicit sine cantu versus omnes prout in PR habentur, et in fine collectam pro defunctis episcopis *Deus qui inter apostolicos... pontificali fecisti,* cum conclusione brevi.

Responso a clero *Amen,* sedet episcopus et a 1.° assistente mitra induitur, ac recedunt ministri de libro et scotula (124).

❯ In ecclesiis cathedralibus haec prima absolutio dabitur ad catacumbas ubi episcoporum corpora sepeliuntur, ad quas ibunt omnes ordine inferius posito. In ceteris ecclesiis omitti potest.

Processio ad coemeterium

3 — Ordinabitur processio ad coemeterium quo sequitur ordine:

Thuriferarius.
Crucifer, medius inter ceroferarios.
Clericus cum aqua lustrali.
Cantores.
Clerus bini.
Episcopus infulatus cum baculo in manu sinistra, medius inter suos assistentes oras pluvialis ejus sustentantes.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et candela.
Familiares.

❯ Episcopus a populo benedicendo abstinebit.

Processione iter arripiente, sonabunt funereo modo campanae ecclesiae et coemeterii, et cantores modulabuntur responsorium *Qui Lazarum resuscitasti* (2um. 1mi. nocturni officii defunctorum).

Responsorio cantato, episcopus cum suis assistentibus, alternante clero, intonata antiphona *Si iniquitates,* recitabit clara voce ps. 129 *De profundis,* cum *Requiem* in fine et repetitione antiphonae.

In coemeterio

4 — In coemeterio crucifer cum candelabris se sistet ante crucem principalem coemeterii, facie ad eam versus, ita ut adsit clero locus; episcopus sedebit in faldistorio facie ad januam coemeterii, et baculum reddit ministro; ministrantes stabunt a tergo episcopi.

Cantores modulabuntur responsorium *Libera me.*

Cum repetitur responsorium, thuriferarius coram episcopo flexis genibus se sistit, qui, 1.° assistente naviculam ministrante, incensum thuribulo imponit cum solita benedictione, et recedit thuriferarius.

Responsorio cantato, 1mus. assistens nudabit episcopum mitra, qui assurgit, et a cantoribus cantabitur *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.*

Episcopus canit *Pater noster* et a 1.° assistente accipit sine osculis hyssopum, quo coemeterium ter aspergit, in medio, a dextris et a sinistris, ac reddit hyssopum assistenti.

Deinde, accepto thuribulo, episcopus coemeterium, eodem modo stans in loco suo, ter incensat, ac reddit thuribulum assistenti 1.°, hic thuriferario.

Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt, qui canit versus omnes prout in PR habentur, et in fine canit recto tono orationes tres. Deinde dicit episcopus: V. *Requiem aeternam dona eis, Domine.*

Respondet chorus: R. *Et lux perpetua luceat eis.*

Cantores duo cantant: V. *Requiescant in pace.*

Respondent omnes *Amen,* et episcopus, elevata dextera, producit signum crucis ab omni parte super coemeterium nihil dicens, deinde mitra a 1.° assistente ornabitur.

Iter ad altare

5 — Ordinabitur processio regressus ad ecclesiam ordine quo venit.

In reditu processionis clerus ps. 50 *Miserere, congruenti voce sine nota* (PR) recitabit, id est, recto tono, cum verso *Requiem aeternam* in fine.

Pontifex una cum aliis, vel submissa voce cum suis assistentibus si maluerit, psalmum 50 recitabit.

Processio ad altare majus se sistit, ubi crux cum candelabris collocabitur a latere evangelii; ministri de libro et scotula se sistunt ante gradus altaris terga ei vertentes.

Stationis complementum

6 — Episcopus consistens passus duos ante infimum altaris gradum, deposita mitra et facta cruci debita reverentia, canit versus prout in PR habentur cum oratione *Absolve quaesumus,* quae generalis mortuorum absolutio est.

Episcopus, accepta mitra, recedit ad faldistorium a latere epistolae, ubi, depositis sacris vestibus, accipit mozetam de more, ac recedit cum suis ministris ad sacrarium.

❯ Si visitatio ssmae. Eucharistiae sit immediate facienda, crucifer cum ceroferariis recedunt, et proceditur ut in art. 4, n. *146.*

145 B — SINE COEMETERIO

❯ Si coemeterium ecclesiae paroeciali annexum non fuerit, defunctorum statio in presbyterio fiat quo sequitur ordine (125).

Fàldistorium episcopi locabitur in medio plano presbyterii, et tres passus ante ponetur lectica mortuaria, vel sternetur pannus niger sine luminaribus, vel, si episcopus sit in throno suo, pannus niger vel lectica mortuaria locabitur in plano prope thronum. CE II, 11, nn. 10, 11.

❯ Cum functio ad altare peragitur, crucifer et ceroferarii non inserviunt; nam crux altaris ejusque candelabra sufficiunt.

Vestitio episcopi

1 — Ut supra n. *144,* 1.

Episcoporum absolutio

2 — Fit ut supra n. *144,* 2, sed episcopus lecticam seu pannum aspergit et incensat.

❯ Licebit episcopo extra cathedralem hanc 1mam. absolutionem omittere.

Absolutio generalis

3 — Cantores responsorium *Libera me* cantabunt, et cum incipitur ejus repetitio, episcopus incensum thuribulo imponit ordine supra tradito.

Cetera fiunt ut supra, sed episcopus lecticam seu pannum nigrum aspergit et incensat, et in 3.ª oratione dicit tantum *ubique in Christo quiescentibus,* omissis verbis *hic et.*

Dum dicit *Requiem aeternam* episcopus manu dextera signum crucis facit super pannum nigrum, omisso signo crucis post *Requiescant in pace* coemeterii proprio.

Episcopus, cantato a choro *Requiescant in pace,* ac responso *Amen,* sacras dimittit vestes et accipit mozetam, nisi statim ad ssmae. Eucharistiae visitationem sit procedendum.

146 ART. IV — SSMAE. EUCHARISTIAE VISITATIO

❯ Post defunctorum stationem, seu ubi episcopus voluerit, fit canonica visitatio ssmae. Eucharistiae ordine quo sequitur:

Vestitio episcopi

1 — Fit ordine superius tradito n. *142,* 1.

Iter episcopi ad altare

2 — Episcopus, accepto baculo et a suis assistentibus pluvialis oras sustentantibus comitatus, ad altare ssmae. Eucharistiae pergit, ubi, reddito baculo ac deposita mitra, genuflectit in plano, et deinde genua flectit super pulvinar, assistentes utrimque, ceteri ad abacum simul genua flectunt.

Incensatio Sacramenti

3 — Acolythi duo cum intortitiis se sistunt utrimque in plano prope altare.

Parochus, cum stola super superpelliceum, ad suppedaneum ascendit, corporale explicat, ostiolum tabernaculi aperit, genuflectit versus latus epistolae, manibus ante pectus positis, pyxidem prope ostiolum locat, ac, genuflexione iterata, ad latus epistolae descendit, et stolam dimittit.

Episcopus nudatus pileolo a caeremoniario, et facta reverentia Sacramento, assurgit et incensum, naviculam ministrante 1.º assistente, thuribulo imponit, deinde flexis genibus, solito more ter Sacramentum thure adolet, ac thuribulum reddit assistenti 1.º, hic thuriferario, qui, officio suo functo, ad sacrarium recedit.

Cantores cantant *Tantum ergo*; ad *Veneremur cernui,* omnes se inclinant; deinde episcopus cum duobus assistentibus assurgit, et ad suppedaneum ascendit.

Tabernaculi inspectio

4 — Facta genuflexione Sacramento, episcopus tabernaculum et vasa sacra inspicit, digitos si necesse sit abluit, ac pyxide ubi prius reposita, et genuflexione iterata, genua flectit super pulvinar in ora suppedanei.

Inspectionis complementum

5 — Episcopo genuflexo, cantores cantant *Genitori genitoque;* caeremoniarius super humeros ejus velum ponit, quod a 1.° assistente firmabitur. Episcopus assurgit, et, iterata genuflexione, adstantes cum Sacramento ter benedicit; super corporale pyxidem deponit, et, iterata genuflexione, in planum descendit, ubi flexis genibus super pulvino in infimo gradu altaris, velum humerale deponit.

Parochus ad suppedaneum ascendit, facta genuflexione, pyxidem reponit et ostiolum claudit, et, genuflexione non iterata, in planum descendit.

Episcopus, accepto pileolo, assurgit, mitram ac baculum accipit, et facta Sacramento genuflexione cum suis assistentibus, accedit ad faldistorium, ubi sacris depositis vestibus, induit mozetam (126).

147 ART. V — VISITATIO SS. OLEORUM ET SS. RELIQUIARUM

❯ Facta Eucharistiae visitatione, episcopus, habitu praelatitio tantum indutus, videlicet cum rocheto et mozeta sine stola, a suis assistentibus et a parocho ac secretario visitationis comitatus, praecedentibus duobus ministris cum intortitiis accensis, pergit ad scrinium ss. oleorum, ubi ea invisit, clericis cum intortitiis utrimque stantibus.

Deinde episcopus cum iisdem ministris pergit ad ss. reliquiarum scrinium, si aderit, ubi reliquias omnes ecclesiae invisit et examinat, cum litteris quibus exhibentur, ad normam juris de eorum authenticitate se certiorem reddens.

❯ Si episcopus sit metropolita, crucifer ante eum ibit dum fit visitatio diversarum partium ecclesiae, sacrarii et coemeterii, sed clerici cum funalibus post reliquiarum visitationem recedunt (127).

148 ART. VI — CETERARUM RERUM VISITATIO

Episcopus a suis assistentibus et a parocho seu secretario visitationis comitatus, ceteras res ecclesiae seu loca visitabit prout in capite II tituli I, habetur.

Inspiciat praesertim baptisterium, altaria, sedes ad audiendas confessiones, imagines, sacrarium, sacram supellectilem, ut de rebus omnibus

certior reddatur, utrum omnia ad juris tramitem fiant necne. Finita ecclesiae visitatione, eodem modo visitat coemeterium vel capellas proximas si quae aderint.

149 ART. VII — DISCESSUS

Visitatione expleta, episcopus cum suis assistentibus et familiaribus, facta oratione ad altare maius et ad altare ssmi. Sacramenti, discedit in pace.

❯ Ad altare maius episcopus, si maluerit, preces recitabit pro defunctis prout in fine ritus visitationis in PR (128) habetur.

TITULUS III

DE RITIBUS ALIQUANDO SERVANDIS

CAPUT I

EX PARTE VISITATORIS

150 ART. 1 — SI VISITATOR SIT EPISCOPUS AUXILIARIS VEL COADJUTOR omnia fiunt prout in titulo II habentur cum modificationibus quae sequuntur.

1 — Visitator non utetur baculo, nisi pro sacramento confirmationis si erit administrandum, nec caudatarium habebit.

2 — Solemnis seu processionalis receptio omittitur, et visitator ad januam principalem ecclesiae recipietur a parocho seu rectore sine pluviali cum clero ecclesiae. Hyssopo a parocho accepto, visitator se ipsum tantum aspergit, nec cantabitur antiphona *Ecce sacerdos* vel *Sacerdos et Pontifex;* cantare tamen licet aliam antiphonam, quae non sit loci ordinario reservata, v.g. *Veritas mea* e missa de confessoribus.

3 — In ingressu visitator praeibit solus cum bireto in manu, et passus duos a tergo parochus seu 1ma. dignitas, et deinde presbyteri assistentes.

4 — Cum visitator sedet in suppedaneo, secretarius visitationis, a sinistris ejus stans, vel in plano juxta loci amplitudinem, legit edictum loci ordinarii de visitatione dioecesis instauranda, deinde habebitur sermo episcopi.

5 — Absolutio generalis dabitur ritu consueto, sed indulgentiae legentur nomine loci ordinarii, non secus ac si praesens adstaret.

151 ART. 2 — SI VISITATOR SIT ABBAS VEL PRAELATUS NULLIUS omnia fiunt prout in titulo II de episcopo loci ordinario habetur, sed in receptione omittitur cantus antiphonae *Sacerdos et*

Pontifex seu *Ecce sacerdos magnus*, nisi et ipse charactere episcopali sit ornatus; vivorum absolutio pariter omittitur nisi praelatus sit episcopus (129).

152 ART. 3 — SI VISITATOR SIT PROTONOTARIUS INFULATUS, ratione personae vel officii, id est, administrator, praefectus vel vicarius apostolicus, sequentes normae serventur.

1 — Visitator, habitu praelatitio indutus recipietur ad januam principalem ecclesiae a rectore seu parocho vel 1ma. dignitate cum toto clero ecclesiae, ordine tradito pro episcopo auxiliari, n. *150*, 2.

2 — In ingressu visitator praeibit ordine tradito pro episcopo auxiliari, n. *150*, 3.

3 — Ad altare ssmi. Sacramenti visitatori parabitur genuflexorium cum duobus pulvinaribus violaceis sed sine panno strato.

4 — Ad altare maius, facta brevi oratione super pulvinari in infimo gradu altaris posito, ad suppedaneum ascendit, et sedet in faldistorio a latere epistolae locato, vel in medio suppedaneo si non aderit Sacramentum, ac caput bireto cooperit, quod et omnes faciunt.

❯ Si visitator sit tantum protonotarius *ad instar participantium*, loco faldistorii ei parabitur scabellum seu alia sedes, non tamen cameralis.

5 — Jubente visitatore, secretarius legit edictum de visitatione facienda; praelatus deinde ad populum sermonem habebit de visitationis fine.

6 — Vivorum absolutio omittitur nec conceduntur indulgentiae, nisi loci ordinarius eas concedere velit.

7 — Mortuorum absolutio fit prout in titulo II habetur, et visitator utetur mitra linea, dempto baculo, eique inserviunt ministri tres de mitra, libro et candela.

8 — SSmae. Eucharistiae visitatio fit ut in titulo II exponitur, sed visitator utetur mitra serica alba.

9 — Cetera fiunt de more.

153 ART. 4 — SI VISITATOR SIT PROTONOTARIUS TITULARIS seu vicarius generalis sive capitularis, omnia fiunt ut in n. *152*, sed visitator non utetur mitra nec faldistorio (130).

❯ Visitator qui sit praelatus urbanus in visitatione habitu praelatitio erit indutus ut supra dictum est de protonotario honorario, et in functionibus liturgicis adhibebit etiam candelam.

CAPUT II

DE VISITATIONE MINUS-SOLEMNI

154 ❯ In titulo II expositus fuit ordo servandus in solemni dioecesis visitatione; episcopus tamen, licet a gravissimo visitationis officio excusari haud potest, ad solemnitatem visitationis servandam tenetur tantum cum agitur de 1ma. suae dioecesis visitatione; pro subsequentibus quaedam solemnitates omittuntur, et fit visitatio *semi solemnis* prout inferius exponitur.

ART. I — IN MAIORIBUS ECCLESIIS

1 — Episcopus recipietur ad januam maiorem ecclesiae ut in n. 141, 2 habetur, sed cappam non induit, nec fit receptio semi-processionalis.

2 — Defunctorum absolutio fit ad lecticam mortuariam portatilem, sive ad pannum nigrum intra presbyterium, ut in n. *145* habetur.

3 — Solemnis ssmae. Eucharistiae visitatio omitti poterit; episcopus tamen, debitis factis interrogationibus, de statu Sacramenti se certiorem reddat.

4 — Visitatio ss. oleorum et reliquiarum fit sine luminaribus.

5 — Cetera fiunt ut in titulo II.

155 ART. II — IN MINORIBUS ECCLESIIS

❯ Apud ecclesias minores, propter cleri, cantorum vel supellectilis deficientiam, frequenter solemnem visitationem haud facere licet; proinde serventur regulae datae in articulo praecedenti sed notetur:

1 — Episcopus vivorum absolutionem dare poterit habitu praelatitio indutus, stola non assumpta; vel, si maluerit, eam dabit intra missam lectam post sermonem, sed sine cantu et sine mitra et baculo.

2 — Defunctorum absolutio dabitur ut in n. *145* habetur; vel episcopus, mozeta deposita, stolam nigram tantum assumat sine mitra.

3 — SSmae. Eucharistiae visitatio, si fieri possit, fiat ordine tradito in n. *146*; vel episcopus, deposita mozeta, stolam assumat super rochetum vel potius super superpelliceum (131).

ART. III — VISITATIO PRIVATA

156 Visitatio privata fieri potest ab episcopo, qui saltem a secretario visitationis concomitabitur. Canonica visitatio privatim facta cum non sit functio liturgica, fieri potest modo quo voluerit episcopus, qui habitu quotidiano non praelatitio indutus erit.

NOTAE AD SECTIONEM IV

(117) Durandus sex dat rationes propter quas paroeciae visitandae sunt. Latet tamen ratio cur talis visitatio in primis fieri debeat ad defunctorum animas absolvendas. Forsan quia fideles in paroecia juxta ecclesiam sepeliebantur. Sed usu maiorum defunctorum absolutio episcopis reservabatur, quae quidem doctrina in concessione indulgentiarum pro defunctis adhuc viget : Summo Pontifici enim reservatur. Absolutio animarum secumferebat, ex parte Ecclesiae, specialem indulgentiarum concessionem, quam parochus dare non poterat. Quaestio forsitan alibi fusiore calamo agitabitur.

Durandus ordinem ad visitandas paroecias in suo pontificali posuit, nam in antiquioribus romanis pontificalibus libris non inveniebatur. Ordo Durandi, paucis mutatis, adhuc in nostro PR legitur. Si defunctorum absolutiones excipias, totus ordo de parte judiciali agit. Andrieu tome III, pg. 623.

(118) Nullus habetur color liturgicus pro visitatione. Vivorum confessio et absolutio, cum sit ritus paenitentialis, optime fit in colore violaceo, qui (juxta PR) inservit etiam pro defunctorum absolutione, praesertim si ambae absolutiones ad altare fiunt et alia post aliam. Juxta principium generale, pluviale violaceum retineri potest pro visitatione Eucharistiae, dummodo fiat immediate post vivorum vel defunctorum absolutionem, sicut fit pro solemni benedictione cum Venerabili post Vesperas, quae in colore violaceo cantantur; pluviale albi coloris tamen a rubricis PR praecipitur adhibendum.

(119) *Ritus servandus* in apostolica visitatione Urbis (AAS vol. 39, pg. 436, n. 12) docet absolutionem generalem esse omittendam si sermo atque missa omittuntur; tunc enim indulgentiae conceduntur post benedictionem solemnem, ad ritum receptionis praelati claudendam positam. Juxta PR tamen absolutio generalis semper fit. Error forsitan ortus est ex eo quod in missa pontificali, si sermo habitus non fuit, nec absolutio datur. CE II, 8, n. 52.

(120) Debentne clerus et populus genuflectere dum canitur *Confiteor* pro generali absolutione ? Id omnino convenire nobis videtur; nam ita fit pro *Confiteor* in principio missae et in officio quando preces feriales dicuntur. De positione cleri dum canitur *Confiteor* post homiliam tamen silet CE; sermocinator vero genuflectit. CE I, 25, 1. Vide RR tit. VIII, cap. 31, *Generalis absolutio populi,* ubi, juxta rubricam, episcopus ad cantum *Confiteor* sedet.

(121) Verba rubricae *populi confessio* in principio ritus non sunt intelligenda de confessione sacramentali sed generali; proinde dicimus parochum *Confiteor* recitare nomine suo et totius populi. Intra missam diaconus, principalis altaris minister, *Confiteor* canit; ante missam ab ipsomet celebrante recitatur; est enim sacramentale maximi momenti, et cantus ejus a quocumque clerico, ut docent auctores, est quaedam tantae rei diminutio.

Hic votum emittere liceat, videlicet ut *Confiteor* a pastore cum suis ovibus, a tota scilicet congregatione, elata voce recitetur vel etiam cum musicis notis cantetur, id suadetur ipsis rubricae verbis... *fit populi confessio et absolutio generalis.*

In fine visitationis episcopus potest sacramentales confessiones audire et querelas in foro extra-sacramentali componere. PR *versus finem.* Ex hodierna praxi tamen, nisi urgeat necessitas, episcopus ab audiendis confessionibus etiam in fine visitationis abstinebit, ut liberius remedia paroeciae necessaria adhibere possit.

(122) Praecipit PR ut in initio visitationis duae fiant absolutiones generales, vivorum una, mortuorum altera; tacet tamen de ritu absolutionis vivorum, et auctores, ad tramitem Martinucci, dicunt absolutionem fieri debere ritu CE (II, 25, nn. 1-4) intra missam solemnem; si vero episcopus missam lectam celebret, fiat post evangelium, adhibita mitra et baculo.

Dicimus absolutionem vivorum fieri debere cum solemnitate absolutioni defunctorum saltem non inferiori, proinde ritu pontificali. Si episcopus vestes pontificales induere debet pro defunctorum absolutione, et visitatione Eucharistiae, cur non pro vivorum absolutione? Praeterea post solemnem receptionem praelati, absolutionem simplicem vivorum sine pontificalibus facere, et statim ad pontificalem defunctorum absolutionem procedere, saltem oculis non placet. Ita etiam intellexerunt multi antistites, et, ut huius rei inusitata species removeretur, missam lectam pontificalem introduxerunt, novitas certe in jure; episcopus videlicet missam celebrat cum mitra et baculo, quae assumit ad introitum, ad absolutionem quae datur post evangelium, ad *Lavabo,* ad benedictionem finalem, et cum recedit. Sed talis agendi ratio a SRC minime adprobatur. D 4035, ad 3um. Alii, in Gallia praesertim, cum habitu praelatitio, mitra et baculo assumptis, absolutionem dant, quod principiis Romanae liturgiae opponitur in radice et a SRC reprobatur. D 4355, I, 4.

Exposita solutio rubricis conformis est, et clero ac populo magis placet. Praeterea ad dandam apostolicam benedictionem cum plenaria indulgentia pontificales vestes praecipiuntur; et in Portugallia, aliisque locis, solet hic, ex apostolico indulto, plenaria indulgentia concedi. Juxta Durandum episcopus in initio visitationis sacras induit vestes, et, cum mitra et baculo, sedens populum alloquitur, deinde dat absolutionem generalem, modo exposito. Andrieu PR tome III, pg. 623.

(123) Defunctorum absolutio in coemeterio non est ejus canonica visitatio; nam PR in visitationis fine praecipit fieri coemeterii visitatio; corrigendus proinde LVH, tom. 2us. pg. 327.

(124) In toto decursu PR multiplices invenies difficultates ob ignorationem originis rituum. Non est profecto spernenda quae habetur in hoc absolutionis defunctorum ritu. Quaeritur enim cur dentur duae absolutiones, ad altare altera, ad coemeterium altera; quaeritur etiam cur fiat aspersio et incensatio aeris ante episcopum. Silent auctores qui caeremonias, ut aiunt, tantummodo tradunt; silet Catalanus in suo commentario PR, silet cl. Martène.

Ad rem explanandam intelligendum est agi de generali defunctorum absolutione in paroecia cui coemeterium supponitur annexum, sicut hodie videntur passim in Anglia. Sacerdotes et laici paroeciae ibi sepeliebantur, tres proinde habentur orationes: 1ma. pro sacerdotibus, quos speciali honore decet prosequi; 2.ª pro *nostrae congregationis* (id est paroeciae) *fratribus, propinquis, et benefactoribus;* 3.ª pro *omnibus hic* (in hoc coemeterio) *et ubique in Christo quiescentibus.* Orationes hae e MR sumuntur, 1.ª et 2.ª e missa quotidiana defunctorum, 3.ª vero est oratio diversa 15.ª *pro his qui in coemeterio requiescunt.* In 1ma. oratione episcopi consulto omittuntur, quia angeli Ecclesiae in communi coemeterio non solent sepeliri; pro illis enim fit prima et specialis absolutio in ecclesia ipsa... *Famulos tuos* (quos) *pontificali fecisti dignitate vigere,* praedecessores illius qui paroeciam nunc visitat, et eam forsitan jam visitaverunt. In visitatione ecclesiae cathedralis haec prima absolutio fit ad catacumbas ubi episcoporum corpora reconduntur. In antiquis cathedralibus, velut in Basilica Sancti Petri, ubi plusquam centum summorum pontificum corpora sepeliuntur, haec aspersio et incensatio *ante se,* ut ait rubrica, clarior apparet. Latet tamen ratio cur haec 1ma. absolutio sine cantu fieri debeat. Durandus de ea tacet. Andrieu tome III, pg. 625.

(125) De ritu adhibendo quando nullum adest coemeterium tacet PR et auctorum non una est sententia. Card. Barnabò Alexander (-|- 1874), SCFP praefectus, approbavit, anno 1866, brevissimam defunctorum absolutionem adhibendam quando nullum adest coemeterium, quae habetur in ritu visitationis dioecesis a Cardinali Vaughan edito, quam etiam tradit Fortescue, *The Ceremonies of the Roman Rite,* ed. 2.ª, pg. 382. Peccat tamen nimia brevitate cum nec ullum responsorium cani praecipiatur. Generatim tamen auctores sequuntur Martinucci et faciunt 1mam. absolutionem ad altare, 2am. ad pannum nigrum in media ecclesia extendendum, cum in die solemnis receptionis episcopi castrum doloris apponi haud deceat.

Putamus responsorium *Qui Lazarum resuscitasti* esse omittendum, si nulla adsit processio ad coemeterium. Juxta CE, Pontificali posterior, absolutio fit in media ecclesia quando adest feretrum; ad altare vero si pannus niger solum extenditur; sequimur CE II, 11, nn. 10, 11. Verum satius est, putamus, extra cathedralem ecclesiam 1mam. episcoporum absolutionem simpliciter omittere.

(126) Non agitur de benedictione cum Venerabili danda vel omittenda, neque licet in casu benedictionem solemnem impertiri cum ostensorio sicut docet Fortescue, *Ceremonies of the Roman Rite,* ed. 2.ª, pg. 383; neque proinde adhibendae sunt regulae habituales pro benedicitone cum Venerabili, quae quidem pontificali ritu cum pyxide non datur. Agitur de *disciplinari inspectione Eucharistiae* a visitatore. Ritus expositus ille est qui a MM traditur (tom. IV, pg. 369), videlicet visitatio Eucharistiae incipitur cum incensatione Sacramenti, eique finem imponitur cum benedictione, cetera omittuntur. Ita etiam fieri Romae praecipitur. Vide *Ritus servandus in Apostolica visitatione Urbis,* ASS vol. 39, pg. 441, ubi tamen praecipitur secunda

impositio incensi et incensatio: innovatio etiam Romae; maluimus sequi MM l.c. et ceteros auctores qui usum tradunt Romanum: De Carpo-Moretti, Caeremoniale, pg. 766; de Amicis, Il cerimoniale completo, ed. 3.ª, vol. 2um. pg. 603; Moretti, Caeremoniale, vol. 3um., pg. 446.

Si episcopus velit solemnem benedictionem cum Venerabili, devotionis causa, populo impertiri, id laudabiliter fieri potest, sed *in fine* visitationis paroeciae vel alia habita occasione, agitur de rebus diversis minime confundendis.

(127) Juxta rubricam PR (versus finem) visitatio ecclesiae, ceterorumque locorum, fit ab episcopo *indumentis ecclesiasticis* (id est, sacris vestibus) induto. Hodie tamen cum, e regula fere generali, sacra indumenta potius impedimenta sint, episcopi solent ea quam primum deponere, commoditatis gratia; obsolevit exinde rubrica.

(128) Juxta Durandum episcopus in initio et in fine visitationis paroeciae privatim ad coemeterium se conferebat ubi pro defunctis orabat; PR has orationes in fine ritus posuit; hodie tamen usus obsolevit cum coemeteria prope ecclesias non amplius locantur. Andrieu tome III, pg. 623.

(129) Vivorum absolutio, benedictio solemnis pontificalis est (CE I, 25, nn. 1-4), quae a jure vicariis ac praefectis apostolicis (CJC 294 § 2), necnon praelatis ac abbatibus nullius (CJC 323 § 2) interdicitur, nec eam impertiri potest vicarius capitularis. D 2864.

(130) Aliquantulum a D 2864 discessimus: crux cum candelabris adhibebitur tantum si fiat semi-processionalis receptio visitatoris; sedes cameralis in suppedaneo pro visitatore protonotario titulari componi nequit cum principiis CE; nam in casibus solemnioribus simplicem scabellum praecipit adhiberi, etiam pro praelatis pontificalium privilegiis fruentibus vel episcopali charactere fulgentibus. Vide ad mentem nostram *Ritus pro visitatione a praelato convisitatore facienda in Urbe.* ASS vol. 39, pg. 442.

(131) Usus adhibendi stolam super mozetam in pastorali visitatione pro vivorum vel defunctorum absolutionibus vel ssmae. Eucharistiae visitatione, licet a nonnullis auctoribus doceatur (v.g. Schulte, Benedicenda, pg. 238, 245, De Amicis, Il Cerimoniale Completo, vol. II, pg. 584) nullo modo probari potest. Si non licet stolam assumere super manteletum vel cappam pontificalem, nec super mozetam licet: vestes sacrae non sunt cum choralibus seu praelatitiis confundendae; fusiore calamo hac de re egimus in tomo I, capitulo V.

SECTIO V

DE PRAELATORUM SIVE LEGATORUM RECEPTIONIBUS

SECTIO V

DE PRAELATORUM SIVE LEGATORUM RECEPTIONIBUS

TITULUS I

CAPUT UNICUM

PROLEGOMENA

157 › Solemnis receptio praelati seu legati, quamvis fieri possit immediate ante aliam solemnitatem, tamen functio est ab aliis independens, maximique momenti; nam ab antiquis temporibus solent homines solemniter recipere eos qui a Deo, cui omnis potestas est, mittuntur, sive ad statum gubernandum, tamquam eorum reges seu praesides, sive ad sollicitudinem ecclesiarum tamquam earum angeli assumendam.

158 RECEPTIONUM SPECIES. Ne oriatur confusio, expedit sequentes ritus receptionis episcopi distinguere, qui diversis reguntur legibus.

1 — Receptio processionalis pontificalis (132).
2 — Receptio processionalis cum cappa.
3 — Receptio semi-processionalis (133).

159 RECEPTIO PROCESSIONALIS PONTIFICALIS fit tantum cum agitur de primo accessu episcopi loci ordinarii jam consecrati ad suam episcopalem civitatem. CE I, 2.

Fieri etiam *potest* pro receptione novi praelati seu abbatis *nullius* episcopali charactere aucti cum primum ad suam civitatem praelatitiam accedit.

Fieri *nequit* pro receptione praefecti, vicarii vel administratoris apostolici cum ad sedem sui territorii accedit, etiamsi sit ex ordine episcopali, neque pro abbate de regimine cum in suo monasterio recipitur.

160 RECEPTIO PROCESSIONALIS CUM CAPPA fieri debet:

1 — Pro cardinali legato a latere Summi Pontificis cum ad locum principalem suae legationis advenit.

2 — Pro legato apostolico per modum actus renunciato, episcopali charactere aucto, licet cardinalitia dignitate non fulgeat, cum ad locum suae legationis advenit (134).

3 — Pro episcopo loci ordinario cum primum ad principaliores suae dioecesis civitates advenit, licet non agatur de canonica visitatione. CE I, 2, 8.

4 — Fieri *potest* pro episcopo electo non consecrato cum ad suam civitatem episcopalem accedit consecrationem recepturus, et pro abbate vel praelato nullius, qui privilegio cappae gaudet, cum ad suum territorium accedit. Non fit pro aliis praelatis visitationis causa, etiamsi S.R.E. sint cardinales, neque pro nuntiis seu delegatis apostolicis cum ad loca suarum delegationum perveniunt (135).

161 RECEPTIO SEMI PROCESSIONALIS fit pro episcopo loci ordinario quando, visitationis causa, ad principaliores suae dioecesis ecclesias primum accedit, si, rationabili de causa, processionalis receptio fieri nequit.

Servanda etiam erit pro Cardinali Urbis Vicario quando ad ecclesias accedit pro apostolica visitatione. ASS 39, pg. 436.

162 QUO TEMPORE HABENDA. Cum processionalis receptio functio sit festiva, licet omni tempore fieri possit, convenienter tamen seligatur festivitas aliqua illius loci, excluso semper tempore quadragesimae. Receptio fit vel ipso die accessus praelati ad civitatem vel die immediate sequenti (136).

163 LOCUS. Receptio fieri debet in ecclesia cathedrali, vel, extra sedem episcopalem, apud principalem civitatis ecclesiam.

164 QUINAM CONVOCANDI. Processionali receptioni intervenire debet clerus saecularis civitatis in qua fit receptio, et, saltem obsequii causa, etiam clerus regularis. Vicario generali fas est confraternitates et tertios ordines saeculares ad receptionem convocare.

165 CIVILES POTESTATES et magistratus decet ad solemnem praelati vel legati receptionem invitari.

166 A QUO RECIPIENDUS. Munus recipiendi penes est principalem praelatum seu sacerdotem loci prout infra, qui receptionis *praeses* nuncupatur. D 1667.

1 — Receptio episcopi modo electi facienda est a 1ma. dignitate capituli ecclesiae cathedralis. CE I, 2, nn. 3, 5. Si non exstat capitulum, praelatus recipiendus erit ab episcopo auxiliari si aderit, vel a vicario generali si jam sit constitutus, secus a praeside coetus consultorum dioecesis.

2 — Cardinalis legatus a latere recipitur ab episcopo loci ordinario, vel ab ipso metropolita, si in ecclesia sua facienda est receptio.

3 — Si loci ordinarius sit cardinalitia dignitate auctus, receptio cardinalis legati erit ab episcopo auxiliari facienda, vel cardinalis munus recipiendi legatum committet praesidi capituli, seu altero episcopo cui maluerit.

4 — Si legatus apostolicus episcopali charactere ornatus, non tamen S.R.E. cardinalis, recipiendus est in ecclesia cathedrali, munus recipiendi est penes 1mam. dignitatem capituli, vel si non aderit, vicarius generalis munus exsequatur, quod servabitur etiamsi in alia ecclesia dioecesis facienda sit receptio.

167 PRAELATUS SUPERIORIS GRADUS. Jus liturgicum supponit praelatum superiorem illi qui recipiendus est functioni non intervenire; nam principalis persona est praelatus recipiendus, et si adesset aliquis superioris gradus, praecedentia gauderet, quod ritui receptionis se opponit (137).

168 BALDACHINUM PORTATILE. Legit CE *Umbraculum seu baldachinum duplex est... aliud quod supra episcopum, ac res sacras in processionibus, gestari consuetum est.* CE I, 14, 1. Quod quidem juxta leges liturgicas adhibendum est super episcopum in solemnibus receptionibus solummodo (138). Huius privilegii usu gaudent praelati omnes qui processionaliter recipi possunt, Romae tamen uni Summo Pontifici reservatur. Vide notam 160.

TITULUS II

RECEPTIO PROCESSIONALIS PONTIFICALIS

169 "Canonicam dioecesis possessionem capiunt episcopi residentiales simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario capituli vel cancellario curiae, qui rem in acta referat". CJC 334 § 3. Quae quidem litterarum apostolicarum praesentatio capitulo, vel eo deficiente consultorum coetui (CJC 427) fieri debet *ante* pontificalem receptionem.

CAPUT I

170 CLERUS INSERVIENS

RECEPTIONI INSERVIUNT :

Praelatus vel sacerdos qui functioni praeest.
Caeremoniarum magistri duo, vel plures.
Ministri tres pro cruce et candelabris.
Ministri duo pro thuribulo et aqua lustrali.
Cantores sex vel octo, seu numero pari.

EPISCOPO INSERVIUNT :

Canonici assistentes duo, vel, si desint, digniores duo presbyteri dioecesis.
Ministri duo pro mitra, baculo.
Clerici sex pro vestitione.
Caudatarius.
Familiares.

› Si metropolita, sacro pallio jam ornatus, recipiendus est, aderit crucifer ejus; aderuntque clerici duo pro intortitiis crucis cleri.

Deputandi erunt viri laici nobiles vel principales civitatis ad hastas baldachini portandas, incipiendo a dignioribus.

PRAESES, episcopali dignitate ornatus, caudam habitus talaris non expedit, nec utitur candela, aderit minister de mitra, sed nulli assistentes. Praeses, etsi nulla dignitate ornatus, non genuflectit episcopo, cum sit celebrans officii.

CAEREMONIARII: 1mus. totam functionem moderatur, sed intentus semper erit praesuli; 2us. curam praesidis habebit, et, si sit infulatus, mitram ei imponit et aufert.

THURIFERARII munus, juxta PR, erit a sacerdote peragendum.

CAPITULUM ET CLERUS functioni interveniunt cum habitu chorali, unicuique proprio.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

171 ART. I — UBI INCIPIENDA EST PROCESSIO

COLOR: albus.

› Seligendus erit locus pro receptionis initio, qui in parvis civitatibus erit prope portam principalem; in maioribus civitatibus erit ab ecclesia cathedrali aliquantulum distans, et (per fictionem juris) ad civitatis introitum; laudabiliter ibi ponetur arcus triumphalis, ibique parentur quae necessaria sunt ut infra.

SEDES CAMERALIS super strato tapeto cooperto.

MENSA AMPLA ET DESUPER:

Candelabra acolythorum.
Vela duo pro mitra et baculo.
Lanx pro cruce pectorali.
Crux parvula cum imagine Crucifixi super lancem velo cooperta.

PRO EPISCOPO:

Amictus, alba cum cingulo; pluviale pretiosum cum stola; formale pretiosum in lance; mitra pretiosa; baculus pastoralis mensae appositus.

AD INTROITUM AULAE SEU ARCUS:

Umbraculum portatile cum hastis quatuor vel sex (139).
Tapetum et pulvinar nobile ubi episcopus genua flectat.

Illi ad quos spectat "vias per quas eundum erit mundari ac frondibus conspergi in signum laetitiae curent". CE I, 2, 2.

› Si praelatus recipiendus sit metropolita et sacrum pallium jam receperit, parabitur crux hastata, alia a cruce cleri, ubi metropolita cappam induit.

IN SACRARIO vel ubi commodius:

PRO PRAESIDE:

Amictus, pluviale simplex; mitra auriphrygiata si praelatus sit episcopus vel protonotarius supranumerarius; e serico damasceno si sit protonotarius apostolicus ad instar, et velum, secus, biretum; superpelliceum, dempto amictu, si usus rocheti non habeat.

Crux ecclesiae cathedralis. Si metropolita recipiendus est, aderunt intortitia duo ad crucem cathedralis.

PRO OMNIBUS:

Superpellicea et bireta.
Folia cum precibus per viam et in ecclesia canendis cum musicis notis.

172 ART. II — IN ECCLESIA CATHEDRALI

COLOR: albus.

› Ecclesia cathedralis ornabitur prout in magnis festivitatitus ornari solet.

SUPER ALTARI aderunt candelabra sex cum cereis accendendis ante introitum episcopi, et pallium pretiosum.

A LATERE EPISTOLAE altaris, facie ad latus evangelii, ponetur legile cum missali, signaculis ad orationem *Deus omnium fidelium* (e missa in anniversario electionis episcopi) et ad orationem patroni dioecesis appositis, et intus folium cum versiculis *Protector noster* etc. ut in PR habetur.

FALDISTORIUM sua veste coopertum cum pulvinari in medio presbyterio.

THRONUS ornabitur vestibus suis propriis, floribusque stipetur.

AD ABACUM:

Canon pontificalis.
Scotula cum cereo.
Indulgentiarum formula.

AD JANUAM MAIOREM:

Tapetum nobile suo tempore extendendum.
Ad partem exteriorem januae apponentur stemmata episcopi.

IN SACRARIO:

Thuribulum ardens cum thuris navicula.
Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.

AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI aderit genuflexorium cum panno et duobus pulvinaribus viridis coloris, et, cum episcopus ad adorandum accedit, accendentur cerei sex. A sinistris genuflexorii, si praeses sit praelatus, ponetur pulvinar ad genuflectendum.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

173 ART. I — ACCESSUS EPISCOPI

Iter obviam episcopo

1 — Hora praestituta, in ecclesia cathedrali, vel ubi magis convenicns, congregabuntur clerus et confraternitates, sive laici viri qui receptioni intervenire debent vel maluerint.

Caeremoniarum magistri processionem ordinabunt ad locum adventus episcopi ordine inferius tradito.

In capite cleri praeibit crux ecclesiae cathedralis, cum acolythis candelabra cum cereis accensis utrimque ferentibus.

Post omnes ibit praeses, qui recepturus est episcopum, ipse solus pluviali paratus, et cum mitra si ea jure gaudet.

In loco adventus episcopi

2 — Caeremoniarii clerum et confraternitates in duabus lineis ordinabunt, ita ut episcopus per medium eorum transeat.

In medio sternetur tapetum nobile et desuper pulvinar super quo episcopus genua flectere queat.

Crux cum candelabris se sistent ad dexteram partem tapeti (episcopi accedentis); praeses stabit ipse solus in capite loci, cum ministro crucem in lance gerente a sinistris et caeremoniario 2.° a dextris. Diagramma IV.

Adventus episcopi

3 — Cum omnia parata sunt, accedit episcopus cappa magna indutus cum caputio cappae in capite et desuper galero pontificali (140), et procedit ipse solus neminem benedicens; a tergo ibit caudatarius caudam cappae pontificalis sustinens. Familiares et alii qui episcopum concomitantur procedunt utrimque retro post eum; secretarius biretum praesulis secum manibus feret.

Osculum Crucifixi

4 — Episcopus cum ad tapetum pervenerit, galerum, adjuvante 1.° caeremoniario dimittit, quem familiari tradit, et caeremoniarius caputium cappae dimittit et retro firmat.

Praeses biretum suum tradit caeremoniario 2.° et accipit crucifixum e lance a clerico sustentata.

❯ Si praeses sit infulatus, retenta mitra, crucem osculandam tradet episcopo.

Episcopus super pulvinar genua flectit ipse solus; pileolum tradit caeremoniario 1.°, ac devote imaginem Christi crucifixi osculatur.

Cantores statim cantabunt antiphonam *Sacerdos et Pontifex*.

Pontifex, pileolo reassumpto, assurgit et caput cooperit bireto, vel caputio si maluerit, et, ordine quo accedit, pergit ad locum vestitionis.

174 ART. II — PROCESSIO AD ECCLESIAM CATHEDRALEM

Vestitio episcopi

1 — In loco vestitioni parato sedet episcopus in sede camerali, duo assistentes vero, eius latera cingentes, stabunt.

Episcopus, ministrante caeremoniario seu familiari suo, biretum, cappam, et crucem pectoralem deponit, et expedit caudam habitus talaris.

❯ Cappa, galerus pontificalis et biretum directe ad cathedralem asportentur a cubiculario.

Interim caeremoniarius 2us. sacras vestes episcopi clericis sex distribuit, qui, unus post alium, coram pontifice se sistunt.

Episcopus, ministrante assistente 1.° et adjuvante 2.°, induit amictum, albam cum cingulo, crucem pectoralem, stolam et pluviale. Deinde 1us. assistens pluviali ejus imponit formale, et vestit episcopum mitra pretiosa.

❯ Caudatarius, cappa vel *crocea* deposita, induit superpelliceum.

❯ Dum episcopus sacras induit vestes, caeremoniarii, ad quos spectat, processionem ordinabunt prout infra habetur.

Processio

2 — Processio iter arripiet ad ecclesiam cathedralem quo sequitur ordine.

Praecedunt confraternitates et tertii ordines saeculares, si quae aderint, servato ordine praecedentiae, cum suis insignibus.

Sequuntur ordines regulares, si qui aderint, sub propria cruce.

Magistratus seu nobiles civitatis viri, nisi post episcopum sequantur.

Crux ecclesiae cathedralis, quae portabitur a clerico superpelliceo induto, et acolythi cum candelabris et cereis accensis ad crucem honorandam utroque latere incedunt.

Cantores bini.

Clerici bini vel quaterni.

Parochi civitatis et dioecesis bini vel quaterni.

Capitulares ecclesiae cathedralis bini.

Praeses ipse solus pluviali indutus cum bireto, vel cum mitra in capite si ejus gaudeat usu.

Episcopus subter baldachino (141), a quatuor vel sex viris nobilibus sustentato, medius inter diaconos assistentes in habitu chorali.

Episcopus ibit cum mitra in capite et baculo in manu sinistra, per viam fideles, qui ad transitum ejus genuflectunt, manu dextera *aperta et extensa* frequenter, non tamen motu continuo, benedicens (142).

A tergo episcopi ibit caudatarius, caudam habitus talaris ejus sustentans, et retro post baldachinum ibunt ministri de mitra et baculo et familiares.

Sequuntur episcopi forte praesentes et praelati, nisi isti post capitulum cathedralis incedere soleant; quod si non aderit capitulum, ibunt ante praesidem paratum.

Cantores, alternante clero, per viam cantabunt psalmos laetitiae, praesertim psalmos 91, 95, 106, 134, 147 ad 150, vel canticum Zachariae *Benedictus.*

Cum processio iter arripuerit, usquedum ad januam ecclesiae cathedralis perveniat, sonabunt more festivo sacra aera turrium civitatis.

❯ Priusquam processio ad ecclesiam cathedralem perveniat, ante januam maiorem extendendum erit tapetum nobile, et sacerdos thuriferarius, cum thuribulo ardenti in manu sinistra et navicula thuris in dextera, se sistit ad dexteram januae (intrantis) una cum clerico cum aqua lustrali et hyssopo a sinistris.

Ad januam cathedralis

3 — Cum processio ad januam cathedralis advenerit, crucifer cum ceroferariis se sistet ante januam, tergo ad illam verso. Confraternitates ad loca sua in ecclesia accedunt.

Clerus regularis et saecularis ecclesiam ingrediuntur et ad loca sua in choro accedunt, vel, si aderit locus, subsistunt bini, ad januam versi, in navi maiori ecclesiae; capitulum ecclesiae cathedralis, praelati, et magistratus se sistunt in corona ante januam.

Praeses functionis paulo ante adventum capituli locum sibi sumit in medio januae, tergo ad crucem verso; et, cum accedit episcopus, dimittit biretum, vel si sit protonotarius seu abbas infulatus mitram et pileolum deponit.

Super tapetum subsistunt viri hastas baldachini sustinentes et in medio tapeto consistit episcopus. Diagramma V.

Aspersio episcopi, cleri et populi

4 — Episcopus baculum reddit ministro, et, retenta mitra, accipit a praeside aspersorium cum osculis, et seipsum, deinde capitulum, praelatos, clerum et populum sueto more aspergit, incipiendo a dignioribus, et hyssopum reddit praesidi.

Ad aspersionem genua flectunt clerici et fideles, praelati et canonici ecclesiae cathedralis se inclinant.

❯ Si aderint episcopi per tactum aspersorii aqua lustrentur.

Incensatio episcopi

5 — Sacerdos thuriferarius se sistit flexis genibus coram episcopo qui, praeside naviculam ministrante, et dicente *Benedicite exme. ac revme. Pater,* incensum thuribulo imponit cum trina benedictione dicens *Ab illo benedicaris* etc. Praeses naviculam caeremoniario tradit, et, accipiens thuribulum de manu sacerdotis, a dextris suis stantis, episcopum triplici ductu thure honestabit, cum profunda capitis inclinatione ante et post, sed thuriferarius, qui oram dexteram pluvialis praesidis sustinet, genuflectit. Episcopus post incensationem praesidem dextera benedicit.

Episcopo incensato, minister de baculo ei tradit baculum, et praeses caput bireto sive mitra cooperit.

❯ Si praeses sit episcopali dignitate ornatus, cum episcopus ad januam accedit, stabit in loco suo, retenta mitra, tergo ad ostium verso, et jubebit ut 1ma. dignitas praesens, nudato capite, aspersorium et naviculam episcopo praesentet, qui etiam praesulem incensabit (CE I, 23, 25); praeses aspersorium tangendum ante ceteros omnes praesentes recipiet.

❯ Cum episcopus ecclesiam fuerit ingressus, tapetum amovebitur, et thuriferarius ac minister aquae lustralis ad sacrarium recedunt, officiis suis expletis.

175 ART. III — IN ECCLESIA CATHEDRALI

Introitus in ecclesiam

1 — Episcopo incensato, cantores statim incipiunt hymnum *Te Deum,* alternis choris.

Ordinabitur processio ad altare ssmi. Sacramenti quo sequitur ordine.

Praeibit crucifer cum ceroferariis, sequuntur cantores, deinde canonici et praelati, sequitur praeses ipse solus, postea episcopus sub baldachino, sequentibus suis familiaribus, ordine in processione servato (143); prope januam capellae se sistunt crucifer cum ceroferariis; clerus ad loca sua in choro procedit, exspectaturus episcopum (144).

Ad altare ssmi. Sacramenti

2 — Ad januam capellae ssmi. Sacramenti episcopus e baldachino cum suis assistentibus exit et ad genuflexorium pergit.

Viri qui hastas baldachini sustinebant, ad januam capellae consistunt; canonici se sistunt a tergo episcopi; praeses se sistit versus sinistram ejus, detecto capite.

Episcopus baculum reddit ministro, et a 2do. assistente exuitur mitra et pileolo; deinde, facta prius in plano genuflexione, genua flectit in genuflexorio ibi parato.

Diaconi assistentes *postquam* oras pluvialis episcopi super genuflexorium expanserint, genua flectent in plano, aliquantulum a tergo episcopi, et ceteri omnes in capella idem faciunt.

Episcopus flexis genibus permanebit usquedum a schola cantatus fuerit versus *Te ergo quaesumus.*

Ad altare maius

3 — Ad nutum caeremoniarii assurgit episcopus, surgentibus omnibus; iterum in plano genuflectit Sacramento; a 1.° assistente accipit pileolum et mitram, et ei traditur baculus.

Ordinabitur processio ad altare maius ordine quo venit. Ad introitum presbyterii crucifer cum ceroferariis recedit per viam breviorem ad sacrarium; et cum episcopus e baldachino exit, viri qui hastas portarunt, illud in parte reponunt et recedunt, officiis suis expletis.

Canonici, facta cruci altaris reverentia, ad loca sua in choro adeant.

Praeses, a 2do. caeremoniario comitatus, nudato capite et facta cruci altaris reverentia, ad altare ascendit, et, illud prius in medio deosculatus, accedit ad legile ad partem epistolae, ita tamen ut aliquantulum versus sit ad episcopum in genuflexorio orantem.

Episcopus, reddito baculo, et nudatus mitra a 2do. assistente, profunda capitis inclinatione crucem altaris salutabit, ac dein cantato ultimo verso hymni, genua flectit in faldistorio ei parato; diaconi assistentes,

oras pluvialis super faldistorium extendunt et genua flectunt passum unum a tergo.

Caudatarius, extensa cauda habitus talaris, ad abacum recedit; ministri de mitra et baculo se sistunt retro post assistentes et genua flectunt.

Oratio ad receptionem claudendam

4 — Cum omnes ad loca sua pervenerint, et finito cantu *Te Deum*, praeses cantabit recto tono versus *Protector noster* et sequentes prout in Pontificali habentur (145), choro flexis genibus respondente, et deinde canit recto tono orationem *Deus omnium fidelium* cum conclusione brevi, qua clauditur ritus receptionis episcopi. Diagramma VI. Praeses per breviorem viam in planum descendit, et se sistit prope dexteram 1mi. assistentis.

Oratione cantata, assurgit pontifex, et cum eo omnes; 1us. assistens ei imponit mitram et minister de baculo ei reddit baculum.

❯ Caeremoniarius 2us., cum recedit praeses, locabit legile cum missali ut in introitu missae, signaculo ad orationem patroni dioecesis apposito.

176 ART. IV — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES

Inthronizatio

1 — Episcopus, medius inter diaconos assistentes oras pluvialis sustinentes, cum praeside a dextris 1mi. diaconi, sequentibus caudatario caudam habitus talaris ferente et ministris de mitra et baculo, ad thronum accedit, ubi, retento baculo, sedet aliquantulum.

Diaconi assistentes stabunt ad scabella a lateribus throni, praeses se sistit in plano a sinistra parte throni, caudatarius et ministri de mitra et baculo recedunt (146).

Episcopo in throno assidente, schola cantabit responsorium *Ecce sacerdos magnus.*

Obedientia

2 — Diaconi assistentes in planum descendunt et episcopus baculum reddit ministro.

Praeses, mitram in manibus tenens si sit infulatus, et diaconi assistentes, alius post alium, facta episcopo debita reverentia, ad thronum accedunt ad annulum deosculandum.

Caeremoniarii invitabunt clerum ad thronum, et omnes, alius post alium, incipiendo a dignioribus, facta genuflexione altari et deinde episcopo vel reverentia profunda si sint canonici cathedralis vel praelati, ad episcopum accedunt, ubi flexis genibus annulum ejus deosculantur.

2us. presbyter genuflectit in plano cum 1us. assurgit, et 1us. iterum in plano cum 3.º accessuro, et denuo ante altare genuflectit una cum altero crucem venerante, et ita quoad ceteros, quae omnia a caeremoniariis dirigentur ut maximo ordine fiant.

❯ Presbyteri seu praelati qui pileolum utuntur, illud deponunt cum ad thronum accedunt.

Praeses, post osculum manus pontificis, ad sacrarium recedit, ubi, sacris vestibus depositis, assumit chorales et ad locum suum in choro redit, officio suo expleto.

❯ Si multi sint sacerdotes ad obedientiam accessuri, schola, finito responsorio, laudabiliter cantabit psalmos functioni accommodatos, quos inter nn. 47, 127, 132.

Documenta legenda

3 — Obedientia finita, si adsint litterae apostolicae vel decreta novi antistitis legenda, a cancellario ad presbyterii cancellos leguntur.

❯ Si dioecesis modo creata est, expedit legere litteras apostolicas erectionis. Lingua latina legi poterunt initium et finis litterarum, et per integrum earum versio vulgaris.

❯ Publica lectio apostolicarum litterarum nominationis novi electi a jure non praecipitur.

Sermo episcopi

4 — Pontifex, si velit, ad clerum et populum verbum habebit solemnitati proprium, vel dignior de clero, si maluerit, novum episcopum salutabit verbis ad rem accommodatis.

❯ Interim caeremoniarius 2us. locabit candelam prope legile et in medio altari canonem pontificalem ad benedictionem apertum.

Commemoratio patroni

5 — Finita obedientia, seu lectis decretis vel finito sermone, episcopus, accepto baculo, assurgit et, ordine quo venit, ad altare revertitur.

Ante gradus altaris, baculo et mitra depositis, episcopus cum suis assistentibus, prius facta cruci debita reverentia, ad altare ascendit, et,

illud osculatus (147), pergit ad latus epistolae, cum assistentibus utrimque.

Schola, cum surgit episcopus, incipit et cantat antiphonam de sancto patrono dioecesis, vel, si non habeatur, de titulari ecclesiae cathedralis, quae sumitur a 1mis. vel 2dis. vesperis (148).

Episcopus statim, in tono feriali et cum brevi conclusione, cantabit orationem patroni sive titularis ut supra, quae tamen recitabitur more votivo, id est, omissis verbis *cujus festum colimus,* vel similibus festi propriis, et dicitur *commemoratione votiva,* vel alia prout oratio desiderare videatur.

Pontificalis benedictio

6 — Episcopus cum suis assistentibus se sistit in medio altari et caeremoniarius 2us. legile cum missali ad abacum portat.

Assistens 1us. mitram episcopo imponit, qui, dicens in cantu *Sit nomen Domini benedictum,* solemniter clero et populo genuflexo benedicit, baculum accipiens cum dicit *Pater,* quae omnia fiunt more solito ut in CE I, 25, n. 5. Vide notam 183 tomi I.

Indulgentiae

7 — Episcopo, infulato et cum baculo in manu, ad populum converso, assistens 1us. indulgentiarum formulam *Exmus ac revmus in Christo Pater* etc. clara voce legit, stantibus omnibus (CE I, 25, n. 9).

❱ Si episcopus privilegium apostolicum habeat concedendi plenariam indulgentiam cum ad suam dioecesim pervenerit, eam dabit in prima sua missa pontificali. CE I, 2, n. 1.

Discessus

8 — Indulgentiis publicatis, episcopus cum suis assistentibus in planum descendit, et, facta cruci altaris debita reverentia, ad thronum accedit, sequentibus ministris de mitra et baculo et caudatario caudam habitus talaris ferente.

Episcopus, reddito baculo, sedet, et a 2do. assistente mitra nudabitur.

Clerici sex ante thronum se sistunt (1mus. cum lance pro pectorali), et episcopus, ministrante 1mo. assistente et adjuvante 2do., sacras deponit vestes; deinde cubicularius seu caeremoniarius firmat caudam habitus talaris et eum cappa induit. CE I, 2, n. 6.

Episcopus descendit de throno cum suis assistentibus, et, flexis genibus ad faldistorium in plano positum, omnibus genuflectentibus, breviter orat.

Diaconi assistentes, officiis suis expeditis, recedunt ad loca sua cum canonicis (149).

Episcopum concomitabitur clerus ad suum palatium, cauto tamen quod praecedit episcopus et canonici et ceteri sequuntur.

Cum recedit episcopus organa pulsantur sed silent aera turris.

177 ART. V — RECEPTIO METROPOLITAE

❱ In receptione novi metropolitae sequentes fiunt modificationes in ritu superius exposito, dummodo tamen jam sit sacro pallio ornatus.

1 — Acolythorum candelabra ponentur super mensam ubi episcopus erit sacris vestibus induendus.

2 — Crux ecclesiae cathedralis cum duobus clericis cum intortitiis locum sumit in capite processionis, ibique, longe distans a tapeto ubi metropolita recipiendus erit, exspectabit processionis initium (150).

3 — Metropolita accedit, praecedente crucifero crucem ad eum versa ferente, sine luminaribus, et inter eum et crucem nemo aderit. Familiares ibunt ante crucem.

4 — Cum metropolita genuflectit ad crucem deosculandam, crucifer stabit a sinistris ejus.

5 — Dum metropolita sacras induit vestes, crucifer, *crocea* seu cappa deposita, induit superpelliceum et locum sumit ante canonicos, medius inter acolythos cum candelabris pro processione.

6 — Crux metropolitae capitulum, licet sine sacris vestibus, praecedit; in locis vero ubi non adest capitulum nullus ibit inter pontificem ejusque crucem, uno praeside excepto, qui ibit aliquantulum versus dexteram; praelati ibunt immediate ante crucem metropolitae cum non constituant collegium.

7 — Ad introitum ecclesiae cathedralis crux cleri ad sacrarium recedit cum intortitiis, et crux metropolitae procedit sicut de cruce cleri dictum est, n. *174,* 3, sed presbyterium intrans, crucifer crucem locabit

in sua basi a latere sinistro throni, et acolythi cum candelabris ad sacrarium recedunt.

8 — Pro benedictione finali, crucifer genua flectit in infimo gradu altaris, et metropolita mitram induit post indulgentiarum publicationem.

9 — Cum metropolita sacras deponit vestes, crucifer et caudatarius superpelliceum auferunt et induunt *croceam* seu cappam.

› Si impositio sacri pallii erit *statim* post receptionem facienda, vide tomum I, n. *316.*

› Si metropolita sacrum pallium jam recepit, laudabiliter post receptionem fit ejus solemnis veneratio, ut in tomo I, n. *320.*

178 › SI EPISCOPUS SIT S.R.E. CARDINALIS omnia fiunt prout in titulo hoc traditum est, sed in formula indulgentiarum dicatur *Emmus* et *Revmus N. S. R. E. Cardinalis N., tituli N. etc.*

179 › PRO PRAELATO SEU ABBATE NULLIUS CHARACTERE EPISCOPALI ORNATO, pontificalis receptio, si facienda sit, fiet ordine tradito in hoc titulo, et incipienda erit a porta principali sui territorii (151).

TITULUS III

RECEPTIO PROCESSIONALIS CUM CAPPA

A — RECEPTIO CARDINALIS A LATERE LEGATI

180 › Nostris praesertim temporibus quam frequentissime Christi in terris Vicarius, maxima sua liberalitate, solet festis summa per orbem religione celebrandis per SRE cardinalem a latere suo legatum personaliter praeesse (152). Quaecumque sit functio peragenda, expedit legatum quam solemnissime recipere, sicut a PR stricte praecipitur. Civilis receptio, quae solet a gubernio fieri, ita erit ordinanda ut processionalis receptio inde detrimentum non patiatur.

CAPUT I

181 CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

1 — RECEPTIONI INSERVIUNT iidem ministri ac pro receptione pontificali, n. *170,* ac clerici duo pro intortitiis crucis.

2 — LEGATO INSERVIUNT :

Crucifer et caudatarius in habitu violaceo.
Nobilis familia.
Familiares.

3 — Deputentur viri nobiles e principalioribus civitatis ad hastas baldachini per vias portandas, ita ut semel et iterum substituantur, incipiendo a dignioribus.

4 — LEGATUS antiquissimo jure gaudet privilegio crucis hastatae, et metropolita, etiamsi et ipse S.R.E. sit cardinalis, a cruce ante se ferenda abstinebit. CE I, 4, n. 1. Vide notam 52.

Legatus procedit semper ipse solus sine ulla diaconorum assistentia (DD 109; 900, 3), et caeremoniarius ac praelati qui illum concomitantur, ita a longe consistant ut officium assistentium exercere non videantur.

5 — PRAESES RECEPTIONIS, etsi metropolita vel loci ordinarius, caudam habitus talaris non expedit, non utitur baculo vel candela, et nemini per viam benedicit; habebit tamen canonicos assistentes duos sive sacerdotes in habitu chorali et ministrum de mitra, quousque sacras deponat vestes.

6 — METROPOLITA ET LOCI ORDINARIUS habebunt manteletum sine mozeta (CE I, 4, n. 7), quod ab aliis episcopis et abbatibus praesentibus servabitur.

7 — CAEREMONIARII servabunt regulas superius traditas, sed assistens 1us. mitram episcopo imponit et aufert.

8 — THURIFERARIUS erit in ordine sacerdotali constitutus.

9 — CAPITULUM ET CLERUS functioni interveniunt in habitu chorali.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

COLOR : albus.

182 › Seligendus erit locus pro receptionis initio prout de receptione pontificali dictum est, n. *171*, ibique parentur res ut infra.

AD INTROITUM AULAE SEU ARCUS :

Tapetum et pulvinar nobile ubi legatus genua flectat.
Umbraculum cum hastis quatuor vel sex.

PROPE AULAM super parvam mensam :

Candelabra acolythorum duo.
Crux parvula cum imagine crucifixi super lance velo cooperta.

IN LOCO VESTITIONIS PRAESIDIS :

Sedes cameralis super strato tapeto cooperto.
Mensa, alba tobalea cooperta, super qua ponentur :
Amictus, pluviale nobile cum stola simili (153), formale nobile; quae velo cooperiuntur; mitra pretiosa et velum.

IN SACRARIO VEL UBI COMMODIUS :

Crux ecclesiae cathedralis.
Intortitia duo.

PRO OMNIBUS :

Superpellicea et bireta.
Folia cum precibus per viam et in ecclesia canendis.

183 IN ECCLESIA RECEPTIONIS parentur omnia prout superius dictum est pro receptione episcopi, sed observa :

In missali signaculum apponatur ad orationem *Omnipotens... qui facis* (inter orationes diversas n. 7 pro praelatis, singulari tamen numero) vel potius transcribatur in folio ad hoc cum versiculis *Protector noster* etc. prout in PR habetur.

SSMUM. SACRAMENTUM amovebitur ab altari maiore, si ibidem aderit, et ponetur in loco remoto, ita ut processio cleri coram altari Sacramenti non transeat cum ecclesiam ingreditur.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

184 ART. I — ACCESSUS LEGATI

Clerus 1 — Ordinabitur processio ad locum receptionis legati; crux cleri a duobus clericis funalia portantibus concomitabitur et exspectabit initium processionis in capite cleri, longe a loco ubi legatus erit genuflexurus.

Caeremoniarii clerum in duabus lineis ordinabunt, ita ut legatus per medium transeat, ut in n. *173*, 2.

Episcopus 2 — Antequam legatus cappam induat, *praelatus ejus loci*, id est, episcopus vel metropolita, in aula aliqua ad hoc selecta, super habitum praelatitium, adjuvantibus suis assistentibus, induit amictum, stolam, pluviale, formale pretiosum et mitram pretiosam; deinde cum suis assistentibus utrimque oras pluvialis sustentantibus, procedit ad caput loci accessus legati, ubi clericus cum cruce in lance se sistit a dextris 1mi. assistentis.

Legatus 3 — Legatus, indutus habitu cardinalitio rubri coloris cum mozeta, ad locum suae legationis

advenit, et, finita civili receptione in statione viae ferreae, statim pergit ad aulam aliquam prope locum pro receptionis initio selectum, ibique, deposita mozeta, induit cappam rubram et galerum cardinalitium maiorem super caputium cappae sine pileolo.

Legatus ad locum initii processionis procedit cum sua familia quo sequitur ordine :

Familiares seu cubicularii.
Viri nobiles qui legatum concomitantur.
Crucifer, cum imagine Christi ad legatum versa.
Legatus ipse solus, quem sequitur caudatarius, caudam cappae ferens.
Passus tres a tergo legati utrimque ibunt praelati qui legatum concomitantur, ita ut inter legatum et crucem incedat nemo.

❫ Si legatus galero cardinalitio maiori non utatur, adhibebit galerum rubrum commune.

Osculum crucifixi 4 — Legatus cum erit super tapetum, galerum dimittit et caputium cappae deponit; deinde flexis genibus super pulvinar, devote osculatur imaginem Christi crucifixi ei ab episcopo infulato praesentatam. Cantores statim cantabunt antiphonam *Sacerdos et Pontifex,* etiamsi cardinalis legatus sit sacerdotali tantum charactere auctus (154).

Legatus assurgit, et ut prius caput caputio cappae et galero cardinalitio cooperit, adjuvante caeremoniario vel familiari suo.

❫ Si legatus non sit caputio cappae coopertus, adhibebit pileolum quod deponit cum genuflexus Crucifixum deosculatur.

185 ART. II — PROCESSIO AD ECCLESIAM

Processio 1 — Caeremoniarii statim ordinabunt processionem ad ecclesiam cathedralem sive principalem loci ordine superius tradito, n. *174,* 2, sed observa :

In capite cleri ibit crux ecclesiae processionis cum funalibus.

Ante capitulum ecclesiae cathedralis ibit crucifer legati cum *crocea* sive cappa, medius inter clericos candelabra ferentes, et ante eum familiares sive domestici legati et viri nobiles (155).

Post capitulum ibit episcopus cum mitra pretiosa sed sine baculo, medius inter suos assistentes oras pluvialis afferentes (156).

Sequitur legatus subter umbraculo ipse solus, populo benedicens; a tergo ibit caudatarius caudam cappae ferens et a lateribus umbraculi a parte extra ibunt praelati qui legatum concomitantur (157).

Sequuntur episcopi et praelati praesentes, nobilesque viri, nisi ante crucem gradiantur.

Tempore processionis cantores cantabunt psalmos et aera turrium vibrabunt; ante januam principalem extendetur tapetum et ibi aderunt ministri de thuribulo et aqua lustrali, quae omnia fiunt ut de processione pontificali dictum est, n. *174,* 2.

Ad januam ecclesiae 2 — Crucifer cleri cum intortitiis ubi ad presbyterii cancellos advenerit, ad sacrarium per breviorem viam recedit.

Clerus in media navi, ad januam aliquantulum versus, exspectabit quousque ritus ad januam finem habeant.

Capitulum ecclesiae cathedralis, praelati et magistratus se sistunt in corona ante januam cum legato in medio subter umbraculo; crucifer cum ceroferariis se sistit in media janua, facie ad legatum, et in medio ante januam stabit praeses cum suis assistentibus.

Aspersio legati et cleri 3 — Legatus dimittit galerum pontificalem et caputium cappae, quod caeremoniarius a tergo firmabit, et accipit pileolum, et, si manus habeat chirothecis coopertas, eas nudabit. D 3873, I.

Assistens 2us. mitram praesidi aufert et assistens 1us. ei dat aspersorium (sine osculis); praeses, ad legatum accedens, ei tradit aspersorium cum osculo eiusdem et manus legati. CE I, 15, n. 4.

Legatus seipsum aspergit, deinde aspersorium tangendum praesidi et episcopis praesentibus (dummodo sint pauci), offert, postea ceteros aspergit. Accedit praeses, et, accepto aspersorio cum solitis osculis, recedit.

Incensatio legati 4 — Ad legatum accedit 1ma. dignitas capituli cum thuris navicula et sacerdos thuriferarius, qui flexis genibus thuribulum ei praesentat.

Dignitas capituli dicit *Benedicite, eminentissime ac reverendissime Pater,* et legatus dicens *Ab illo bene+dicaris in cujus honore cremaberis,* incensum de more thuribulo imponit.

Dignitas capituli cum thuriferario recedunt aliquantulum, et legatus caput cooperit bireto, dum 1mus. assistens mitram capiti praesidis imponit; ceteri praelati praesentes cum bireto in manu permanebunt.

Dignitas capituli cum thuriferario a dextris, facta prius profunda capitis inclinatione et genuflexione a thuriferario, legatum ter thure adolet, et, iterata reverentia dum legatus illo benedicit, dignitas thuribulum sacerdoti reddit et ad locum suum se sistit cum canonicis.

❯ Si non aderit capitulum, rector cathedralis vel praelatus ab episcopo nominatus, vices agit 1mae. dignitatis capituli et legatum incensat.

Processio iterum ordinabitur ordine quo prius; thuriferarius ac minister aquae lustralis ad sacrarium recedunt, officiis suis expletis, et sacristae tapetum amovent.

186 ART. III — IN ECCLESIA CATHEDRALI

Introitus in ecclesiam

1 — Processio cleri et legati iter denuo arripiet *directe* ad altare maius. Vide notam 144.

Ad cancellos presbyterii crux cleri cum intortitiis ad sacrarium per breviorem viam recedit, et omnes de clero ad loca sua in choro se sistunt.

Ambulantes per ecclesiam legatus et praeses erunt capite cooperti, sed praelati seu episcopi praesentes biretum in manibus gestabunt.

Cum legatus erit ecclesiam ingressus, schola cantabit responsorium *Ecce sacerdos magnus,* etiamsi cardinalis sacerdotali tantum sit charactere ornatus.

Ad introitum presbyterii legatus e baldachino exit, et viri qui hastas portaverunt illud reponunt et recedunt.

Praeses cum suis assistentibus, deposita mitra et facta cruci altaris debita reverentia, ascendit ad suppedaneum, ubi, altare osculatus, ad latus epistolae pergit et se sistit ad legile, aliquantulum ad legatum versus; assistentes stabunt bini a tergo praesidis.

Legatus biretum tradit caeremoniario, et, facta cruci altaris reverentia, procumbit ante faldistorium et caudatarius caudam cappae extendit. Familiares legati et qui eum sunt comitati recedunt prope thronum et omnes aliquantulum flexis genibus orabunt, excepto praeside cum suis assistentibus.

Oratio ad receptionem claudendam

2 — Ad nutum 2di. caeremoniarii, praeses cantabit versum *Protector noster* cum illis qui sequuntur, et deinde orationem *Omnipotens... qui facis mirabilia* etc. ut in PR, in tono feriali cum conclusione brevi.

Oratione finita, assurgit legatus et cum eo omnes, et, facta cruci reverentia, biretum accipit ac ad thronum ascendit, clerum benedicens, qui omnes se inclinant vel genuflectunt juxta gradum suum cum transit legatus.

Discessus praesidis

3 — Cum cardinalis ad thronum accedit, praeses mitra induetur a 1.º assistente et in planum descendit, ac facta cruci profunda reverentia cum suis assistentibus, ad sacrarium recedit, ibique depositis sacris vestibus et assumptis choralibus, accedit ad locum suum in choro, assistentes ad sua.

❯ Praeses recedens, si transeat ante legatum, eum capitis inclinatione infulatus reverebitur, cui respondebit legatus sedens caput aliquantulum denudans. CE II, 8, n. 29.

Lectio apostolicarum litterarum

4 — Sedent omnes et caput cooperiunt. Interim unus e praelatis qui legatum concomitantur, in loco ubi magis conveniat, legit latine, deinde in vernaculo, apostolicas litteras quibus S.R.E. Cardinalis in legatum fuit renuntiatus. Dum fit latina lectio stabunt omnes, sedet tamen legatus aperto capite; ad lectionem in vernaculo sedebunt omnes et legatus caput bireto cooperit.

Congratulatio praesidis

5 — Metropolita sive loci ordinarius, stans in plano ante thronum, legatum verbis quibus maluerit, breviter salutabit, et accedens annulum ejus osculabitur, cui legatus prout voluerit respondebit.

Obedientia

6 — Episcopi seu praelati praesentes a caeremoniario ad thronum invitabuntur ad annulum legati deosculandum. Quoad ordinem accedendi vide n. *176,* 2.

Interim schola cantabit introitum missae *Sacerdotes tui* vel *Veritas mea* ejusdem missae, quae receptioni legati optime conveniunt.

› Dum fit obedientia, caeremoniarius 2us. legile cum missali, ad orationem patroni aperto, locat a latere epistolae ut pro initio missae, et a sinistris legilis ponit candelam accensam.

Patroni commemoratio

7 — Obedientia finita, schola cantabit antiphonam de patrono loci cum suo versu, et legatus, ipse solus, de throno descendit, sequente caudatario caudam cappae ferente, et, facta cruci reverentia, ad altare, quod in medio deosculatur, ascendit, deinde ad legile in cornu epistolae canit orationem de patrono loci, ordine tradito in titulo praecedenti, n. *176*, 5.

Benedictio pontificalis

8 — Legatus in medio altari se sistit et crucifer genua flectit in infimo gradu.

Legatus, capite nudato, solemniter in cantu impertietur benedictionem pontificalem nomine Summi Pontificis, cujus personam gerit, dicens *Sit nomen Domini benedictum* et alia uti moris est. Vide notam 183 tomi I.

Indulgentiae

9 — Legatus, si voluerit, indulgentias faciet publicare ab uno e suis praelatis.

Discessus

10 — Legatus in planum descendit, ad faldistorium breviter orat, deinde, assurgens et facta cruci debita reverentia, recedit, ordine tradito pro accessu, n. *184*, 3.

Praelatus loci et alii praesentes legatum sequuntur, familiares et nobilis familia pracedunt, et ad suum concomitantur palatium.

187 › SI ADERUNT ALII CARDINALES S.R.E. praesentes exspectabunt adventum legati in sedibus suis in presbyterio, et cum intrat descendunt in planum; quando legatus ad thronum suum ascendit, et ipsi ad suos ibunt, ibique permanebunt usque ad receptionis finem.

188 › SI DUO VEL PLURES RECIPERENTUR LEGATI, per modum unius recipiuntur, et, loco antiphonae *Sacerdos et Pontifex*, cantatur *Vos estis cives sanctorum.* PR.

B — RECEPTIO EPISCOPI

189 › Cum episcopus loci ordinarius erit principaliores suae dioecesis civitates primum ingressurus, canonicam visitationem facturus, vel obsequii tantum causa, expedit praelatum processionali modo recipere prout infra habetur.

CAPUT I

CLERUS INSERVIENS ET RES PARANDAE

RECEPTIONI INSERVIUNT iidem ministri ac pro receptione pontificali, n. *170*.

EPISCOPO INSERVIUNT :

Caudatarius.
Crucifer, si praelatus sit metropolita.
Nobilis familia.
Familiares.

REGULAE SERVANDAE traduntur ubi de receptione pontificali, n. *170*.

190 › Seligatur locus pro receptionis initio sicut de processionali receptione dictum est, n. *171*.

PARENTUR omnia sicut pro legato habetur, n. *182*, sed praeses sacras induit vestes in sacrario ecclesiae ubi processio initium sumit.

PRO PRAESIDE :

Amictus, pluviale nobile; mitra pretiosa si praeses sit ex ordine episcopali, serica alba si sit protonotarius, secus biretum.

CAPUT II

191

RITUS SERVANDUS

› Servabitur ritus in hoc titulo expositus pro receptione legati, cum sequentibus tamen modificationibus.

1 — ACCESSUS EPISCOPI fit ut in n. *173*, tituli 1mi., sed episcopus, postquam imaginem Christi crucifixi osculatus est, assurgit, et ut

prius caput cooperit caputio cappae et galero pontificali, adjuvante caeremoniario suo.

2 — PROCESSIO AD ECCLESIAM ordinabitur prout de receptione pontificali dictum est, n. *174*, 2, sed episcopus, cappa et galero pontificali indutus, ibit ipse solus subter baldachino, et sequitur caudatarius caudam cappae ferens.

3 — AD JANUAM ECCLESIAE fit ut in n. *174*, 3, 4, 5, sed episcopus caput nudabit pro aspersione et benedictione incensi, et bireto cooperit priusquam a praeside thuris honore adoleatur.

4 — IN ECCLESIA proceditur ut in hoc titulo n. *186*, 1, sed praeses ipse solus ad altare ascendit et se sistit ad legile, aliquantulum ad episcopum versus.

5 — ORATIO AD RECEPTIONEM CLAUDENDAM dicitur ut ibidem, n. *186*, 2, sed oratio erit *Deus humilium visitator* ut in PR.

Cum episcopus ad thronum accedit, praeses, facta in suppedaneo parva capitis reverentia, in planum descendit, ubi facta genuflexione Sacramento si aderit, vel profunda inclinatione cruci, acceptoque bireto, ad sacrarium recedit, reverentiam episcopo conficiens si transit ante eum; pluviali deposito, ad locum suum in choro accedit.

6 — OBEDIENTIA fit ordine tradito pro legato, n. *186*, 6, vel, jubente episcopo, omittatur.

7 — PATRONI COMMEMORATIO fit ut pro legato habetur, n. *186*, 7; quod si obedientia omittatur, episcopus, cum post orationem recedit praeses, ad altare ascendit, et statim cantatur antiphona de titulari. Cetera fiunt ut ibidem (158).

8 — BENEDICTIO PONTIFICALIS dabitur solemniter cum cantu ab episcopo, capite bireto cooperto, deinde consuetas impertietur indulgentias, quas 1mus. suus capellanus seu rector ecclesiae publicabit.

9 — EPISCOPUS DISCEDIT ordine consueto, sonantibus organis.

192 RECEPTIO METROPOLITAE fit ordine superius tradito sub littera *B* nn. *189-191* cum modificationibus datis in pontificali receptione metropolitae, n. *177*, sed observa:

Metropolita procedit cum cappa et galero pontificali, proinde crucifer ejus superpelliceum non induit, et in fine, capite bireto nudato, benedictionem impertietur.

› Si in civitate receptionis pauci sint clerici, sufficit adhibere crucem metropolitae, ante quam procedit clerus sine cruce.

193 PRO LEGATO NON CARDINALITIA sed pontificali tantum dignitate insignito adhibendus erit ritus sub littera B expositus, nn. *189-191*.

194 PRO EPISCOPO ELECTO civitatem suam solemniter ingressuro, ut consecrationem ibi recipiat, servabitur ordo superius traditus, sub littera *B*, nn. *189-191*, sed, dicta oratione *Deus omnium fidelium*, recedit praeses, et praelatus ad altare accedit pro commemoratione Patroni. Deinde, benedictione omissa, recedit.

› Praelatus nondum consecratus, licet sit in ecclesia sua, ad thronum accedat tantum post inthronizationem, quae in fine consecrationis habebitur. Vide tomum I, n. *289*.

› Si electus sit metropolita et pallium Romae jam recepit, sed consecrandus est in ecclesia sua, servabitur ordo superius traditus cum mutationibus pro metropolita, n. *192*. Metropolita adhibebit crucem in receptione, et, ea finita, laudabiliter fiet sacri pallii veneratio, praelato in faldistorio a latere epistolae sedente, ut in tomo I, n. 320.

195 PRO ABBATE VEL PRAELATO NULLIUS privilegio cappae pontificalis ornato, cum primum ad sedem suae ecclesiae accedit, ritus sub littera *B*, nn. *189-191* expositus servabitur, si sit processionali modo recipiendus; quod si cappa pontificali uti nequeat, eodem modo recipietur sine tamen baldachino; a benedictione pontificali impertienda tamen abstinebit. CJC 323 § 2; 294 § 2.

C — RECEPTIO SEMI-PROCESSIONALIS

196 › Receptio semi-processionalis ea vocatur in qua, omissa per vias processione, janua ecclesiae supponitur porta esse civitatis, ibique receptio incipitur (159). Ritus hujusmodi servabitur praesertim cum episcopus, canonicae visitationis causa, ad ecclesias principaliores suae dioecesis primum accedit (160).

CAPUT I

197 CLERUS INSERVIENS ET RES PARANDAE

CLERUS INSERVIENS idem erit ac pro receptione processionali, n. *189,* 1, 2.

PRAEPARANDA

COLOR : albus.

IN SACRARIO :

PRO PRAESIDE :

Amictus ; pluviale ; biretum, vel mitra si ejus gaudeat usu.
Crux hastata.
Acolythorum candelabra.
Thuribulum cum navicula thuris.
Vas aquae lustralis cum hyssopo.
Imago Christi crucifixi super lance velo cooperta.

PROPE JANUAM MAIOREM :

Baldachinum portatile.
Tapetum nobile, suo tempore extendendum, cum pulvinari viridis coloris.

CAPUT II

198 RITUS SERVANDUS

1 — Clerus ad januam maiorem procedit, praecedente crucifero cum acolythis ; post clerum ibunt ministri duo de thuribulo et de aqua lustrali et sequetur alter cum imagine Christi in lance, ultimo loco ibit praeses ipse solus.

2 — Crucifer cum acolythis se sistunt ad dexteram partem tapeti (episcopi accedentis) ; praeses stabit in ipso aditu, facie ad extra, cum ministro cum cruce in lance a dextris ; clerici stabunt bini in navi principali, ad januam aliquantulum versi, vel si sint pauci prope januam.

3 — Episcopus, cappa pontificali cum galero usuali vestitus, ad januam principalem se confert, et, caudatario caudam sustinente, accedit ad pulvinar, ubi, galero deposito, genua flectit, et, amoto pileolo, imaginem Christi crucifixi pie deosculatur ; pileolo reassumpto, assurgit, et pulvinar amovebitur.

4 — Praeses hyssopum tradit episcopo qui seipsum, praesidem et clerum more solito aspergit, et hyssopum reddit praesidi.

5 — Episcopus, praeside naviculam ministrante, incensum cum solita benedictione thuribulo imponit ; deinde caput bireto cooperit et a praeside triplici ductu incenso honorabitur, ritu tradito pro receptione pontificali, n. *174,* 5.

6 — Ordinabitur processio ad altare maius, ordine tradito pro receptione processionali, n. *174,* 2, sed episcopus, cum bireto in capite, procedit ipse solus sub baldachino (161) ; interim schola cantabit responsorium *Ecce sacerdos magnus.*

7 — In presbyterio proceditur ordine tradito in receptione processionali, n. *191,* 4 ad finem (162).

199 › SI PRAELATUS SIT METROPOLITA, omnia fiunt prout superius dictum est, n. *192.*

200 › IN LOCIS ACATHOLICIS vel tempore persecutionum, quando pontificalis receptio novi episcopi fieri nequit, curabitur ut saltem receptio semi-processionalis habeatur, ordine hic tradito, sed cum oratione *Deus omnium fidelium.*

201 PROCESSIONALIS PRINCIPUM RECEPTIO.

PR versus finem tradit ritus pro receptione : 1) Imperatoris ; 2) Regis ; 3) Principis magnae potentiae ; 4) Imperatricis seu Reginae ; 5) Principissae magnae potentiae ; quique omnes eodem processionali modo recipi debent. Ritus idem est ac ille pro praelatis datus, dempta incensatione ad januam, et commemoratione patroni, quia laicus nequit ad altare ascendere. Tametsi laicis viris, etiam regia dignitate fulgentibus, baldachinum in ecclesiis concedere nullo modo liceat, baldachinum hastatum in processionali receptione etiam principi vel principissae magnae potentiae a PR conceditur. Tamen ex multis SRC decisionibus facile colligitur quam frequentissime solerent reges et principes baldachinum intra ecclesias super sedes suas, renitente legislatore, exigere. DD 494 ; 658 ; 680 ; 694 ; 1047 ; 1172 ; 1734 ; 1792 ; 1831.

Hodie processionalis receptio regum seu principum fieri non solet ; quod si alicubi fieri debeat, facile, e regulis pro praelatis expositis, colligi poterit ordo in iisdem servandus, ad tramitem PR.

NOTAE AD SECTIONEM V

(132) Processionalis receptio, licet ita sit et vocetur, non est tamen stricto sensu *processio* vocanda ; nam licet plurima habeat communia, plurima quoque habet diversa : in processionibus episcopus non utitur baldachino, clerus seu capitulum sacris induit vestes, celebrans procedit paratus medius inter sacros ministros, vel si sit loci ordinarius, inter diaconos assistentes cum dalmaticis ; exstant tamen elementa communia praesertim quoad ordinem procedendi ; receptio sequitur potius regulas processionis ad exsequias : vestes sacras non adhibentur, nec incensum, nec sacri ministri.

(133) Accessus episcopi ad ecclesiam ad functiones peragendas, licet aliquando fiat solemniter, non est *receptio* in jure liturgico et de eo agetur cum functionibus ordinariis.

(134) Aliquando, in locis ubi S.R.E. cardinales desiderantur, apostolici in loco nuntii constituuntur in legatum pro speciali aliqua functione peragenda.

(135) Sic quando aliquis S.R.E. cardinalis invitatur ad aliquam civitatem ut solemni cuidam praesit functioni, nulla fit receptio processionalis neque semiprocessionalis. Nuntiis vel internuntiis apostolicis, cum ad civilia gubernia mittuntur, nulla fieri solet liturgica receptio.

(136) Antiquitus electus pernoctabat in aliquo oppido prope civitatem, et liturgica receptio fiebat ad portam civitatis in ipso die ingressus. Hodie solet fieri receptio civilis ad stationem seu locum adventus episcopi, et serius eodem die, vel die sequenti, fit receptio liturgica. Communicationum facilitas usus liturgicos hac in re mutavit.

(137) Nullus exstat in Liturgia Romana ritus *installationis,* seu ut aiunt anglice *instalment,* novi episcopi ; non solet Sancta Sedes apostolico in loco nuntio vel metropolitae, multo minus uno e patribus cardinalibus, munus committere inthronizandi vel *installandi* novum episcopum. Episcopus, receptis apostolicis litteris, per se ipsum, vel per procuratorem, sedis suae capit possessionem ; proinde CE supponit nullum adesse praelatum amplioris gradus : metropolita, si agatur de suffraganeo, abest, et electus solus sedet in throno unico cathedralis. Usus contrarius in Statibus Confoederatis Americae Septentrionalis novitas est in jure liturgico, et rubricas omnes valde perturbat.

(138) Episcopus nequit sub umbraculo procedere in processionibus nisi ferens ipse SSmum. Sacramentum (D. 1655, 1), sive Sanctum Lignum seu Instrumenta

Passionis; neque cum ad ecclesiam celebraturus accedit; neque pro processionali introitu; neque in processionibus litaniarum; uno verbo, umbraculum super episcopum a CE excluditur in liturgicis functionibus, et receptionibus reservatur.

(139) Juxta CE (I, 14, 1) umbraculum seu baldachinum sit sex vel octo hastis sublevatum. Hastae octo apponi decet tantum umbraculo Summi Pontificis; hodie perpulchri conficiuntur umbraculi cum quatuor hastis. Decrevit SRC ut umbraculum ad usum episcopi non sit pretiosum seu inauratum (D 2289, 5) quod proprium est SSmi. Sacramenti, sed vix alicubi invenies umbracula duo: pretiosum pro Sacramento, simplex pro episcopo. Praeterea CE (I, 14, n. 1) supponit unum tantum pro episcopo et rebus sacris.

(140) Expedit ad usum galeri pontificalis more maiorum iterum venire, sicut jam fecit emus. Schuster Mediolani; nam galerus pontificalis unum est e principalioribus ordinis episcopalis insignibus, in solemnibus receptionibus super caputium cappae adhibendum.

(141) Ait CE *episcopus mitratus equitabit sub baldachino.* CE I, 2, n. 4. Hoc nobilissimum genus introitus, proh dolor, obsolevit. Hodie cum mitris fere dimidii metri altitudinis, quae difficile in capite pontificis firmari possunt, hujusmodi equitatio evadit impossibilis; sed quando Caeremoniale Episcoporum compositum fuit mitra romana altitudinis viginti quinque erat centimetrorum. Vide v.g. figuras in PR Pii IV, Venetiis 1561. Die 19 Aprilis anni 1915 Archiepiscopus Caruana O.S.B., Episcopus Melevitanus, solemniter in civitatem suam *Notabile,* sacris indutus vestibus, equitavit. Postremus forsan casus.

(142) Nullibi praecipitur ut episcopalis benedictio elargiatur duobus tantum digitis extensis sicut passim videtur. CE (I, 2, n. 4) aperte docet: *Episcopus memor erit populo manu dextera aperta et extensa... benedicere.* Quod quidem suo tempore fere iisdem verbis docebat Paris Crassus, *De Caeremoniis episcoporum,* Venetiis 1516, folia 43, caeremonialis episcoporum prototypus. Quo tamen non obstante, fatendum est usum benedicendi cum duobus tantum digitis extensis antiquum esse. Vide Leroquais, planche 50. Ratio tamen hujusmodi consuetudinis latet.

(143) Usus CE (II, 33, n. 20) deputandi virum nobilem ad posteriorem pluvialis oram episcopi sustinendam obsolevit.

(144) In praxi valde inconveniens est, et generatim vix possibilis evadit, processio totius cleri ad altare SSmi. Sacramenti. Praeterea, juxta PR, processio pergit directe ad altare maius, visitatione ad altare SSmi. Sacramenti omissa, et certe ritus melius sic evolvitur.

(145) *Respice in faciem Christi tui,* id est, uncti tui, legati seu praelati videlicet. Isaias (145, 1) dicit *Haec dicit Dominus Christo meo Cyro,* sed plurima exstant in sacris litteris exempla. Sequens rubrica PR non amplius necessaria est, cum hodie etiam diaconi cardinales sacerdotali ornentur charactere, proinde versus ille nunquam omittitur.

(146) Iter episcopi ad thronum vocari debet inthronizatio quando agitur de episcopo ab alia sede titulari vel residentiali ad novam translato. Cum vero agitur de episcopo modo consecrato, inthronizatio quae post consecrationem fit, ex intentione legislatoris, est inthronizatio in sede ad quam electus renunciatus fuit, licet fiat in faldistorio extra sedem electi, certe juris fictio. Re perspecta, CE in ritu accessus novi episcopi ad sedem suam ab usu verbi *inthronizatio* se abstinet, cum supponat eam statim post consecrationem fuisse factam. Westmonasterii, aliisque locis, haec inthronizatio fit modo solemni a seniore episcopo auxiliari, qui electum ad thronum suum ducit, et, postquam sedit, baculum ei tradit in manu.

(147) Osculum altaris pars est ritus accessus ad illud, non vero benedictionis; id patet ex comparatione plurimarum rubricarum huius 3ae. partis PR. Vide notam 183 tomi I.

(148) PR praecipit fieri commemorationem de *Sancto Patrono Ecclesiae;* CE vero dicit *Sancti Tituli Ecclesiae.* De quonam agitur? Verba PR se referunt ad patronum diœcesis, quae solet vocari ecclesia; CE, et nonnullii antiqui auctores, de titulo ecclesiae agunt cum de patrono loquuntur, ex eo quod fere semper patronus dioecesis erat etiam titularis ecclesiae cathedralis; proinde inter PR et CE nulla exstat differentia. Usus verbi *tituli* a CE explicat errorem MM et LVH. Cum vero agitur de receptione solemni in ceteris civitatibus dioecesis, visitationis causa, dicitur semper oratio titularis ecclesiae visitatae. Vide notam 158.

(149) PR h.l. circa finem dicit *Praelatus ecclesiae et alii, dimissis paramentis...* quia usus erat apud nonnullos ut capitulum sacris vestibus indutum praelatum seu legatum reciperet.

De Imperatoris ingressu in Urbem haec habet CR (tom. I, pg. 177) "...Clerus Urbis sacris vestibus ornatus cum crucibus, praesidente Vicario Urbis et aliis ecclesiarum praelatis infulatis, caesarem exspectant"; Papa ipse "pluviali et mitra pretiosis indutus" caesarem excipiebat. Ibidem pg. 179. Quae quidem lex frequenter servabatur pro receptione novi praesulis seu legati apostolici, optimo sane consilio. In processione solemni ad Lateranum praelati omnes et cardinales sacris vestibus induti procedebant. CR tom. I, pg. 124. Consentaneum erit principiis in processionibus servatis, si, saltem pro pontificali receptione novi episcopi, ita fieret; standum tamen CE, nisi alicubi legitima adsit contraria consuetudo.

(150) Docet MM crucem ecclesiae metropolitanae in capite cleri non esse adhibendam si crux metropolitae aderit. MM vol. 3, pg. 27; vol. 4, pg. 658. Error forsan cl. auctoris ortus est e tribus locis CE (I, 15, n. 8; II, 8, n. 27; 16, n. 15) in quibus 2.ª crux excluditur; agitur tamen de processionali introitu et de processione in festo purificationis. In magnis vero processionibus, uti in festo Corporis Christi, CE aperte docet crucem ecclesiae cathedralis clerum praecedere, postea venit crux archiepiscopalis, quam subdiaconus paratus fert. CE II, 33, n. 5.

Rubrica PR huius loci tamen obscuritate laborat, ait enim *processio cleri loci ordinata cum cruce,* quod certe non est crux legati seu metropolitae sed ecclesiae cathedralis; deinde ait *processio quae locum habere debet immediate ante crucem praelati,* id est, si praelatus suam habeat crucem, primo procedit processio cleri sub cruce propria, sed *si processioni intersint canonici ecclesiae cathedralis, illi soli possunt ire post crucem legati* seu metropolitae, ceteri procedunt sub cruce cleri.

Processio cleri totius civitatis sine cruce in capite haud intelligitur; id etiam docet De Herdt (vol. 2, pg. 141), et LVH pro festo Purificationis, et nescimus cur in aliis similibus locis aliter auctor agat. LVH vol. 2, pg, 16. Quod maxima sua auctoritate confirmatur a SRC D. 2684, 16. Confirmatur etiam usu Curiae Romanae: nam in introitu processionali Summi Pontificis crux ejus tantum exhibetur, et in capite capellae papalis seu cleri nulla habetur crux; est enim regula CE superius tradita. In processione Corporis Christi vero clerus Urbis procedit sub propria cruce seu crucibus propriis, sine praejudicio crucis papalis, quae solito more portatur a subdiacono apostolico sacris induto vestibus, sicut fecit Martinucci ipse in processione pro concilio Vaticano inchoando. CV col. 1109.

(151) Si pontificalis receptio fieri nequit pro episcopo electo et non consecrato, nec pro abbate nullius fieri potest, nisi abbas seu praelatus sit etiam ex ordine episcopali, est enim ritus episcopis reservatus. In Brasilia plura exstant praelaturae nullius quae, ex litteris creationis, praelato jus ad episcopalem consecrationem tribuunt.

(152) Cum S.R.E. cardinalis ad munus legati, a Summo Pontifice evehitur, eo ipso ratione maximae suae dignitatis evadit legatus a latere. Vide notam 51.

(153) Clara est rubrica PR: si *praelatus ejus loci*, id est, loci ordinarius, legatum recipiat, stolam induit subter pluviale; 1ma. dignitas capituli, etiamsi charactere episcopali ornata, a stola adhibenda abstinebit si officium recipiendi praelatum loci vel legati exerce debeat. Stola in casu estne jurisdictionis signum?

(154) Ait rubrica *si intrans est episcopus* loci ordinarius, *vel maior*, id est metropolita vel legatus, canitur antiphona *Sacerdos et Pontifex* vel responsorium *Ecce Sacerdos magnus*, quae cani debent in receptione presbyteri cardinalis, qui, tempore quo rubrica scripta fuit, non erant episcopi, sicut nec hodie necessario sunt. Antiphona et responsorium tamen, per quandam participationem, ad presbyteros cardinales ab Ecclesia extenduntur, cum Summi Pontificis vice fungantur. Agi de cardinali legato patet ex comparatione huius rubricae cum duobus subsequentibus *Si vero legatus* vel *Si duo vel plures legati*.

(155) PR h.l. docet privilegium esse canonicorum ecclesiae cathedralis sub cruce metropolitae vel legati procedere, quasi unum corpus cum eo constituentes; id etiam iterum iterumque docet CE quando agitur de episcopo et capitulo sacris vestibus parato. CE II; 8, n. 27; 16, n. 15; 32, n. 2; 33, n. 5. Lex CE certe extendenda est ad casus de episcopo parato dum canonici vestes chorales tantum habent, ut in processionibus pro ecclesia aedificanda vel consecranda; si vero episcopus cappa sit indutus praevalet ratio contraria et sequitur clerus; sed in receptione processionali valet ratio processionis, nam adest praeses seu celebrans paratus et canonici praecedant oportet.

(156) Lex est antiquissima a maioribus statuta "ut canonici semper et ubique suum episcopum ordinarium quomodocumque sacris vestibus paratum praecedant; sed illum non paratum semper et ubique sequantur; quam normam etiam cardinales cum summo Pontifice servant". Paris Crassus, *De Caeremoniis Episcoporum et Cardinalium*, Romae 1580, folium 21. Ita etiam docet post Paridem CE I, 15, nn. 2 et 8. In processione pro episcopi receptione, praecedunt canonici, nam sacris vestibus paratus procedit praelatus; in aliis receptionibus cum episcopus sit tantum cappa indutus, potius debent ipsum sequi; PR tamen aperte docet canonicos episcopum praecedere; nam licet episcopus non sit paratus, receptio est processionalis et ordo sequendus est processionalis, sicut in Parasceve assistente Papa fieri solebat, quando celebrans ipse Sacramentum portabat. Paris Crassus, ibidem. Exceptio in casu regulam confirmat.

(157) Cardinalis Landrieux, legatus a latere pro VIII Eucharistico Conventu Internationali, Hierosolymae habito anno 1893, solemniter Urbem ingressus est cum cappa et galero pontificali, equitans mulam ornatam pontificalibus ephippiis ad tramitem CE I, 2, n. 8. De tam solemni introitu quasi obsoleto, non egimus; optandum tamen ut, ubi fieri possit, iterum, exemplo maiorum, observetur. Ritus in casu servandus vix differt ab exposito et habetur in PR et in CE I, 2, n. 8. Vide notam 141.

(158) Juxta MM (tom. IV, pg. 363) in receptione tempore visitationis facienda antiphona de titulari cum sua oratione omittitur *quia* a PR non praecipitur. Ita etiam Desrochers, *Cérémonial de la visite pastorale, Québec*, 1938, pg. 34. Sed PR aperte docet receptionem praelati in visitatione fieri debere ordine tradito in capitulo de receptione praelati, *hoc solo dempto* quod oratio erit propria; atque in ordine receptionis praecipitur cantus antiphonae et orationis titularis. Ita etiam docet LVH tom. II, pg. 325, et *Ritus Servandus in apostolica visitatione Urbis*, nn. 3 et 4.

(159) Receptio quae hic semi-processionalis vocatur, tum a PR tum a CE ignoratur. Introducta tamen fuit hic et illic tamquam solemnis receptio visitatoris, et fieri praecipitur in apostolica Urbis visitatione. ASS vol. 39, pg. 436.

(160) Auctores, qui de ordine in visitatione servando agunt, supponunt semper fieri solemnem receptionem saltem semi-processionalem, baldachino hastato non excluso, etiamsi non agatur de 1ma. canonica visitatione. Sed, ut jam diximus, ad mentem CE (I, 2, n. 8) solemnis receptio fit quando episcopus civitates suas primum ingreditur. Semiprocessionalis receptio, adhibito etiam baldachino, Romae praescripta fuit pro 1ma. (et unica) visitatione apostolica sub pontificatu Pii X (1904 ss) et pro 1ma. (et unica) sub Pio XI (1932 ss). ASS vol. 38, pg. 183.

(161) Si episcopus non sit cappa pontificali ornatus nequit ire sub baldachino, sicut non potest in throno sedere; regula eadem est, sive agatur de umbraculo processionali, sive de umbraculo fixo super throno. Doctrina contraria LVH (tom. II, pg. 324) regulis juris opponitur.

(162) Benedictio pontificalis responsio est episcopi solemni suae receptioni, et a PR ponitur ad receptionis ritum claudendum; proinde *fieri debet* in cantu cum ritus receptionis totus fit in cantu. Si quandoquidem solemnis receptio omittatur, ut frequenter fit in canonica visitatione, et benedictio pontificalis pariter omittetur. Vide notam 147.

APPENDIX PRIMA

DE SACRAMENTIS ET BENEDICTIONIBUS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

PRAENOTANDA

202 1 — Ritus pontificales in Pontificali exponuntur, in Rituali, quod *Sacerdotale* frequenter nuncupabatur, traduntur ritus sacerdotales. Cum tamen sat frequenter episcopi soleant ritus sacerdotales modo pontificali exercere, nonnulli ex ipsis in appendice PR exponuntur. Ad episcoporum utilitatem hic exponuntur ritus RR qui ritu pontificali fieri possunt. Methodus eadem erit, sed pars juridica omittitur cum exponi debeat cum explanatione RR.

2 — Ritus exponuntur juxta ordinem RR, videlicet 1.° agitur de sacramentis, 2do. de benedictionibus. De exsequiis et de processionibus ritu pontificali quaestio erit cum functionibus pontificalibus ordinariis.

3 — Ritus hujusmodi servari debent a quolibet episcopo vel S.R.E. cardinali, a praelato vel abbate nullius intra suum territorium, vel ab abbate benedicto *in ecclesia sua,* quando sacramenta vel benedictiones RR solemniter administraturi erunt. Cft. tomum I, nn. 40, 41; protonotarii consulant n. 42.

4 — Fas non est episcopo sacramenta sive sacramentalia *solemniter* ritu sacerdotali ministrare, sed procedere debet ritu pontificali uti inferius traditur.

5 — Quod si episcopus velit hujusmodi ritus *privatim* ministrare, utpote parvulorum baptisma, vel si sit sub conditione administrandum, agat more sacerdotali, videlicet super habitum quotidianum induat superpelliceum et stolam. Vide tomum I, n. 35.

6 — Extra proprium territorium sacramenta vel benedictiones, quae usum mitrae requirunt, administrare, usus est pontificalium, proinde prohibetur sine permissu, saltem rationabiliter praesumpto, loci ordinarii. CJC 337 § 1, 2.

7 — Episcopus extraneus vel titularis sacramenta vel sacramentalia parochis reservata administrare nequit nisi de eorum permissu.

SECTIO VI

DE SACRAMENTIS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

SECTIO VI

DE SACRAMENTIS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

TITULUS I

ORDO PONTIFICALIS PRO PARVULORUM BAPTISMO

uni vel pluribus conferendo (163)

CAPUT I

CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

203 ADERUNT:

Praelatus administrans.
Capellani assistentes duo.
Caeremoniarum magister.
Ministri insignium quatuor, pro mitra, baculo, libro et scotula; vel tres tantum si baculus non adhibeatur.
Clerici duo ad abacum.
Crucifer, si celebrans sit metropolita.

204 1 EPISCOPUS.

MITRA ET CORPORIS POSITIO. Episcopus sedens et infulatus baptizat, tamen:

Stabit, retenta mitra:

1) Pro exorcismis.
2) Cum pueros in ecclesiam introducit.
3) Pro sensuum consignatione, seu Ephpheta.

Stabit, mitra deposita:

1) Pro collectis et 2da. parte benedictionis salis.
2) Pro manus impositionibus.
3) Cum dicit *Credo* et *Pater.*

MANUUM POSITIO. Episcopus collectas et exorcismos recitabit manibus ante pectus junctis.

TENOR VOCIS. Episcopus clara voce sine cantu recitat formulas et orationes omnes baptismi; quod si plures sint pueri baptizandi, formulae in singulari recitabit voce aliquantulum submissiore, et collectas et exorcismos elata voce.

NOMINA. Si electi plurima nomina habeant, episcopus in 1ma. interrogatione et in Baptismo ipso nomina omnia profert, ceteris locis dicat tantum nomen primum seu principale.

BACULUS. Episcopus baculum adhibebit in principio et in fine functionis, vel cum huc illuc se transfert; tempore baptismi vero ab usu baculi a rubricis dispensatur, commoditatis gratia (164).

Episcopus extraneus vel titularis ab usu baculi abstinebit, nisi intercedat licentia loci ordinarii.

RITUUM EXPLANATIO. Si episcopus velit sacros ritus fidelibus explanare, id faciat priusquam inquirat *N. quid petis ad Ecclesia Dei?* nam fas non est rituum ordinem interrumpere ad eos explanandos. D 3670, 1.

2 — ASSISTENTES. Si baptismus administretur a loci ordinario in ecclesia sua, assistentes canonici sunto. D 2371, 9. Quod si sint canonici in sua dioecesi vel praelati induunt superpelliceum. Assistens 1mus. mitram episcopo imponit et aufert; proinde minister de mitra stabit semper prope dexteram ejus ad mitram dandam vel recipiendam. Si non aderit caeremoniarum magister, assistens 1mus. vices ejus agat. Cum episcopus stat vel ambulat assistentes oras pluvialis ejus sustinebunt.

3 — PATRINI. Si, dum fiunt probationes, puer a nutrice portetur, patrinus consistit a dextris ejus, matrina a sinistris; quare si alter seu altera tantum aderit a dextris se sistat; pro ritibus baptismi intra baptisterium recedit nutrix et puer a matrina portatur in brachio dextero, et dum baptizatur infans patrinus dextera sua infantem physice tangat. CJC 765, 5.°.

Quando infans coram pontifice in faldistorio sedente portatur (pro 1ma. consignatione, pro salis traditione, pro unctionibus et post baptismum ritibus), qui illum portat se sistit flexis genibus ut episcopus possit commode ritus super infantem exsequi, nisi talis positio episcopo non videatur necessaria; reliquo tempore stabit.

Patrini nudis manibus officium suum exsequantur.

Quoties episcopus verbum ad pueros dirigit respondent patrini, secus assistentes, vel si patrini respondere nequeunt, respondent assistentes.

Si episcopus sit patrinus, procuratorem nominabit, qui tempore baptismi ejus gerat vices, prout de confirmatione dictum est. D. 3305, III.

4 — PULSATOR ORGANI, si aderit, tempore baptismi collationis ab eo pulsando abstinebit; sed pulsabit organum ad introitum episcopi usque ad initium inquisitionis, et in finem cum recedit praelatus.

CAPUT II

205 DE PRAEPARANDIS

COLOR: { Pro probationibus: violaceus.
Pro baptismo: albus.

❯ Episcopus sacras induit vestes in secretario vel alibi ad ejus libitum. PR (165).

I — IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI.

AD ALTARE, vel, si non aderit, super mensa alba tobalea cooperta parentur:

Amictus; alba cum cingulo; stola cum pluviali violacei coloris; formale simplex in lance si celebrans sit loci ordinarius; quae omnia velo violaceo cooperiuntur. Mitra auriphrygiata; baculus pastoralis parieti appositus, si celebrans eo uti possit.

IN INFIMO ALTARIS GRADU :

Pulvinar.

SUPER ABACO, alba tobalea cooperto :

Lanx pro cruce pectorali.
Ritus Baptismi in forma maiori seu Appendix ad PR.
Scotula cum candela.
Vela duo pro mitra et baculo, vel unum si baculus non inservit.
Urceus cum aqua et pelvi.
Manutergium in lance.
Chartula cum baptizandorum nominibus latine scriptis.
Tabellae responsionum, tot quot erunt susceptores.

SEDES CAMERALIS ubi sedet episcopus cum vestes sacras induit vel deponit; vel, si episcopus vestes induat in presbyterio, parabitur in medio plano faldistorium veste violacea coopertum, cum pulvinari, et, versus finem baptismi, sacrista colorem violaceum in album mutabit.

II — IN SACRARIO :

Superpellicea pro inservientibus.
Vas aquae lustralis cum aspersorio.

III — AD FORES ECCLESIAE seu ad januam maiorem :

Tapetum.
Faldistorium cum veste violacea et subtus vestis alba.

IV — AD INTROITUM BAPTISTERII :

Parva mensa alba tobalea cooperta super qua pluviale pretiosum albi coloris cum stola.
Oleum puerorum in lance cum bombacio soluto.
Sal benedicendus in lance cum purificatorio.

V — IN BAPTISTERIO super abaco, alba tobalea cooperto :

Oleum sanctum chrisma.
Urceus cum aqua et pelvi.
Manutergium in lance.
Gremiale linteum.
Citreum seu medulla panis in lance.

Gossipium solutum.
Cochleare baptismale.

PRO UNOQUOQUE BAPTIZANDO :

Manutergium pro abstergendo capite.
Alba vestis seu tobalea parva.
Candela.

206 › Curandum est ut in fonte adsit aqua munda et benedicta.

› In plano baptisterii prope fontem, usque ad locum ubi extra cancellos episcopus sedere debebit, si loci dispositio id permittat, sternetur tapetum.

› Si episcopus sedens baptizat, aderit vas cum aqua baptismali e fonte desumpta, et pelvis in quam defluat aqua cum baptizat praelatus.

› Quod si in ecclesia seu oratorio non aderit baptisterium, prope januam maiorem praeparabitur locus ad hoc, baptisterii ad instar.

› Si ad normam canonis 776 baptismus solemnis erit ab episcopo extra ecclesiam seu oratorium administrandum, omnia disponentur, prout melius fieri poterit, quasi in ecclesia administrandum esset.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

207 › Praesumitur episcopus unum vel ad maximum tres vel quatuor pueros simul baptizare; quod si plures sint baptizandi, catechizatio seu probationes fiunt a parocho cum suis vacariis, et ab episcopo baptismus tantum, prout in capite III tituli III habetur, n. *238*.

ART. I — PRAEPARATIO

Adventus episcopi 1 — Episcopus de more recipietur ad januam principalem ecclesiae, vel ubi recipi solet, ab assistentibus et inservientibus, et, facta aspersione, procedit ad locum vestitioni destinatum, ubi, brevi facta oratione, sedet ad sedem sibi paratam.

1.ª manuum lotio 2 — Episcopus, cruce et mozeta sive manteleto deposito et accepto bireto, manus lavat, ministrantibus clericis de abaco, et 1mo. assistente mantile praesentante.

Vestitio episcopi 3 — Episcopus sacris induitur vestibus a 1.° assistente, adjuvante 2do.; deinde a 1.° accipit mitram et ei traditur baculus. Vide notam 169.

Iter episcopi ad fores 4 — Ministri de libro et candela insignia sua assumunt, et caeremoniarius portat tabellas.

Assurgit episcopus, et, facta cruci debita reverentia, procedunt omnes ad fores ecclesiae.

Praeibunt clerici qui functioni forte assistere velint, deinde ibunt clerici duo ministrantes; sequitur episcopus, medius inter suos assistentes oras pluvialis sustentantes; ministri insignium et familiares sequuntur.

❯ Si celebrans sit metropolita, crucifer, superpelliceo indutus, ibit immediate ante eum (166).

Susceptores, cum nutricibus pueros portantibus, exspectabunt episcopum in portico ecclesiae extra januam, et si sint plures, masculi se sistunt a dextris intrantis, feminae a sinistris. Vide notam 171.

Locatio ad fores 5 — Episcopus, cum ad januam ecclesiae pervenerit, sedet ad faldistorium et baculum tradit ministro; assistentes se sistunt a lateribus ejus; minister de mitra se sistit versus dexteram 1mi. assistentis et minister de baculo versus sinistram 2di. assistentis; ministri de libro et scotula stabunt ad sinistram pontificis et clerici de abaco a dextris ministri de mitra; crucifer metropolitae se sistit versus sinistram episcopi. Caeremoniarius patrinis tradit tabellam cum responsionibus. Diagramma VII.

Inquisitio et exhortatio initialis 6 — Caeremoniarius vocat 1mum. infantem, nomen ejus clara voce proferens, qui ante pontificem portatur in brachio dextro a matrina sive nutrice stante.

Caeremoniarius dicit episcopo nomen seu nomina infantis, et praelatus inquirit *N. quid petis ab Ecclesia Dei?*

Respondet patrinus *Fidem.*

Dicit episcopus *Fides quid tibi praestat?*

Respondet patrinus *Vitam aeternam.*

Pontifex legit exhortationem *Si igitur vis.*

208 ART. II — PRIMA PROBATIO SEU REMOTA (AD FORES)

Exorcismus 1 — Episcopus, mitra non deposita, assurgit, ter exsufflat leniter in faciem infantis, deinde dicit semel *Exi ab eo (ea)* et iterum sedet.

Consignatio 2 — Episcopus pollice facit signum crucis in fronte et in pectore infantis dicens *Accipe signum Crucis.*

❯ Si plures sint baptizandi recedit 1mus. infans, vocatur 2us., qui eodem modo accedit, et episcopus eosdem repetit ritus ab initio *N. quid petis,* et pro omnibus fit similiter.

Cum omnes fuerunt consignati, 1mus. capellanus mitram ab episcopo aufert et ministro tradit; assurgit praelatus, et recitat collectam consignatoriam *Preces nostras.*

Manus impositio 3 — Episcopus manum dexteram apertam super caput singulorum infantium imponit, ad illos aliquantulum accedens si necesse sit, vel super infantem si unus adsit, deinde, dexteram extensam tenens, sinistra pectori apposita, dicit collectam *Omnipotens... respicere dignare* ad 1mam. probationem complendam, et, ea finita, jungit manus, et infantes recedunt aliquantulum (167).

209 ART. III — ELECTIO (AD FORES)

Salis benedictio 1 — 2us. clericus cum sale in lance se sistit flexis genibus coram episcopo qui, acceptis mitra, et baculo, salem benedicit (168) dicens *Exorcizo te* usque ad *effugandum inimicum;* deinde, baculo et mitra depositis, prosequitur orationem *Proinde rogamus te;* oratione finita sedet et accipit mitram; clericus cum sale assurgit et se sistit versus dexteram pontificis.

❯ Si episcopus non sit loci ordinarius, clericus stans salem praesentat.

Salis traditio 2 — 1mus. infans portatur ante pontificem qui, accipiens modicum salis benedicti, immittit in os infantis dicens *Accipe sal sapientiae* etc. Patrinus respondet *Amen.* Episcopus dicit *Pax tecum,* et patrinus respondet *Et cum spiritu tuo.*

Recedit infans, portatur alius, et pro singulis fit similiter, et recedunt infantes aliquantulum.

Episcopus deinde digitos abstergit purificatorio a 1.° assistente porrecto, et clericus de abaco lancem cum sale in baptisterio reponit.

Oratio ad complendum 3 — Episcopus, deposita mitra, assurgit et recitat collectam *Deus patrum nostrorum* ad electionis ritum complendum, et, ea finita, sedet et iterum induitur mitra.

210 ART. IV — SECUNDA PROBATIO SEU PROXIMA (AD FORES)

Exorcismus 1 — Episcopus assurgit et dicit exorcismum *Exorcizo te, immunde spiritus,* et statim adjungit 2am. partem *Ergo, maledicte diabole.*

Consignatio 2 — 1mus. infans coram pontifice portatur, qui adhuc stans, signat infantem in fronte dicens *Et hoc signum sanctae cru+cis* etc. et patrinus respondet *Amen.* Si sint plures alii accedunt, vel episcopus aliquantulum ad illos accedit, et singulos eodem modo consignat.

Manus impositio 3 — Episcopus, mitra prius deposita, manum dexteram super caput singulorum infantium imponit, prout fecit prius, deinde, dexteram extensam tenens, sinistra pectori apposita, dicit collectam *Aeternam ac justissimam* ad 2am. probationem complendam; sedet et accipit mitram.

❯ 2da. probatione incepta, sacrista, jubente caeremoniario, faldistorium ad cancellos baptisterii transfert et illud super tapetum ibidem positum locat, ita ut episcopus sedens tergum baptisterio vertat.

211 ART. V — INTRODUCTIO IN ECCLESIAM

Introitus in ecclesiam 1 — Accedit 1mus. infans ad episcopum, qui assurgit et extremitatem sinistram stolae super caput ejus ponit dicens *N. Ingredere in templum Dei,* quod si sint plures, stola super 1mum. tantum posita, dicet in plurali *NN. Ingredimini,* et patrini respondent *Amen.* Omnes ad nutum caeremoniarii ecclesiam ingrediuntur, et ad cancellos baptisterii procedunt, ordine

quo ad fores iter arripuerunt. Infantes, alius post alium, cum suis susceptoribus, ibunt a sinistris episcopi.

Doctrinae traditio 2 — Episcopus ecclesiam ingressus mitram deponit et dicit cum susceptoribus clara voce *Credo* et *Pater,* vel, si recitatio ab ipsis latine fieri nequet, episcopus dicat latine voce submissa, dum susceptores easdem formulas vulgari sermone recitant elata voce. D. 3535, 10. Dicto *Pater noster,* episcopus mitram accipit, vel, si baptisterium ibidem sit, prius sedet, deinde accipit mitram, non amplius deponendam.

212 ART. VI — TERTIA PROBATIO SEU IMMEDIATA (AD CANCELLOS)

Ad cancellos 1 — Ad cancellos baptisterii episcopus se sistit ad faldistorium et sedet paulisper. Assistentes et inservientes ad faldistorium consistunt non secus ac de fore ecclesiae dictum est.

Exorcismus 2 — Episcopus assurgit et recitat super infantes exorcismum *Exorcizo te, omnis spiritus immunde.*

Sensuum consignatio 3 — Episcopus adhuc stans, digito accipit de saliva oris sui, et tangit aures (dexteram deinde sinistram) 1mi. infantis, qui coram eo portatur, dicens *Ephpheta, quod est adaperire.*

Deinde tangit nares dicens *In odorem suavitatis,* et dicit exorcismum *Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.* Et si plures sint, ceteri se praesentant, vel episcopus ad eos aliquantulum accedit et super singulos ritum repetit; demum sedet, et digitos abluit purificatorio a 1.° assistente porrecto.

❯ *Quotiescumque rationabilis adest causa munditiae, aut periculum morbi contrahendi vel propagandi,* fit sensuum consignatio, salivae applicatione omissa. SRC die 14 Jan. 1944. AAS 1944, pg. 26.

Triplex abjuratio 4 — 1mus. clericus cum oleo puerorum se sistit a dextris episcopi et 1mus. infans coram eo a nutrice seu susceptore portatur.

Episcopus baptizandum nominatim interrogat dicens *N. Abrenuntias satanae?* Patrinus respondet *Abrenuntio.*

Dicit pontifex *Et omnibus operibus ejus?* Respondet patrinus secundo *Abrenuntio.* Dicit pontifex *Et omnibus pompis ejus?* Respondet patrinus tertio *Abrenuntio.*

Obsignatio cum oleo

5 — Pontifex intingit pollicem in oleo puerorum et infantem inungit in pectore in modum crucis, deinde eodem modo inter scapulas dicens semel *Ego te linio* etc., et assistens 1mus. inuncta loca bombacio abstergit, et cum unctione hac finis imponitur 3ae. probationi.

❯ Si plures sint pueri baptizandi, unctione peracta, recedit 1mus. infans, portatur 2us. et episcopus repetit triplicem interrogationem et eum inungit, qui recedit; accedit alter et pro singulis fit similiter.

Unctionibus finitis, episcopus, bombaceo a 1mo. assistente porrecto, digitos tergit, et infantes cum susceptoribus aliquantulum recedunt.

213 ART. VII — RITUS BAPTISMI (IN BAPTISTERIO)

Coloris mutatio

1 — Clerici duo de abaco lances super mensam deponunt, pluviale cum stola albi coloris e mensa sumunt et se sistunt coram episcopo, qui, ministrante assistente 1.° et adjuvante 2.°, mitram, formale, pluviale et stolam deponit et induit stolam et pluviale albi coloris, et iterum pluviali imponitur formale, si eo utatur, et accipit mitram (169).

❯ Cum episcopus assurgit ad pluviale violaceum deponendum, caeremoniarius, vel sacrista si aderit, a faldistorio amovet vestem violaceam, quae cum vestibus violaceis episcopi ad sacrarium portabitur.

Introitus in baptisterium

2 — Assurgit episcopus, et, cum suis assistentibus et ministris, baptisterium intrat, ceteri extra cancellos remanent.

Faldistorium ponitur in baptisterio ubi commodius, ibique sedet episcopus, et assistentes ac ministri se sistunt circa ipsum ordine quo prius.

Fidei professio

3 — Jubente caeremoniario, 1mus. infans cum susceptoribus baptisterium intrat et se sistit coram pontifice, qui puerum ter circa fidem interrogat dicens *Credis* etc., et patrinus toties respondet *Credo.*

Propositum

4 — Episcopus puerum interrogat *Vis baptizari?* Respondet patrinus *Volo.*

❯ Si plures sint baptizandi, ad episcopum accedunt prout a caeremoniario vocantur, et pontifex singulos ut supra de fide et proposito interrogat, et recedunt in partem.

Baptismus

5 — Assurgit episcopus et ad fontem accedit; 1.° assistens cochleare infusionis ei porrigit.

Susceptores 1mum. puerum portantes ad fontem accedunt et episcopus, prius prolato infantis nomine a 1.° assistente, de aqua fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens semel tantum distincte et attente dicit *N. Ego te baptizo in nomine Patris* + + fundat primo *et Filii* + fundat secundo *et Spiritus* + *Sancti* fundat tertio.

❯ Si vero dubitat an infans fuerit baptizatus, dicat *N. Si non es baptizatus.*

Caeremoniarius seu patrinus statim caput infantis manutergio abstergit et recedit infans aliquantulum.

❯ Si alii aderint pueri baptizandi, accedunt, et, alius post alium ab episcopo eodem modo baptizantur, et, ultimo baptizato, episcopus cochleare tradit assistenti 1.°, ad faldistorium redit et sedet.

❯ Si ubi fit baptismus non aderit baptisterium, super gremium episcopi ponetur gremiale linteum; assistens 1mus. sustinebit urceum cum aqua baptismali, 2us. pelvim; qui infantem portat se sistit flexis genibus coram pontifice, qui, sedens et hauriens aquam de urceo cum cochleare, puerum baptizat.

❯ Si celebrans sit abbas benedictus seu protonotarius, pelvis super mensa ponitur et praelatus stans infantem baptizat.

214 ART. VIII — RITUS AD BAPTISMUM COMPLENDUM (IN BAPTISTERIO)

Chrismatio

1 — 1mus. clericus se sistit versus dexteram episcopi cum sancto chrismate et bombacio in lance, et 2us., cum candela accensa et veste candida.

1mus. infans a susceptoribus ante pontificem praesentatur, qui dicit formulam *Deus omnipotens,* et cum dicit *ipse te liniat* facit unctionem

in vertice capitis in modum crucis, et patrinus respondet *Amen.* Pontifex deinde dicit *Pax tibi,* et patrinus respondet *Et cum spiritu tuo.*

Assistens 1mus. unctionem bombacio abstergit et episcopo bombacium pro abstergendo digito porrigit.

Vestitio 2 — Episcopus capiti infantis linteolum candidum loco vestis albae imponit dicens *Accipe vestem candidam quam perferas immaculatam* etc. (RR sic), et patrinus respondet *Amen.*

Cerei traditio 3 — Deinde episcopus tradit patrino, (qui eam tradit infanti), candelam accensam dicens *Accipe lampadem ardentem et irreprehensibilis custodi baptismum tuum.*

Exhortatio finalis 4 — Statim episcopus adjungit finalem exhortationem *Serva Dei mandata,* et respondet patrinus *Amen.*

Dimissio 5 — Postremo dicit episcopus *Vade in pace et Dominus sit tecum.* Respondet patrinus *Amen,* et susceptores annulum episcopi deosculantur, eique gratias agunt de conlato spirituali filio, et episcopus eum patrinis perpetuo commendatum habet, et discedunt susceptores cum puero.

❯ Si plures baptizati fuerunt, alius post alium ad episcopum accedunt et ipse singulos sacro chrismate inungit, linteolum et candelam tradit, exhortatur et dimittit, prout de 1.° dictum est.

Lotio manuum 6 — Episcopus, ministrantibus clericis de abaco, manus fricat medulla panis et lavat, 1.° assistente mantile ministrante.

Recessus episcopi 7 — Episcopus, accepto baculo, assurgit, et, medius inter assistentes, ordine quo venit, redit ad locum ubi sacras vestes assumpsit; ibique, istis depositis et assumptis choralibus, discedit in pace.

❯ Parochi munus erit baptizatorum nomina prout de jure in libris paroeciae quam primum adnotare.

TITULUS II

ORDO PONTIFICALIS PRO ADULTORUM BAPTISMO

uni vel pluribus conferendo

CAPUT I

CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

215 INSERVIUNT iidem ministri ac in puerorum baptismo, praeterea aderit crucifer cum acolythis duobus pro candelabris gestandis.

216 REGULAE SERVANDAE

1 — EPISCOPUS sedens et infalatus baptizat, tamen

Stabit, retenta mitra :

1) Cum exorcizat, excepto ultimo (*Exi Fuge Recede*).
2) Cum halat dicens *Accipe Spiritum bonum.*
3) Cum electos in ecclesia introducit *Ingredimini.*
4) Cum sensus consignat *Ephpheta.*
5) In duplici manus impositione cum sequitur exorcismus.

Stabit, mitra deposita :

1) In legendis collectis et 2.ª parte benedictionis salis.
2) Pro manus impositionibus cum sequitur collecta.
3) Cum dicit *Credo* et *Pater.*

Aliae regulae pro episcopo traduntur sub n. *204,* 1, b, c, d, e.

2 — ASSISTENTES sequuntur regulas superius datas, n. *204,* 2. Quoties episcopus verbum ad catechumenos facit, ut suis locis notatur, respondent isti; secus respondent assistentes.

3 — CATECHUMENI, dum fit inquisitio praevia usque ad exhortationem inclusive, et pro interrogatione quae infusionem aquae immediate praecedit, ac pro ipsa infusione, se sistunt flexis genibus, nisi episcopus stans eos baptizet, quia tunc stabunt et ipsi pro ultima interrogatione et aquae infusione. Reliquo tempore stabunt (170). Catechumeni se praesentant cum vestibus decentibus; quod si in fine functionis non mutentur, erunt coloris albi inde ab initio; omnes, etiam feminae, se praesentent capite et manibus nudis. Vide notas 179 et 180.

4 — PATRINI aderunt unus pro unoquoque masculo, una pro unaquaque femina, vel unus et una pro unoquoque juxta receptum morem, qui stabunt a tergo vel utrimque ut suo loco dicetur; patrini electo manum imponunt in actu infusionis aquae tantum; vel, si agatur de ritibus supplendis, cum fit unctio cum sacro chrismate. Episcopus qui sit etiam patrinus, servabit regulam datam pro baptismo puerorum, n. *204*, 3.

5 — JEJUNIUM. "Tam (episcopus) qui adultos baptizaturus est, quam ipsi adulti qui sani sint, decet esse jejunos". CJC 753 § 1.

6 — LINGUA VERNACULA. Si catechumeni lingua latina respondere nequeunt, licebit episcopo interrogationes omnes facere primum prout jacent, deinde in lingua catechumenorum; latine respondent assistentes, et in vernaculo catechumeni. D. 3535, 10.

Catechumeni recitant *Pater noster* in scrutiniis et *Credo* ac *Pater* in eorum traditione lingua latina, quod si fieri nequeat, dicant in suo idiomate; in traditione vero (n. *234*, 3) episcopus preces prius lingua latina ne omittat.

CAPUT II

217

DE PRAEPARANDIS

COLOR: { Pro probationibus: violaceus.
Pro baptismo: albus.

Omnia parentur prout in titulo I habetur, n. *205*, praeterea:

IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI:

Crux hastata.
Acolythorum candelabra.

IN MEDIO PLANO PRESBYTERII:

Faldistorium violacea veste coopertum cum pulvinari. Versus finem baptismi sacrista colorem violaceum pro albo mutabit.

IN VESTIBULO ubi genuflectunt neophyti:

Tapetum stratum.

❯ Si ad januae ingressum nullus adsit gradus, convenienter faldistorium locabitur super gradum unum tapeto coopertum, ut episcopus sedens possit facilius ritus super adultos stantes exsequi.

IN BAPTISTERIO PRO UNOQUOQUE ELECTO:

Manutergium pro abstergendo capite.

Linteolum seu chrismale capiti electi imponendum, si adhibendum est.

Vestis seu cappa talaris albi coloris super vestes communes in fine rituum assumenda.

Candela dimidiae librae.

CAPUT III

218

RITUS SERVANDUS

❯ Vide notam datam pro baptismo parvulorum, n. *207*.

ART. I — PRAEPARATIO

Episcopus ad ecclesiam accedit, manus lavat et sacras induit vestes prout de baptismo puerorum dictum est (n. *207*, 1, 2, 3); deinde ordine ibidem tradito (n. *207*, 4), ibunt omnes more processionali, praeeunte cruce cum candelabris, ad altare maius ecclesiae, ubi crux cum candelabris se sistit versus latus evangelii et ministri de abaco ad ipsum accedunt.

Episcopus, cum ad faldistorium pervenerit, reddit baculum et a 1.° assistente exuitur mitra, deinde genua flectit, omnibus pariter genuflectentibus.

219 ART. II — STATIO AD ALTARE

Facta brevi mora, ad nutum caeremoniarii, omnes assurgunt et ministri de libro et scotula se sistunt coram pontifice qui se signat dicens *Deus, in adjutorium;* respondent omnes *Domine ad adjuvandum* cum *Gloria Patri,* ad quod omnes caput profunde inclinant.

Episcopus incipit antiphonam *Effundam super vos,* quam clerici prosequuntur sine cantu, adjectis psalmis: 8 *Domine, Dominus noster;* 28 *Afferte Domino, filii Dei*; 41 *Quaemadmodum desiderat,* cum *Gloria Patri* in fine uniuscujusque.

Incepto psalmo, episcopus se vertit, sedet, et mitram induit; ministri de libro et scotula recedunt, dum assistentes loca sua mutant.

Cum repetitur antiphona, ministri de libro et candela se sistunt ante faldistorium ut prius; episcopus, deposita mitra, assurgit, ad altare se vertit dum assistentes loca sua mutant, et clara voce sine cantu dicit *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison* cum suis assistentibus; deinde dicit *Pater noster* et prosequuntur secreto usque ad *Et ne nos inducas in tentationem.* Dicto *Domine, exaudi* et *Dominus vobiscum,* episcopus (pariter sine cantu) recitat orationes tres, videlicet 1mam. *Omnipotens* ad fidem obtinendam; 2am. *Adesto* pro seipso; 3am. *Da quaesumus* pro electis, quae dicitur in plurali pro pluribus, et in genere masculino si saltem unus sit masculus.

Dictis orationibus, recedunt ministri de libro et scotula; episcopus se vertit, dum assistentes loca sua mutant, et accipit mitram et baculum.

❯ Si episcopus sit extraneus vel titularis, faldistorium locabitur a parte epistolae, sicut fieri solet pro missa ad faldistorium, ibique fiet statio praeparatoria. PR h.1.

220 ART. III — PROCESSIO AD FORES

A caeremoniario ordinabitur processio ad ecclesiae fores.

Praeibit crux cum candelabris, deinde clerus functioni assistens; sequuntur clerici duo de abaco; sequitur episcopus medius inter suos assistentes, oras pluvialis sustentantes; ultimo ibunt ministri insignium et familiares.

❯ Si pontifex sit metropolita, crucifer, superpelliceo indutus cum ceroferariis, ibit immediate ante eum, nisi intersit capitulum ecclesiae metropolitanae.

Electi, antequam processio iter arripiet, locum sumunt in narthece, masculi a dextris intrantis, feminae a sinistris (171).

Patrini stabunt a tergo electi: patrinus a dextris, matrina a sinistris, vel, si unus tantum, a dextris se sistat.

Locatio ad fores Episcopus cum ad fores ecclesiae pervenerit, sedet ad faldistorium et baculum tradit ministro, dum omnes loca sua sumunt ut in baptismo puerorum (n. *207,* 5); crucifer cum ceroferariis se sistit versus sinistram pontificis, ita ut crux possit facile ab eo salutari. Diagramma VII.

221 ART. IV — PRAEVIA INQUISITIO

Inquisitio 1 — Ad nutum caeremoniarii baptizandi aliquantulum versus pontificem accedunt et genua flectunt in ordine.

Pontifex 1mum. catechumenum interrogat dicens *Quo nomine vocaris?*

Respondet *N.*
Episcopus dicit *N. quid petis ab Ecclesia Dei?*
Respondet *Fidem.*
Dicit episcopus *Fides, quid tibi praestat?*
Respondet *Vitam aeternam.*

Exhortatio 2 — Episcopus legit exhortationem praeviam *Si igitur vis.*

Abjuratio 3 — Episcopus ter catechumenum interrogat

N. abrenuntias satanae?
Et omnibus operibus ejus?
Et omnibus pompis ejus?
Et catechumenus toties respondet *Abrenuntio.*

Fidei professio 4 — Pontifex ter catechumenum de Symbolo fidei interrogat, dicens *Credis* etc., et catechumenus toties respondet *Credo.* Interrogatione finita, assurgunt catechumeni.

❯ Si plures sint catechumeni, episcopus sedens ritus superius expositos pro singulis repetit, et catechumeni, in locis suis genuflexi, respondent prout interrogantur. Quod si multi sint baptizandi exhortatio *Si vis* dici potest in plurali pro omnibus (172).

ART. V — PRIMA PROBATIO SEU REMOTA (AD FORES)

222 A — ANIMAE CONSIGNATIO

Exorcismus

1 — Episcopus assurgit, et, ad 1mum. catechumenum accedens, exsufflat ter in faciem ejus, et deinde dicit semel exorcismum *Exi ab eo, spiritus immunde, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.*

Infusio boni spiritus

2 — Deinde pontifex dicit *N. Accipe spiritum bonum per istam insufflationem et Dei benedictionem,* et statim in modum crucis halat (173) semel in faciem catechumeni, deinde dicit *Pax tibi,* et respondet catechumenus *Et cum spiritu tuo.*

Consignatio

3 — Episcopus dicit formulam *Accipe signum crucis tam in fronte* (illum in fronte signans) *quam in corde* (illum in pectore signans) et prosequitur formulam.

Erroris abjuratio

4 — Episcopus dicit catechumeno *Horresce* etc. prout dē Ethnicis, ex Hebraeis, ex Mohumetanis, vel ex Haereticis (sine debita forma baptizatis) venerit, in quo casu proprio nomine exprimat sectam haereticam.

Episcopus, nulla interposita mora, adjungit *Cole Deum Patrem* etc.

❯ Pontifex ad 2um. catechumenum accedit, deinde ad alios et pro omnibus ritus repetit inde ab exorcismo, quibus absolutis, ad faldistorium revertitur et sedet.

❯ Si unus tantum sit baptizandus, episcopus sedens illum consignat et adjurat, nn. 3 et 4.

Oratio ad complendum

5 — Episcopus, mitra deposita, assurgit et recitat collectam *Te deprecor* (in plurali pro pluribus), cum qua clauditur animae consignatio, eaque finita, sedet et accipit mitram.

223 B — CORPORIS CONSIGNATIO

Frontis consignatio

1 — Ad nutum caeremoniarii, 1mus. catechumenus assurgit et coram episcopo se sistit, qui cum dicit *Signo tibi frontem,* signat eum in fronte cum pollice, et prosequitur *ut suscipias crucem Domini.*

Sensuum consignatio

2 — Eodem modo episcopus catechumenum cum pollice dextero signat:

a) in auribus, primo dexteram deinde sinistram;
b) in oculis, primo dexterum, deinde sinistrum;
c) in naribus, primo dexteram, deinde sinistram;
d) in ore, compressis labiis.

et formulam propriam profert semel tantum, licet consignatio fiat in duobus sensibus.

Pectoris consignatio

3 — Eodem modo episcopus cum pollice dextero catechumenum signat, primo in pectore, deinde in scapulis, dicens formulas assignatas.

Totius corporis consignatio

4 — Episcopus dicit *Signo te totum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* ter super corpus catechumeni producens, aperta manu, signum crucis, illud non tangens, et formulam prosequitur *ut habeas vitam aeternam et vivas in saecula saeculorum.*

❯ Catechumenus ad locum suum redit, accedit 2us. et pro singulis fit similiter.

Orationes ad complendum

5 — Cum ultimus fuerit consignatus, episcopus, deposita mitra, assurgit et recitat collectas *Preces nostras* (in plurali pro pluribus) et *Deus qui humani generis* (prout jacet etiam pro pluribus) ad ritum consignationis corporis complendum.

224 C — RATIFICATIO PRIMAE PROBATIONIS

Manus impositio

1 — Episcopus ad 1mum. catechumenum accedit, et, sinistra pectori apposita, manum dexteram imponit capiti ejus (174-175); statim accedit ad 2um., deinde ad alios et pro singulis facit similiter, ac ad locum suum revertitur.

Oratio ad complendam probationem

2 — Episcopus dicit junctis manibus orationem *Omnipotens... respicere dignare* (in plurali pro pluribus), cum qua clauditur tota 1ma. probatio, sedet et accipit mitram. Vide notam 167.

225 ART. VI — RITUS ELECTIONIS

Benedictio salis

1 — 2us. clericus de abaco cum sale in lance se sistit flexis genibus coram episcopo, qui, assurgens et accepto baculo, salem benedicit dicens *Exorcizo te* etc., et cum dictum fuerit *ad effugandum inimicum,* reddit baculum, exuitur mitra et prosequitur *Proinde rogamus te,* et cruce salem signat toties notatur. Sale benedicto, clericus assurgit et recedit versus dexteram pontificis, qui, si sequens oratio omittatur, sedet et accipit mitram.

℟ Si episcopus non sit loci ordinarius vel praesul amplioris gradus clericus stans salem praesentat.

Oratio praeparatoria pro paganis

2 — Pontifex, adhuc stans, dicit super catechumenos orationem praeparatoriam *Domine sancte* (in plurali pro pluribus), et, ea dicta, sedet et accipit mitram.

℟ Haec oratio dicitur tantum pro gentilibus et idololatris, Budhistis et aliis, scilicet pro illis qui ante baptismum Deum non colebant; omittitur proinde pro Hebraeis, Mahumetanis et pro Haereticis quando sunt iterum baptizandi; dicenda erit tamen pro hodiernis atheistis seu neo-paganis.

Salis traditio

3 — 1mus. catechumenus se sistit coram episcopo, qui pollice ac indice accipit de ipso sale et immittit in os catechumeni dicens:

N. Accipe sal sapientiae; propitiatio sit tibi in vitam aeternam.

Respondet catechumenus *Amen.* Dicit episcopus *Pax tibi.*

Respondet ipse *Et cum spiritu tuo.*

Catechumenus recedit, accedit 2us., et pro singulis fit similiter, et, ritu expleto, vel post unamquamque traditionem salis, capellanus 1mus. manutergium episcopo praesentat ad tergendos digitos. Salis traditione expedita, clericus cum sale lancem ad baptisterium portat et ad locum suum redit.

Oratio ad electionem complendam

4 — Episcopus, deposita mitra, assurgit, et super illos qui ad baptismum electi fuerunt recitat orationem *Deus patrum nostrorum* (in plurali pro pluribus), cum qua finis imponitur ritui electionis, et, ea dicta, sedet et accipit mitram.

226 ART. VII — SECUNDA PROBATIO SEU PROXIMA (AD FORES)

℟ Si inter baptizandos adsint feminae, recedunt aliquantulum, quousque a caeremoniario vocentur, vel, si omnes sint feminae, statim transitur ad litteram B.

A — SCRUTINIA TRIA PRO MASCULIS

PRIMUM SCRUTINIUM

Invitatio ad orationem Domini recitandam

1 — Electi cum suis patrinis, ad nutum caeremoniarii, se sistunt in ordine sive in corona passus duos vel tres ante episcopum, qui dicit eis *Orate, electi, flectite genua, et dicite*: *Pater noster.*

Electi, flexis duobus genibus, dicunt clara sed submissa voce *Pater noster, Amen* in fine omisso.

Dicit pontifex *Levate, complete orationem vestram et dicite*: *Amen.*

Electi assurgunt et dicunt *Amen.*

Frontis obsignatio a patrino

2 — Pontifex dicit patrinis *Signate eos,* et electis *Accedite,* et omnes accedunt passum unum versus pontificem.

Patrini pollice signant semel electos (quisque suum) in fronte dicentes *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Item ab episcopo

3 — Electi, unus post alium sine patrinis, ad episcopum accedunt, et inclinati frontem ei offerunt, qui, eadem verba proferens, semel tantum pollice eos signat in fronte in forma crucis, et recedunt electi ad loca sua.

℟ Si unus tantum sit baptizandus, formulae superius traditae (nn. 1 et 2) dicuntur in singulari.

Manus impositio 4 — Omnibus obsignatis, episcopus, deposita mitra, assurgit, ad 1mum. electum accedit et manum dexteram extensam, sinistra pectori apposita, capiti ejus imponit; ad 2um. transit, et pro omnibus facit similiter, ac ad locum suum revertitur.

Oratio ad complendum 5 — Episcopus super electos recitat orationem *Deus Abraham* (in plurali pro pluribus) ad scrutinium complendum.

Exorcismus consignatorius 6 — Episcopus, accepta mitra, recitat exorcismum consignatorium *Ergo maledicte* (in plurali pro pluribus) usque ad verba *vocare dignatus est* inclusive.

Deinde accedit ad 1mum. electum et signum crucis facit in fronte ejus dicens *Et hoc signum sanctae crucis quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare.* Ad 2um. electum accedit, deinde ad alios, et omnes signat verba *Et hoc signum* etc. pro singulis repetens (176).

Ad locum suum reversus, episcopus recitat conclusionem exorcismi *Per eundem Christum... qui venturus est* etc., et sic finis imponitur primo scrutinio.

Electi recedunt ad loca ubi in initio scrutinii erant et exspectant stantes.

227 SECUNDUM SCRUTINIUM

Repetitur 1mum. scrutinium, sed in fine dicitur oratio *Deus immortale praesidium* (in plurali pro pluribus), et episcopus, accepta mitra, recitat exorcismum *Audi, maledicte* (in plurali pro pluribus); electi deinde passum unum ad locum, ubi prius constiterant, recedunt.

228 TERTIUM SCRUTINIUM

Repetitur 1mum. scrutinium, sed cum omnes in fronte obsignati fuerunt, episcopus, retenta mitra, assurgit pro manus impositione, deinde, loco orationis, legit exorcismum *Exorcizo te* etc. (in plurali pro pluribus), et ultimo dicit exorcismum consignatorium ut in 1.° scrutinio.

❯ Scrutinio absoluto, ad nutum caeremoniarii, electi cum suis patrinis recedunt in partem, et accedunt electae cum matrinis ad dexteram, vel, si nullae sint feminae baptizandae, statim transitur ad litteram *C*.

B — SCRUTINIA TRIA PRO FEMINIS

229 PRIMUM SCRUTINIUM

Electae, ad nutum caeremoniariii, cum matrinis ad dexteram, se sistunt in ordine sive in corona, duos tresve passus ante episcopum.

Omnia fiunt ut in 1.° scrutinio pro masculis, sed loco orationis *Deus Abraham* dicitur alia *Deus caeli* (in plurali pro pluribus).

230 SECUNDUM SCRUTINIUM

Omnia fiunt ut in 1.° scrutinio pro masculis, sed exorcismus consignatorius omittitur (177).

231 TERTIUM SCRUTINIUM

Omnia fiunt ut in 1.° scrutinio pro masculis, sed, omissa oratione *Deus Abraham*, episcopus, retenta mitra, assurgit pro manus impositione, et deinde dicit exorcismum *Exorcizo te... qui caeco nato*, et repetitur exorcismus consignatorius.

❯ Si una tantum sit femina baptizanda, scrutinia fiunt in singulari.

232 C — PROBATIONIS RATIFICATIO

Manus impositio 1 — Scrutiniis feminarum absolutis, neophyti utriusque sexus accedunt ad loca sua ut in initio functionis; patrini et matrinae remanent a tergo sui baptizandi.

Episcopus, mitra deposita, assurgit, ad 1mum. electum accedit et manum dexteram extensam, sinistra pectori apposita, capiti ejus imponit; transit ad 2um. deinde ad ceteros utriusque sexus et singulis facit similiter.

Oratio ad complendum

2 — Ad sedem suam reversus, episcopus recitat collectam *Aeternam ac justissimam* cum qua finis imponitur 2ae. probationi; sedet deinde pontifex et induitur mitra.

233 ART. VIII — IN ECCLESIA

Introitus in ecclesiam

1 — Caeremoniarius ordinabit processionem cleri, si adest, ad cancellos baptisterii, praecedente cruce cum intortitiis.

Pontifex assurgit et 1mus. electus ad ejus sinistram accedit; episcopus sinistra sua sumit dexteram electi prope brachium; 1mus. electus sinistra sua accipit dexteram 2di. electi, 2us., 3ii. et ita quoad ceteros.

Pontifex stans dicit *N.N. ingredimini in sanctam Ecclesiam Dei* etc. (in singulari si unus) et respondent omnes *Amen.*

Ministri abaci et insignium atque assistentes ibunt immediate ante episcopum, qui ecclesiam solus intrabit cum 1mo. electo a sinistris, sequentibus aliis, et ultimo intrant patrini et laici, qui forte functioni intersint.

Crucifer cum clero pergit ad cancellos presbyterii; episcopus cum suis assistentibus et ministris se sistit in media navi facie ad extra.

❯ Interim clerici de abaco faldistorium e janua amovent et ante cancellos baptisterii locant.

Electi se sistunt in ordine prout ad fores, cum suis patrinis a tergo, et electi (ipsi soli) genua flectunt, et sic permanent aliquantulum, deinde assurgunt.

Manus impositio

2 — Episcopus, deposita mitra, cum assistentibus oras pluvialis sustinentibus, ad 1mum electum accedit, et dexteram suam capiti ejus imponit ritu superius tradito; accedit ad 2um., deinde ad ceteros et pro omnibus facit similiter, et ad locum suum revertitur.

Traditio symboli et orationis dominicae

3 — Episcopus electis tradit symbolum fidei et orationem dominicam, simul cum ipsis clara voce dicens *Credo* et *Pater.*

Episcopus, accepta mitra et baculo, ad faldistorium accedit, tergo baptisterio verso, et baculum reddit ministro; clerus a caeremoniario disponetur juxta locorum adjuncta.

234 ART. IX — TERTIA PROBATIO SEU IMMEDIATA (AD CANCELLOS)

Postrema manus impositio

1 — Electi ad cancellos baptisterii accedunt et se sistunt cum patrinis a tergo juxta ordinem ad fores statutum.

Episcopus ad 1mum. electum accedit, eique manum dexteram iterum imponit ritu quo prius; accedit ad 2um., deinde ad alios et super omnes facit similiter, et ad faldistorium revertitur.

Exorcismus

2 — Episcopus, junctis manibus, super electos stantes recitat exorcismum *Nec te latet.* Vide notam 167.

Sensuum consignatio

3 — Episcopus accedit ad 1mum. electum (assistens 1mus. portabit manutergium) et pollice accipit de saliva oris sui et tangit aurem dexteram, deinde aurem sinistram electi dicens *Ephpheta, quod est, adaperire.*

Deinde tangit nares, dexteram et sinistram, dicens *In odorem suavitatis.* Et subdit exorcismum *Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim judicium Dei,* et pollicem tergit manutergio.

Pontifex accedit ad 2um., deinde ad alios et pro omnibus facit similiter, ritus et formulam repetens; ac demum ad faldistorium accedit et sedet.

❯ *Quotiescumque rationabilis adest causa munditiae aut periculum morbi contrahendi vel propagandi,* fit sensuum consignatio, salivae applicatione omissa. SRC die 14 Jan. 1944. AAS 1944, pg. 26.

Abjuratio trina

4 — Electi genua flectunt et episcopus, verbum suum ad 1mum. dirigens, inquirit *Quis vocaris?*

Electus respondet proferens nomen suum *N.*

Pontifex eum ter interrogat *N. Abrenuntias Satanae?*

Et omnibus operibus ejus? Et omnibus pompis ejus?

Et electus ad singulas interrogationes respondet *Abrenuntio.*

Episcopus similiter interrogat 2um., deinde ceteros; interrogatione finita assurgunt electi.

Obsignatio cum oleo

5 — 1mus. clericus abaci, cum vasculo sancti olei in lance, se sistit a dextris 1mi. assistentis et 2us., cum bombacio soluto, ad sinistram 2di. assistentis.

1mus. electus ad episcopum accedit cum suo patrino a dextris, qui vestes ejus circa collum aliquantulum solvit.

Episcopus, intincto pollice in oleo a 1.° assistente porrecto, electum inungit in modum crucis, primum in pectore, deinde inter scapulas dicens :

Ego te linio (ungit pectus) *oleo salutis in Christo Jesu* (ungit scapulas) *Domino nostro in vitam aeternam.*

Electus respondet *Amen.*

Dicit episcopus *Pax tibi.*

Respondet electus *Et cum spiritu tuo,* et se sistit coram 2do. assistente, qui inuncta loca bombacio abstergit, et ad locum suum revertitur, ubi patrinus sive matrina vestes ejus aptat.

Accedit 2us., deinde accedunt alii, et episcopus singulos oleo inungit, qui omnes procedunt sicut 1mus.

Finitis unctionibus, episcopus pollicem bombaceo abstergit, et clerici ad abacum recedunt.

Novissimus exorcismus

6 — Episcopus adhuc sedens legit exorcismum *Exi... Fuge... Recede...* (prout jacet si plures) (178). Exorcismo dicto, electi aliquantulum recedunt, et sic finis imponitur ultimae probationi.

ART. X — BAPTISMUS

235 A — BAPTISMI RITUS

Coloris mutatio

1 — Episcopus, adjuvantibus suis assistentibus, deponit mitram, formale si eo utatur, pluviale et stolam, et assumit stolam et pluviale albi coloris, formale, et mitram; quod si ritus catechumenatus administravit cum mitra alba simplici, nunc assumit auriphrygiatam. Vide notam 169.

Locatio in baptisterio

2 — Caeremoniarius electos locat in ordine extra cancellos cum suis patrinis a dextris; crucifer cum acolythis se sistunt in capite baptisterii; clerici duo stabunt ad abacum, clerus assistens, si aderit, et familiares extra cancellos remanent.

Episcopus, accepto baculo, assurgit, et cum suis assistentibus, sequentibus ministris de libro, candela et baculo, ad baptisterium seu fontem accedit, ubi reddit baculum ministro, qui recedit et se sistit a sinistris introitus cum ministro de mitra a dextris, alter ad alterum versus.

Solemnis fidei professio

3 — A caeremoniario vocatus nomine baptismi, accedit 1mus. electus et coram pontifice se sistit, qui eum de fide ter interrogat dicens *Credis* etc., ut in PR habetur; electus cum interrogatur toties respondet *Credo.*

Propositum

4 — Episcopus electum interrogat *Quid petis?* Respondet electus *Baptismum.* Episcopus iterum quaerit *Vis baptizari?* Et ipse respondet *Volo.*

Baptismus

5 — Assistens 1mus. episcopo tradit cochlear; electus, laxatis a collo vestibus a patrino seu matrina si necessarium videatur, apertum caput super fontem inclinat, dum patrinus, vel etiam matrina si uterque admittitur, dexteram manum ad scapulas ejus apponit.

Pontifex electum baptizat ter aquam e fonte haustam super caput ejus in modum crucis fundens dicens *N. Ego te baptizo in nomine Patris* + (fundat primo) *et Filii* + (fundat secundo) *et Spiritus* + + *Sancti* (fundat tertio).

Patrinus cum mappula, quam ei tradit caeremoniarius, caput electi tergit et capillos, si necesse sit, componit.

Electus cum suo patrino recedit in partem, vel etiam extra locum baptismi, si locus sit exiguus, et accedit 2us.; deinde accedunt alii, et episcopus singulos baptizat prout de 1mo. dictum est.

❯ Si electus plurima nomina baptismalia habeat, in actu baptismi episcopus nomina omnia profert legens e scheda a caeremoniario porrecta.

❯ Si fons baptismalis sit exiguae altitudinis, ita ut episcopus possit commode sedens baptizare, faldistorium ponetur juxta fontem, aderitque scabellum, uno vel duobus gradibus instructum, ubi electus genua flectit, qui sic ab episcopo baptizatur.

℈ Si non adest fons baptismalis, episcopus in faldistorio sedens baptizat electum coram eo genuflexum. Caeremoniarius super gremium episcopi ponit gremiale linteum; assistens 1mus. sustinebit vas argenteum cum aqua baptismali, et 2us. pelvim in quam defluat aqua.

℈ Si probabiliter dubitetur, an electus fuerit baptizatus, episcopus dicat *N. Si non es baptizatus, ego te baptizo* et reliqua ut supra.

Cum omnes fuerunt baptizati, episcopus cochlear reddit assistenti 1mo. et, si necesse sit, manum manutergio tergit.

Clerici de abaco faldistorium in capite loci ponunt; crucifer cum acolythis se sistit ad sinistram pontificis, qui sedet, cum suis assistentibus utrimque.

236 B — RITUS AD BAPTISMUM COMPLENDUM

Capitis chrismatio

1 — 1mus. clericus cum sancto chrismate se sistit ad dexteram 1mi. assistentis et 2us. cum bombacio a sinistris 2di. assistentis.

1mus. baptizatus accedit et se sistit inclinatus coram episcopo, qui caput ejus consignat in vertice cum sancto chrismate in forma crucis dicens *Deus omnipotens... Ipse te liniat* (hic inungit) *Chrismate salutis* etc. Et electus respondet *Amen.* Dicit episcopus *Pax tecum.* Electus respondet *Et cum spiritu tuo.* Vide notam 12.

Episcopus deinde capiti electi imponit chrismale seu linteum, quod a tergo firmabitur, ad unctionem honorandam, nihil dicens (179).

Vestis traditio

2 — Episcopus electo tradit, vel, si commode fieri possit, humeris ejus imponit, vestem seu cappam albi coloris dicens *Accipe vestem candidam, quam perferas immaculatam* etc. RR Ed. 1913-1925. Et ille respondet *Amen* (180).

Cerei traditio

3 — Episcopus neophyto dat cereum accensum in manu dextera dicens *Accipe lampadem ardentem* etc. Et ille respondet *Amen.* Neophytus genuflectens osculatur manum episcopi, pro collato beneficio gratias agens, assurgit, et exspectat extra cancellos.

℈ Accedit 2us., et deinde alii, et episcopus ritu descripto singulos inungit, vestit, eisque tradit cereum accensum.

Ritibus expletis, episcopus digitos abstergit bombaceo vel re simili, et manus solito more lavat.

Exhortatio finalis

4 — Caeremoniarius neophytos disponit in ordine seu corona ante episcopum, qui eos ad baptismalem gratiam custodiendam exhortatur, et, si maluerit, admonet patrinos de spirituali cognatione modo orta, ac omnibus gratulatur.

Dimissio

5 — Episcopus dicit neophytis *Ite in pace et Dominus sit vobiscum* (vel in singulari si unus), et ipsi respondent *Amen.* (181).

Omnes chrismale deponunt, sed feminae caput velo cooperiunt usque ad finem missae.

Processio ad altare

6 — Ordinabitur processio ad altare, ordine quo venit; neophyti, primo feminini sexus deinde masculini, singuli, vel bini si sint plures, cereo manu dextera accenso, ad altare procedunt, et se sistunt extra cancellos presbyterii; patrini ibunt ante omnes neophytos.

Confirmatio

7 — Si aderit consignatorium, omnes ad illud ibunt, et episcopus neophytos solemniter confirmabit; vel si non aderit, episcopus ad altare maius neophytos tanto Sacramento initiabit, qui, dum confirmantur, candelas in partem reponunt.

Missa et communio

8 — Celebrabitur missa vel ab ipsomet episcopo vel ab alio sacerdote ad hoc deputato, et neophyti intra missam sacrae Eucharistiae Sacramento reficientur; nisi, *gravi et urgente causa* (CJC 753, § 2) episcopus velit insequenti die celebrare et ipsis Eucharistiam ministrare.

Electi missae intersint cum cereo in manu accenso, illum tamen deponunt cum ad communionem accedunt.

In fine episcopus, sacris vestibus depositis, recedit in pace.

TITULUS III

DE RITIBUS IN ADMINISTRATIONE BAPTISMI ALIQUANDO ADHIBENDIS

CAPUT I

237 DE SUPPLENDIS BAPTISMI RITIBUS SUPER PUEROS VEL ADULTOS

› Ecclesia ritus et caeremonias sacri baptismi tali prosequitur amore ut, si quis parvulus vel adultus, in mortis periculo constitutus, baptizetur, omissa omnia erunt postea solemniter supplenda, ritu parvulorum vel adultorum prout casus fert (182).

› Nullus datur ritus proprius pro supplendis omissis, sed omnia fiunt prout si baptismus revera esset administrandus, baptismo tantum omisso; nam per fictionem juris, seu ex intentione Ecclesiae, baptizatus adhuc catechumenus est, et omnia dicuntur et fiunt prout si christianus baptizatus non sit. Cum tamen nonnulla verba mutentur, ritus iterum, commoditatis gratia, per integrum, seu in appendice PR, seu in RR, repetuntur (183).

› Episcopus, tum pro parvulis, tum pro adultis, ritus supplere debet ad ecclesiae fores et ad baptisterium tradito ordine, nec ipsi fas est functionem ad altare peragere. Catalanus ad RR commentaria, tomus I, pg. 177.

1 — Episcopus sacras omnes induit vestes prout de baptismo pro pueris vel adultis dictum est.

2 — Omnia fiunt et dicuntur ut in praecedentibus titulis I et II habetur.

3 — Orationes et exorcismi dicuntur ut in Appendice PR pro supplendis ritibus super parvulum vel adultum.

4 — Finita unctione cum oleo, episcopus, depositis sacris vestibus violaceis, induit stolam et pluviale albi coloris.

5 — Cum fit unctio cum sancto chrismate matrina infantem tenet, et patrinus, si aderit, dexteram super illum ponit; si baptizandus sit adultus patrini manum dexteram ad scapulas ejus apponunt.

6 — Baptismus seu aquae lustratio cum interrogationibus *Vis baptizari* et *Quid petis* (pro adultis) immediate ante baptismum omittuntur.

› Post baptismum ritus ab episcopo ponuntur, etiamsi, ad normam canonis 759, § 1, domi facti fuerunt in actu baptismi privati (184).

CAPUT II

238 DE BAPTISMO SOLEMNI PUERI VEL ADULTI A PRESBYTERO CATECHIZATI

› Semper licet pontifici ritus catechumenatus parocho committere exsequendos, ita ut ab ipso ritus tantum baptismales fiant. Talis agendi ratio regulae maiorum plane concordat, et praesertim commendatur quando multi sunt pueri vel adulti sacris baptismi aquis purificandi (185). Hujusmodi agendi modus tamen adhibere non licet cum agitur de ritibus supplendis super pueros vel adultos.

1 — Parochus ritus catechumenatus usque ad unctionem cum sancto oleo inclusive solito more exsequatur super pueros vel adultos baptizandos.

2 — Episcopus in secretario capit sacras vestes, videlicet, amictum, albam cum cingulo, stolam et pluviale albi coloris, et mitram auriphrygiatam.

3 — Ritibus catechumenatus expeditis, episcopus, accepto baculo, si eo uti possit, et praecedente cruce cum candelabris si baptizandi sint adulti, ad baptisterium accedit, sedet ad faldistorium, et baculum tradit ministro.

4 — Episcopus incipiens ab interrogatione *Quis vocaris* (pro adultis), facit ter interrogatorium *Credis,* et cetera prosequitur usque ad finem prout in titulo I, nn. *213, 214* habetur si baptizandi sint pueri, vel in titulo II, nn. *234, 235* si adulti.

5 — Ritibus absolutis, episcopus redit ad locum ubi sacras vestes assumpsit, easque deponit.

TITULUS IV

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE
Titulus III Ritualis Romani

CAPUT UNICUM

239 DE MODO ABSOLVENDI AB EXCOMMUNICATIONE IN FORO EXTERNO

› Episcopus volens ritu pontificali aliquem absolvere ab excommunicatione, procedat ritu in RR tradito, titulo III, capite III, ordine tamen quo sequitur.

1 — Faldistorium, violacea veste copertum, locabitur ad introitum presbyterii, ibique fiat functio.

2 — Episcopus induit amictum, stolam et pluviale violacei coloris, ac mitram simplicem; habebitque duos canonicos sive capellanos assistentes superpelliceis indutos, et ministros tres pro insignibus.

3 — Praemittentur conditiones a jure pro absolutione statutis, et quae in RR (titulo III, capite III, nn. 2 et 3) traduntur.

4 — Episcopus sedens ad faldistorium, capite mitra cooperto, habens paenitentem flexis genibus coram se, illum virga leviter percutit; deinde dicit alternatim cum suis assistentibus ps. 50 *Miserere.*

5 — Dicto psalmo, episcopus, deposita mitra, surgit et dicit *Kyrie, eleison, Pater noster,* cum versiculis qui sequuntur, ministris respondentibus, et ultimo recitat collectam *Deus, cui proprium est.* Responso *Amen* ab assistentibus, sedet episcopus et accipit mitram.

6 — Episcopus super paenitentem coram se genuflexum recitat formulam absolutionis *Dominus noster Jesus Christus* etc. prout in RR hoc loco habetur.

7 — Paenitens deinde annulum episcopi deosculatur et recedit. Episcopus, sacris vestibus depositis, discedit ordine quo venit.

❯ Ordo absolvendi ab excommunicatione habetur etiam in 3.ª parte Pontificalis, forma vero obsoleta. Vide tomum I, ritus obsoleti, n. *14,* III, 3.

❯ Pro pontificali absolutione apostatae vel haeretici vide tomum I, ritus obsoleti, n. *15,* IV.

TITULUS V

DE POSTREMIS SACRAMENTIS RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

CAPUT I

240 **DE SANCTO VIATICO**

RR tit. IV, cap. IV

❯ Si cui infirmo sacrum Viaticum sit ab episcopo, abbate (in ecclesia sua) vel a protonotario apostolico supranumerario, solemniter administrandum, fiet ritu pontificali prout infra habetur.

❯ Solemnis administratio Viatici Corporis Domini Nostri Jesu Christi episcopo loci ordinario graviter decumbente munus est primae dignitatis capituli ecclesiae cathedralis (CE II, 38, n. 4); si non aderit capitulum, administratio penes est episcopum auxiliarem vel vicarium generalem utpote digniorem cleri.

I — Praelatus induit, super rochetum, amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale albi coloris, et accipit mitram auriphrygiatam. Sic vestitus, cum duobus capellanis utrimque extremitates pluvialis sustinentibus, et sequentibus duobus ministris de mitra et libro, et praecedentibus duobus vel quatuor clericis cum intortitiis, episcopus ad altare accedit.

2 — Praelatus, deposita mitra et facta in planum genuflexione, se sistit flexis genibus in infimo altaris gradu ubi pileolum deponit.

3 — Caeremoniarius super humeros praelati imponit velum humerale; assistens 1mus. cum stola solito more accipit pyxidem, et stans illam episcopo genuflexo tradit, deinde genuflectit.

4 — In processione ad cubiculum infirmi, antistes procedit nudato capite; a tergo ibit clericus portans mitram et pileolum, cum alio clerico

a dextris ferens Rituale (in 4.° vel in 8.°) ; umbraculum cum unica hasta portabitur a clerico seu nobili laico.

5 — Communione data, celebrans cum Sacramento infirmum (triplici signo crucis si sit episcopus) benedicit, quod servabitur ad altare priusquam Sacramentum recondat.

6 — In reditu servabitur ordo accessus, sed 1mus. assistens genuflexus Sacramentum, e manibus praelati stantis, recipit, qui, facta Sacramento genuflexione simplici, genua flectit in infimo altaris gradu. Sacramento recondito, celebrans genuflectit in plano cum suis assistentibus, et, accepto pileolo et mitra, ad sacrarium revertitur.

7 — Cetera fiunt prout in RR hoc loco habentur.

❯ Si infirmus sit loci ordinarius, erit rocheto et stola indutus, et, priusquam dicat *Confiteor*, recitabit ipse, vel faciet nomine suo recitari ab uno e suis assistentibus, formulam fidei professionis (ut in initio CJC), stantibus omnibus.

In processione capitulum seu clerus ecclesiae cathedralis in habitu chorali Sacramentum praecedit.

CAPUT II

241 DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

RR tit. V, cap. I ad III

❯ Extremae Unctionis Sacramentum non solet pontificali ritu administrari, tamen id non prohibetur, et si episcopus loci ordinarius graviter aegrotans esset ungendus ab episcopo auxiliari, vel episcopus aliquem pontificali ritu ungere velit, procedat prout infra (186).

1 — Episcopus super rochetum induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale violacei coloris, et accipit mitram simplicem. Ei assistunt capellani duo et ministri de libro et de mitra.

2 — Episcopus, cum cubiculum infirmi erit ingressus, dicit *Pax huic domui,* facit aspersionem de more, et, deposita mitra, recitat orationes tres quibus perficitur ritus aspersionis et purificationis domus.

3 — Episcopus, accepta mitra, recitat exorcismum *In nomine Patris... exstinguatur in te* etc., deinde ad infirmum accedens facit unctiones.

4 — Unctionibus expletis, episcopus mitram deponit et recitat *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison, Pater noster,* cum versibus et tribus orationibus, cum quibus clauditur administratio Sacramenti.

5 — Episcopus, accepta mitra, recedit, vel si expediat, recitentur psalmi paenitentiales cum litaniis; ad psalmos stabit episcopus cum mitra; ad litanias genua flectit cum mitra, et in fine, cum dicitur *Pater noster,* deposita mitro, assurgit. RR tit. V, cap. III.

❯ Si benedictio apostolica est concedenda (RR tit. V, cap. VI), episcopus mitram accipit pro absolutione *Dominus noster Jesus Cristus,* usque ad finem.

241a EPISCOPUS SACRAM COMMUNIONEM DISTRIBUENS

extra missam agit more sacerdotali cum superpelliceo et stola. Fideles et clerici seu praelati, episcopis exceptis, manum seu annulum episcopi osculantur ante communionem. CE II, 29, 5. Distributione expedita, episcopus praesentes benedicit cum formula pontificali *Sit nomen Domini benedictum. Adjutorium nostrum. Benedicat vos,* cum triplice signo crucis. RR tit. IV, cap. 2, n. 10. D 3731, V.

TITULUS VI

ORDO PONTIFICALIS PRO SACRAMENTO MATRIMONII CELEBRANDO

A — CUM MISSA AB EPISCOPO CELEBRATA

CAPUT I

242 CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

ADERUNT :

Episcopus celebrans.
Capellani assistentes duo.
Caeremoniarum magister.
Ministri quatuor pro mitra, baculo, libro et candela, vel tres si baculus non adhibeatur.
Clerici duo ad abacum.

› Si celebret metropolita, aderit crucifer superpelliceo indutus.

243 EPISCOPUS Functio peragitur sine cantu ; proinde episcopus preces omnes recitat clara voce, nec expedit caudam habitus talaris.

MITRA auriphrygiata adhibebitur ab episcopo cum ad altare accedit vel ab eo recedit, pro ritu matrimonii ante missam et in fine missae cum sedens sponsos alloquitur (187).

BACULUS adhibebitur, si celebrans sit loci ordinarius vel praelatus superioris gradus, dum ad altare accedit vel ab eo recedit.

ASSISTENTES, etiamsi sint canonici in sua dioecesi vel praelati, assumunt superpelliceum. Assistens 1mus. mitram episcopo imponit et aufert. Vide notam 95 tomi I. Tempore missae assistentes inserviunt

ut moris est in missis lectis episcopi. Vide regulas traditas pro ordinatione lecta, tomo I, n. *162*, 3.

ORDO MISSAE. Dicitur missa pro sponso et sponsa in colore albo, vel, si eo die prohibeatur, missa erit de die in suo colore cum commemoratione pro sponsis sub unica conclusione. Consule rubricas MR, add. et var. III, 2.

CAPUT II

244

DE PRAEPARANDIS

COLOR pro episcopo et altari: missae celebrandae.

› Si missa pro sponsis prohibetur illo die et color non sit albus, color albus tamen adhibebitur ab episcopo pro ritu matrimonii ante missam.

SUPER ALTARI parentur quae necessaria sunt pro missa lecta cum solemnitate ab episcopo celebranda.

SUPER ALTARI PRO EPISCOPO:

Amictus, alba cum cingulo; stola et pluviale; formale in lance si celebret ordinarius, quae omnia velo cooperientur. A latere evangelii aderit mitra auriphrygiata, et a latere epistolae baculus pastoralis, si adhibeatur.

SUPER ABACO alba tobalea cooperto:

Parentur quae necessaria sunt pro missa lecta praesulis, praeterea:

Ritus pro celebrando matrimonio cum nuptiarum benedictione, in folio seu in 4.°.

Tabella cum sponsorum nominibus, seu curiae episcopalis instrumentum cum dispensationibus forte concedendis, et forma consensus matrimonialis in vernaculo.

Vela duo pro mitra et baculo.
Lanx pro annulo.
Vas aquae lustralis cum hyssopo.
Instrumentum pacis.
Patena seu catinum pro communione.

› Super patenam calicis parentur hostiae duae minores pro sponsorum communione.

IN PLANO A LATERE EPISTOLAE:

Faldistorium sua veste contectum.

IN INFIMO ALTARIS GRADU:

Pulvinar nobile.

PRO SPONSIS:

Genuflexorium duplex et sedes seu scabella duo, quae floribus stipari possunt.

› Sedes pro sponsis locentur quatuor vel quinque passus ab altari ne impediant episcopum et ministros (188).

PRO TESTIBUS:

Genuflexoria lignea simplicia cum sedibus seu scabellis, duo vel quatuor prout erunt testes, utrimque locentur prope cancellos sed extra presbyterium.

PRO OMNIBUS:

Ritus servandus cum missa et benedictione nuptiali lingua latina et vulgari, typis tempestive excudendis, adjectis in memento pro vivis sponsorum nominibus.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

245

ART. I — PRAEPARATIO

Accessus episcopi

1 — Paulo ante horam pro initio functionis statutam, episcopus solito more ad ecclesiam accedit, ad cujus januam recipietur a duobus suis assistentibus cum caeremoniario et clerico 1.° de abaco, qui vasculum aquae lustralis portabit.

Episcopus, facta aspersione, sui ipsius tantum si non sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, ad altare maius accedit, sequentibus suis assistentibus.

Praeparatio ad missam

2 — Episcopus, facta cruci debita reverentia, flexis genibus super pulvinar, orat ad momentum; accedit deinde ad faldistorium a latere epistolae positum, et legit praeparationem ad missam, quae omnia fiunt solito more.

Vestitio episcopi

3 — Praeparatione finita, episcopus, depositis mozeta seu manteleto, et assumpto bireto, lavat manus; deinde a 1.° capellano, adjuvante 2do. sacris induitur vestibus, et 1mus. capellanus mitram capiti ejus imponit.

Sponsorum ingressus

4 — Cum episcopus sacras induerit vestes, sponsi cum suis patrinis ecclesiam ingrediuntur, ad genuflexoria ipsis praeparata accedunt, et exspectant stantes.

Iter episcopi ad altare

5 — Cum sponsi ad loca sua se sistunt, episcopus, accepto baculo, assurgit et moram facit, dum clerici duo de abaco faldistorium locant in medio plano altaris, id est, suppedanei.

Episcopus, medius inter suos assistentes, oras pluvialis ejus sustinentes, ad altare accedit, et sequuntur ministri insignium; facta cum suis ministris debita cruci reverentia, ad altare ascendit et sedet, dum assistentes loca sua mutant.

246 VESTITIO EPISCOPI AD THRONUM. Si celebrans sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, et aderit thronus, fas ei erit ad illum ascendere pro praeparatione ad missam et ad sacras capiendas vestes, ac etiam in fine ad illas deponendas, et pro gratiarum actione.

247 VESTITIO EPISCOPI IN SACRARIO SIVE SECRETARIO.

Laudabiliter episcopus, etiamsi sit ordinarius loci, legit praeparationem ad missam et sacras induit vestes in sacrario seu secretario, et cum sponsi ad loca sua in ecclesia accedunt, ad altare accedit ordine tradito. Missa finita, episcopus, accepta mitra vel etiam baculo si eo utatur, ad sacrarium seu secretarium recedit cum suis ministris, sacras deponit vestes et gratias Deo agit.

248 ART. II — MATRIMONII RITUS

Denuntiatio

1 — Cum multis in locis, priusquam ad matrimonium procedatur, fiat brevis denuntiatio nominum illorum qui matrimonium contrahere volunt, ut impedimenta, si quae sint, declarentur, assistens 1mus. in loco suo denuntiationem legat.

Sponsorum accessus

2 — Clericus 1mus. de abaco sumit lancem cum annulo, et 2us. vasculum aquae lustralis cum hyssopo, et, facta cruci genuflexione, se sistunt ad latus evangelii.

Episcopus baculum reddit ministro, qui recedit et se sistit in plano a latere epistolae, facie ad ministrum de mitra versa, qui stabit a latere evangelii.

Sponsi, ad nutum caeremoniarii, ad altare accedunt, sequentibus suis testibus utrimque, et, facta in planum genuflexione, stant ante gradus altaris.

❯ Sponsi, priusquam ad altare accedant, chirothecas deponunt ut manus liberas habeant; sponsa vidua vero, in Anglia vel ubi talis viget consuetudo, manum dexteram habebit chirotheca velatam. Martène, tomus II, pg. 125.

Consensus matrimonialis

3 — Caeremoniarius assistenti 2do. tradit pagellam cum sponsorum nominibus, et cum forma consensus in vernaculo.

Episcopus patrio sermone sponsum seorsum interrogat, exprimens nomina et cognomina tum sponsi tum sponsae dicens

N. Vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem, juxta ritum sanctae matris Ecclesiae?

Respondet sponsus *Volo.*

Deinde episcopus eodem modo sponsam interrogat

N. Vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum, juxta ritum sanctae matris Ecclesiae?

Respondet sponsa *Volo.*

Dexterarum conjunctio 4 — Sponsi ad supremum altaris gradum accedunt, genua flectunt, et, jubente episcopo, dexteras jungunt (189).

Episcopus dicit *Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen,* ter illos dextera benedicens.

❱ Testes et ceteri omnes stabunt in matrimonii celebratione.

Aspersio 5 — Assistens 1mus. episcopo tradit hyssopum, qui sedens sponsos aspergit, et hyssopum assistenti reddit.

Annuli benedictio 6 — Ministri de libro et candela, facta in plano genuflexione, accedunt versus sinistram antistitis.

Clericus 1mus. de abaco se sistit flexis genibus in suppadaneo seu superiori gradu a dextris episcopi, qui, deposita mitra, surgit et annulum benedicit dicens *Adjutorium nostrum* cum versiculis qui sequuntur et oratione *Benedic, Domine,* semel et iterum annulum dextera benedicens.

Accepto hyssopo de more a 1.° assistente, episcopus annulum aspergit, hyssopum reddit assistenti, sedet et accipit mitram. Clerici cum lance et aqua lustrali, facta in planum genuflexione, ad abacum se conferunt.

Annuli traditio 7 — Pontifex annulum e lance accipit et sponso tradit, qui illum in digito annulari seu quarto sinistrae manus sponsae immittit, dicente episcopo *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen,* ter sponsis dextera benedicens.

Sponsorum benedictio 8 — Episcopus, deposita mitra, assurgit et recitat versum *Confirma hoc, Deus* et alia prout in RR habentur, et ultimo recitat benedictionem *Respice quaesumus,* cum qua clauditur matrimonii ritus.

Sponsi assurgunt, in planum descendunt, et, facta genuflexione cruci simul et episcopo, ad loca sua recedunt. Testes genuflectunt cum sponsis et recedunt ad loca sua extra cancellos.

Ministri de libro et scotula, facta genuflexione, ad abacum redeunt.

Episcopus, accepta mitra et baculo, descendit in planum cum suis assistentibus, et, facta cruci debita reverentia, accedit ad faldistorium,

quod a clericis de abaco seu a sacrista locabitur a latere epistolae ut prius, ibique sedet et reddit baculum ministro (190).

249 **RITUS PECULIARES.** Multis in locis exstant ordines proprii pro matrimonio celebrando, quibus stare debet episcopus celebrans (191). Ex iis ritus principaliores sunt qui sequuntur.

1 — IN MANUUM JUNCTIONE. Junctis conjugum dextris, episcopus eas extremitatibus stolae circumligat, dum primo sponsus, deinde sponsa, formam superius traditam repetunt in prima persona *Ego N. recipio te N. hic praesentem in legitimam uxorem juxta ritum sanctae matris Ecclesiae*. Idem repetitur ab uxore, mutatis mutandis; deinde celebrans recitat formulam *Ego conjungo vos* etc.; stolam aufert et sponsos aspergit dicens *Per aquae benedictae aspersionem det vobis omnipotens Deus suam gratiam et benedictionem.* AEM tom. I, col. 1394 (192).

2 — IN ANNULORUM TRADITIONE. Ubi duo benedicuntur annuli, sponsus annulari sponsae digito annulum inducit; deinde idem facit sponsa cum annulo sponsi. Annuli benedicuntur in singulari per modum unius (193).

250 ART. III — MISSA ET SPONSORUM BENEDICTIO

Vestium mutatio 1 — Episcopus deponit mitram et pluviale, vel etiam formale si eo utatur, et induit casulam et mitram (194); deinde, accepto baculo, assurgit, et, medius inter suos assistentes, qui procedunt aliquantulum retro, ad altare accedit, sequentibus ministris de mitra et baculo.

Missa 2 — Episcopus, reddito baculo et mitra pariter deposita, cruci debitam facit reverentiam et incipit missam. Assistentes utrimque flexis genibus, etiamsi sint praelati, episcopo respondent.

Missa celebrabitur ab episcopo ritu missae lectae proprio, cum mutationibus quae infra recensentur.

Sponsi ad genuflexoria ipsis praeparata missae assistunt.

Patrini seu testes et invitati missae assistunt extra presbyterium, cum ingressus in presbyterio sit ipsis prohibitus. DD 157; 175; 1258; 1288.

Nuptiarum benedictio

3 — Dicto *Pater noster* usque ad *Amen* inclusive, episcopus facta cum suis assistentibus simplici genuflexione Sacramento, se retrahit ad cornu evangelii (195) et ad sponsos se vertit. Assistens 1mus., qui ad missale inservit, cum candela in manu, stabit a dextris episcopi (a cornu evangelii); assistens 2us. ibit ad dexteram 1mi. ne tergum Sacramento obvertat.

Minister de libro, facta in plano genuflexione, ascendit ad superiorem gradum altaris versus pontificis sinistram, qui, junctis ante pectus manibus, legit clara voce super sponsos, in locis suis genuflexos, orationes duas *Propitiare, Domine,* et *Deus, qui potestate virtutis tuae.*

Continuatio missae

4 — Minister de libro, facta in superiori gradu genuflexione, descendit et ad abacum redit.

Episcopus cum suis assistentibus ad altare se vertit (qui candelam sustinet, eam super altari locat), et, facta Sacramento simplici genuflexione, solito more missam prosequitur.

℣ Si genuflexoria pro sponsis extra presbyterium sint posita, ita ut longe distent ab altari, cum episcopus incipit dicere *Pater noster,* caeremoniarius invitabit sponsos ad altare; ipsi, facta in planum genuflexione, genua flectunt in infimo gradu, et, recitatis ab episcopo benedictionibus, assurgunt, in planum genuflectunt, et ad loca sua redeunt.

Osculum pacis

5 — Caeremoniarius, vel eo deficiente, assistens 2us. qui a dextris episcopi stat, accepto a 1.° clerico de abaco instrumentum pacis, illud episcopo tradit osculandum (post 1mam. orationem pro communione), deinde, facta Sacramento genuflexione, illud osculandum fert ad sponsum et ad sponsam, dicens singulis *Pax tecum,* qui respondent *Et cum spiritu tuo* (196).

Sponsorum communio

6 — Episcopus, sumpto Pretioso Sanguine, dabit sacram Eucharistiam sponsis solito more ad genuflexoria sua, vel, si sint extra presbyterium, ad cancellos, 1.° assistente catinum ante ipsos sustinente (197).

Sponsorum benedictio finalis

7 — Dicto *Benedicamus Domino* vel *Ite Missa est,* juxta rubricas, minister de libro simul cum altero de candela, facta genuflexione, se sistunt in medio ante episcopum, qui super sponsos in locis suis genuflexos, recitat orationem *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob,* cum qua finis imponitur nuptiarum benedictioni, et recedunt ministri de libro et candela.

℣ Si necesse sit, sponsi ad altare iterum accedunt prout in superiori paragrapho dictum est, et, oratione recitata, ad loca sua redeunt.

Exhortatio

8 — Clerici de abaco seu sacristae faldistorium locabunt in medio suppedaneo, et 1mus. clericus cum vasculo aquae lustralis et hyssopo se sistit in planum a latere evangelii.

Episcopus sedet et mitram accipit; sedent etiam sponsi, et pontifex facit exhortationem brevem solemnitati accommodatam.

℣ Si benedictio papalis concedenda erit, nuntius per telegraphum missus hoc loco legatur.

Aspersio finalis

9 — Clericus cum aqua lustrali se sistit prope 1mum. assistentem, et episcopus, debitis cum osculis accepto aspersorio, sponsos aspergit et hyssopum reddit assistenti.

Finis missae

10 — Aspersione facta, episcopus sedet, mitram deponit et assurgit; faldistorium amovebitur, et episcopus, dicto *Placeat,* dabit, capite nudato, benedictionem pontificalem dicens *Sit nomen Domini benedictum,* deinde recitat ultimum evangelium juxta rubricas.

℣ Preces finales Leonis XIII omittuntur.

Episcopus, accepta in cornu evangelii mitra et baculo, et facta cruci parva capitis inclinatione, in planum descendit, ubi cruce de more honorata, redit ad faldistorium, ubi solito more sacras deponit vestes, assumit chorales, et legit orationes pro gratiarum actione.

℣ Episcopus, cum ad faldistorium accedit, permissum discedendi dabit sponsis.

℣ Si episcopus sacras vestes ad thronum assumpsit vel ad sacrarium, ordine quo venit, revertitur ad thronum sive sacrarium.

251 B — CUM MISSA AB ALIO CELEBRATA

1 — Episcopus, manuum lotione omissa, super rochetum induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale.

2 — Omnia fiunt ut in articulis I et II (nn. *245-249*); sed, matrimonii ritibus expletis, episcopus cum ad faldistorium sedet (n. *248*, 8), sacras deponit vestes et accipit chorales.

3 — Episcopus cum suis assistentibus recedit ad sacrarium, et accedit celebrans, qui missam celebrabit et sponsos benedicit ritu tamen sacerdotali.

› Episcopus, si maluerit, missae assistat ad genuflexorium in cornu evangelii, sine ulla canonicorum assistentia; celebrans omnia facit ipse; sed si episcopus sit loci ordinarius vel praelatus amplioris gradus, celebrans servabit regulas pro missa lecta coram praelato maiore.

› Si episcopus velit sermonem ad sponsos habere, id faciat expletis matrimonii ritibus, priusquam missa initium habeat.

252 C — SINE MISSA

1 — Episcopus, manuum lotione omissa, super rochetum induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale.

2 — Omnia fiunt ut in articulis I et II (nn. *245-249*); sed, dicta oratione *Respice quaesumus*, episcopus recitabit alternatim cum suis assistentibus psalmum 127 *Beati omnes*, cum *Gloria Patri*. Dicit deinde *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster* secreto usque ad V. *Et ne nos inducas in tentationem.* R. *Sed libera nos a malo.* Dictis VV *Domine exaudi et Dominus vobiscum*, episcopus recitabit orationem *Benedic, Domine,* dextra sponsos benedicens. Ultimo, manibus elevatis et extensis super sponsos, recitat benedictionem *Dominus Deus*.

› Si tempus sit benedictioni nuptiali clausum, post versum *Dominus vobiscum*, omissis orationibus *Benedic Domine* et *Dominus Deus*, dicitur tantum oratio *Praetende, quaesumus*.

› Haec benedictio extra missam danda est, ex apostolico indulto, quando missa pro sponsis, vel de die cum eorum benedictione, non erit celebranda, nec in die nuptiarum nec alio die.

3 — Benedictione impertita, recedunt ministri de libro et scotula; sponsi annulum pontificis osculantur et recedunt ad loca sua. Episcopus sedet, mitram accipit et sermonem ad sponsos habebit circumstantiis accommodatum.

› Sponsi et invitati, dum loquitur pontifex, poterunt, accepta venia, sedere.

4 — Episcopus, accepto baculo, in planum descendit cum suis assistentibus, et, facta cruci debita reverentia, accedit ad faldistorium (a latere epistolae interim positum) ubi sacras deponit vestes et accipit chorales.

5 — Episcopus cum suis assistentibus ad sacrarium vel ad narthecem accedit, et post eum sponsi cum testibus, ad pagellam ratificationis subscribendam.

NOTAE AD SECTIONEM VI

(163) Ritus pontificalis pro baptismo ministrando habetur compendiose in RR, tit. II, cap. VII, et per extensum in appendice ad PR. Cum non sit ordinis pontificalis in corpore PR locum nunquam habuit. Ad rem tamen Martène *Igitur in solis primum episcopis jus baptizandi resedisse, constans est indubitata sententia*. Propterea in solis cathedralibus ecclesiis exstitisse baptiteria docet nos idem dux et magister. Tom. I, pg. 5 et 6. Hodierno etiam jure fas est episcopo adultorum baptismum solemnius conferre, praesertim in duobus vigiliis, Paschae videlicet et Pentecostes, quando solemniter celebrat. CJC 744.

(164) Juxta principium generale *mitra et baculus sunt correlativa* (CE I, 17, n. 8), proinde episcopus quoties mitram induit, debet etiam baculum sustinere, nisi ritus facere debeat qui manus liberas requirent. Commoditatis gratia tamen PR, RR et auctores, episcopum ab usu baculi excusant dum baptizat.

(165) Color altaris sequitur missam et officium, nec proinde mutari debet primo in colore violaceo, deinde in colore albo si episcopus, infantes vel adultos baptizaturus, ibidem sacras induat vel deponat vestes, sicut docet MM et post eum LVH. Baptismus non fit ad altare sed in baptisterio, et decet episcopum in secretario sacras assumere vestes juxta monitum PR.

(166) Crux cum candelabris pro parvulorum baptismate a PR excluditur, et RR etiam tacet. MM vero, quem sequutus est LVH, dicit crucem adesse cum candelabris. Maluimus sequi rubricas appendicis PR et crucem cum candelabris excludere; quae tamen adhibentur in adultorum baptismate quod solemniori ritu, processionibus non exclusis, celebratur; ita etiam fieri mandavit Benedictus XIII in suo Rituali pro adultorum baptismo in appendice PR apposito.

(167) In RR Pauli V rubricae de manus impositione pro pueris vel adultis legebantur sicut nunc exstant in appendice ad PR *Pontifex... imposita manu... dicit* vel *imponit manum... et dicit.* Non agitur de duobus manus impositionibus, 1ma. singulis si plures, et 2da. communis pro omnibus dum recitatur collecta vel exorcismus; nam duplex impositio non praecipitur in textu PR: agitur de rebus diversis: manus impositio et collecta ad ritus qui praecedunt claudendos, in quibus nulla habetur referentia ad impositionem manus. Quo tamen non obstante, non nulli auctores cum MM extensionem manus tempore orationis praecipiebant. Ad dubium deponendum editio typica RR, a Pio X anno 1913 edita, rubricas immutavit, ibi enim legitur *Sacerdos imponat manum... et postea dicat;* quae quidem solutio,

optimo consilio data, cum natura rituum perfecte consonat, nam principalis impositio est ea quae fit super singulos baptizandos; extensio manus ad orationem est quaestio secundaria relate ad orationem ipsam, quae est res principalis.

Sic finita erat controversia. Sed editio typica post codicem a Primo Battistini exarata (1925), praecipit fieri toties duas manus impositiones: una singulis, altera omnibus simul, ita ut tredecim fiant modo in baptismo adulti impositiones: septem sigillatim et sex super omnes simul.

Insuper manus extensio *dum* fiunt exorcismi consignatorii evadit supervacanea et practice impossibilis, cum ipsa consignatio sit manus impositio, et duae simul, benedictio nimirum et manus extensio fieri nequeunt. Id valet etiam pro exorcismo tertii scrutinii masculi sexus, nam rubrica RR (1925) praecipit extensionem manus cum in textu faciendae sunt cruces. In exorcismo *Nec te latet,* manus impositio absonat. Vide Catalanum, in RR commentaria, tomus I, pg. 89.. Maluimus stare textui rubricarum appendicis PR. Exoptare liceat ut tandem aliquando iterum ad rubricas RR Pii X deveniamur.

(168) PR semper jubet ut episcopus elementa in functionibus ab ipso adhibenda, ab eodem benedicantur; sic fit pro benedictione primi lapidis, consecratione vel reconciliatione ecclesiarum et similibus: episcopus uti non debet elementis ab inferiori ministro benedictis, aliam rationem invenire nequimus, sed vide notam 203.

(169) Cl. Menghini in nota dicit *Interdum pro exorscismis qui baptismum praecedunt, vidi mitram simplicem lineam adhiberi.* A CE (I, 17, n. 4) *sequens regula generalis statuitur* "Simplici mitra utitur episcopus feria VI in Parasceve et in Officiis et Missis defunctorum". MM vol. 4, pg. 2. Sed regula generalis CE pro missis et officiis statuitur, et usus mitrae simplicis albae a PR frequenter praecipitur pro ritibus qui minime sunt defunctorum. Hoc loco dicit rubrica *depositis mitra simplici... accipit mitram auriphrygiatam.* Idem repetitur ubi de praeparandis pro adultorum baptismo et antequam intrat baptisterium. Sic enim fiebat tempore Benedicti XIII in Ecclesia Beneventana. Maluimus sequi usum communiorem de mitra auriphrygiata inde ab initio functionis adhibendum ut docet RR, tit. II, cap. VII, 3, innovatio editionis typicae 1925. Sed juxta meliorem traditionem ageret episcopus qui mitram simplicem albam adhiberet pro ritibus catechumenatus.

Revera per totum PR agitur semper de mitra simplici, quae juxta antiquam traditionem est mitra alba, color omnium mitrarum; bis tantum in PR legis *mitra auriphrygiata,* reductio quaedam mitrae pretiosae. Usus mitrae e tela aurea loco mitrae simplicis albae Durando et ceteris auctoribus nostri Pontificalis ignotus erat, sicut etiam ignorabatur a Benedicto XIII, pro quo mitra simplex PR erat alba simplex. Vide notam 21 tomi I.

(170) Quaeritur: per totam functionem quomodo se sistunt catechumeni, flexis genibus vel stantes erecto corpore?

RR de eorum positione tacet, et usus receptus est ut stantes a sacerdotibus baptizentur. Sed episcopus ritus quamplurimos exsequitur sedens ad faldistorium, et

commode fieri nequeunt nisi electi genua flectant; proinde ritus pro adultis appendicis dicit in initio *catechizandus vero extra limen genuflectit;* et in fine ubi de infusione aquae dicit *electus... caput flexis genibus inclinantem.*

MM (tomus IV, pg. 13) dicit tantum *catechumenus stabit extra limen.* Regulam generalem sumendam putamus e ritibus 2ae. probationis, ubi catechumeni genua flectunt dum recitant orationem Domini, et stant dum episcopus dicit orationes et exorcismos.

(171) Rubrica *a dextris pontificis,* sicut illa RR *mares a dextris sacordotis,* legenda est more solito, videlicet a dextris cum pontifex se sistit in eadem positione ac neophyti, et non a dextris episcopi in faldistorio sedentis; sic enim pontifex cum erit ritus super plures exsecuturus, incipiet a masculino sexo a dextris sicut in aliis functionibus liturgicis, v.g. in sacra communione dstribuenda. Ita O'Kane, *The Roman Ritual,* Dublin 1932. pg. 227.

(172) Si plures sint catechumeni, post interrogationem *Quid tibi praestat?* episcopus in plurali recitabit semel exhortationem *Si vultis habere.* In ordinationibus exhortationes fiunt semper in plurali; latet ratio cur hoc loco repeti debeat decies si decem sint catechumeni. Optandum ut in definitiva editione PR rubrica haec immutetur.

(173) Notetur differentia: Insufflare est actus bellicosus et fit compressis labiis; halare est actus pacificus et fit ore totaliter aperto.

(174) Physicus tactus capitis laudabiliter fieri potest, sed non requiritur. Baruffaldus, Commentaria in RR tit. XI, n. 9.

(175) In ritu baptismi adulti septies ei imponitur manus. Quaeritur: impositio hujusmodi fieri debet ab episcopo cum vel sine mitra? Ritus pro adultis Ecclesiae Beneventanae, et in appendice PR appositus, quaestionem solvit non ex modo quo impositio fieri debet, sed ex ritu insequenti, nam cum episcopus facilius sedens mitram deponit, statuit rubrica ut sine mitra assurgat pro manus impositione si postea sequatur oratio sine mitra recitanda; infulatus vero manum imponit si sequatur exorcismus pro quo mitra sit adhibenda; exinde sequitur fieri quinque manus impositiones sine mitra, cum mitra duas. MM tamen facit episcopum in 2do. scrutinio, tam pro masculis quam pro feminis, manum imponere cum mitra, quam postea deponit.

Hujusmodi modus solvendi talem quaestionem principiis pro usu mitrae a PR statutis se opponit, et ritum impositionis manus ad quaestionem secundariam reducit. Optandum ut in definitiva editione PR talis agendi modus deleatur; expedit enim ut episcopus infulatus manum imponat, et postea mitram deponat si subsequens oratio id exigat. Vide notam 73 1mi. tomi.

(176) Statutum est in RR pro baptismo parvulorum ut verba *et hoc signum sanctae crucis* etc. super singulos repetantur cum consignantur; est enim regula generalis ubique in RR et PR observata; error in ritu baptismi adultorum exortus est

e mala dispositione typographica orationis: post *vocare dignatus est* punctus apponatur, ut in eodem exorcismo pro parvulis legitur in RR.

(177) Hoc loco in RR et in appendice ad PR nullus reperitur exorcismus; appositus fuit tamen in editione typica anni 1925 ad uniformitatem consequendam; sed sic ter repetitur idem exorcismus; melius apponeretur exorcismus qui legitur in 2do. scrutinio pro masculis, ne fiat ter de eodem. Sequimur in casu appendicem ad PR.

(178) Exorcismi semper fiunt ab episcopo stante. Hoc loco vero praecipit rubrica ut recitetur ab episcopo sedente. Latet distinctionis ratio.

(179) Impositio chrismalis hic praecipitur ad honorem sancti chrismatis, sicut cum fideles confirmantur vel episcopi consecrantur seu altaria dedicantur; non est vestitio, nec solent masculi in ecclesia caput coopertum habere, nec velatio mulierum in mentem venit rubricae. Usus chrismalis tamen generatim obsolevit, et MM de eo tacet. Vide Callewaert, *Sacris erudiri*, pg. 721, Steenbrugge 1940.

(180) Hac de re egit Benedictus XIII in concilio romano anno 1725, frustra tamen, quia etiam Romae neophyti solent se praesentare cum vestibus albis inde ab initio functionis; nec proinde vestes mutant post aquae lustrationem; sufficit si ad hoc pro utriusque sexus adultis praesto sint, vel tunicae albae aliis vestibus superimponendae, vel ad minus pallia alba humeris locanda; mulieres tamen, juxta regulam apostolicam, aderunt velo capite cooperto, pro functionibus quae sequuntur.

(181) In Ritu Romano, licet Baptismus, praesertim adultorum, sit functio solemnis, desiderantur tamen elementa tria quae in solemnibus ritibus adesse solent, sacri videlicet ministri, cantus et incensatio.

(182) Ritus suppleri possunt etiam solemnissime, praesertim in locis ubi, propter aëris intemperiem, pueri privatim domi frequenter baptizantur, gallice dicitur *ondoyer*. Pius Papa IX legatum a *latere* creavit Cardinalem Patrizi ut ritus baptismales suppleret supra Galliae Principem anno 1856.

(183) A — Mutationes factae in RR pro supplendis omissis ad sequentia in ritu pro parvulis reducuntur:

1.° Oratio *Omnipotens* in initio sic legitur ...*super hunc famulum tuum, quem dudum ad rudimenta fidei* etc. Et in fine additur *ut idoneus sit frui gratia Baptismi tui quem suscepit, salis percepta medicina.*

2.° In oratione *Deus Patrum nostrorum* omittitur *primum* (*pabulum salis*); et postea legitur *Et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus Domine,* etc.

3.° In oratione *Aeternam ac justissimam* legitur *ut dignus sit frui gratia Baptismi tui quem suscepit;* et in fine additur *ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui.*

4.° In ultimo exorcismo loco *ut fiat templum Dei vivi,* legitur *ut fieret.*

5.° Interrogatio *Vis baptizari* et Baptismus omittuntur.

Ad dictas mutationes sequentia notentur:

I) Huiusmodi modificationes non erant absolute necessariae, tum quia, ut dictum est, fictio juris supponit agi de catechumeno, et verba immutata minoris momenti sunt relate ad totum ritum, qui Baptismum nondum receptum ex ipsa ipsorum constitutione supponit. Hoc clarius apparet ex insequenti adnotatione pro adultis.

II) Ubi mutationes scriptae fuerunt, in usu erat ut in Baptismo privato sal traderetur; proinde in oratione *Deus Patrum nostrorum* deletum fuit verbum *primum,* et in oratione *Omnipotens* additum fuit *salis percepta medicina.* Apparet contradictio rituum cum statim sal erit exorcizandus et tradendus. Conferatur eadem oratio pro Baptismo adulti in fine, ubi legitur tantum *percepta medicina.* Praeterea nullibi praecipitur ut in Baptismo privato fiat salis traditio.

B — In ritu pro supplendis omissis in adultorum Baptismo sequentes habentur mutationes:

1.° Orationes tres *Omnipotens, Deus Patrum nostrorum* et *Aeternam ac justissimam* leguntur ut pro parvulis prout supra dictum est.

2.° In exorcismo *Audi, maledicte* (2di. scrutinii pro masculis) loco *sanctificatum Deo templum et habitaculum perficiat,* legitur *perfecit.*

3.° In exorcismo *Nec te latet,* loco *ut fiat ejus templum,* legitur *ut fieret.*

4.° Interrogationes *Quid petis* et *Vis baptizari* ac baptismus omittuntur.

Ut innotescit legentibus, mutationes in ritu parvulorum factae, postea, prout exstabant, ad ritum adultorum transpositae fuerunt. In aliis orationibus adultorum propriis ne verbum quidem mutatum fuit. At ibi legis *et perducat eum ad gratiam Baptismi tui* (oratio *Deus Abraham*); *Baptismi tui donum petens* (oratio *Deus immortale praesidium*); *et perducere digneris ad gratiam Baptismi tui* (oratio *Deus caeli*) et in exorcismo *Nec te latet*: legitur *quem hodie ad... fontemque Baptismatis vocare dignatus est ut fieret ejus templum.*

Ex his clarius apparent quae superius dicta sunt, videlicet, per juris fictionem ritus fiunt super christianum quasi adhuc catechumenus sit; proinde mutationes factae in aliquibus orationibus, in aliis omissis, felicem exitum non obtinent, et quandoque (ut in exorcismo *Nec te latet*), sibi invicem contradicunt. Repetitio totius ordinis baptismi pro pueris et adultis separatim, quando supplendi sunt ritus, primum invenitur in editione typica RR anni 1913. Prius editi fuerunt privata typographorum auctoritate.

(184) Praecipit CJC (759) ut in Baptismo privato fiant, si commode fieri potest, ritus qui Baptismum sequuntur; sed etiam si facti fuerunt, repetantur ab episcopo, secus inutilis evadit mutatio coloris violacei pro albo, et tota functio quodammodo in suspensivo manet, nec finis imponitur; in casu quod abundat non obstat.

(185) Antiquissima regula est de neophytis a presbyteris, vel etiam ab inferioribus ministris catechizandis, ut postea ab episcopo baptizentur. Quae quidem regula conservata fuit in jure liturgico; non tamen satis constat an sit privilegium

episcopi loci ordinarii, an cujuslibet episcopi. RR tit. II, cap. VII, n. 5. Ut patet hoc nullo modo licet quando agitur de supplendis ritibus in baptismo pueri vel adulti omissis.

(186) Auctor unicus qui agit de Extrema Unctione ritu pontificali administranda est Guéranger, editor editionis parisiensis commentarii Catalani ad PR, tomus III, pg. 444. Sed antiquitus id fiebat sat frequenter. Leroquais tradit figuram cujusdam episcopi infulati infirmum ungentis. *Planche LV.* Et in quibusdam antiquis pontificalibus ritum invenies in commodum episcoporum, v.g. Pontificale saeculi XIII; ibidem, tome I, pg. 230, n. 71.

(187) In appendice ad PR h.l. praecipiebatur usus mitrae pro benedictione pontificali et etiam semel et iterum pro manuum lotione intra missam. Rubricae tamen immutatae fuerunt in editione typica ratisbonensi anni 1888, praecipientes usum mitrae pro exhortatione finali tantum. Revera usus mitrae intra missam lectam probari nequit. D. 4035, III. Vide Catalanum PR III, pg. 471, ed. 1852, et notam 105, tomi I.

(188) Stricto jure sponsi (et non sponsa sola) ad altare accedunt pro matrimonio et pro duabus benedictionibus intra missam, reliquo tempore ad loca sua recedunt extra presbyterium. Usus tamen receptus est prout exposuimus, nam si genuflexoria locentur extra chorum, sponsi tenentur ter ad altare accedere, praeterea extra presbyterium nequeunt Eucharistiam convenienter recipere.

(189) In editione RR anni 1925 addita fuerunt verba *ante altare genuflexos,* quae quaestiones duas suscitant. Ut constat, per plurima saecula usus erat ut sponsi matrimonium contraherent ad fores ecclesiae, postea ad altare accedebant ut benedictionem reciperent. Martène, II, pg. 131, 134. Nunc multis in locis adhuc viget usus ut matrimonium non ad altare, sed ad cancellos presbyterii seu chori celebretur; modus certe laudandus et a pluribus auctoribus valde commendatus. LVH Cérémonial, II, pg. 93; Fortescue, ed 2.ª, pg. 407; O'Kane-Fallon, The Roman Ritual, 1932, pg. 553; De Amicis, Il Cerimoniale Completo, ed. 3.ª vol. 3, pg. 104.

Usus etiam receptus est multis in locis ut sponsi stantes matrimonium contrahant; postea genuflectunt ad benedictionem recipiendam. Privilegium tamen est ordinis episcopalis ut pontifex sedens sacramenta administret; et cum sedet episcopus, sponsi genibus nitantur, secus incommoda evadit caeremonia.

(190) Ordo pontificalis pro sacramento matrimonii celebrando, prout exstat in appendice ad PR, in multis differt a ritu in RR dato; dicit tamen rubrica appendicis: aderit "liber hic sive Rituale Romanum" ergo sequi licet RR. In ritu appendicis ad PR juvat sequentia adnotare:

1.º Jubet rubrica (in initio) ut faldistorium *super ipso altari* paretur! Deinde episcopus ascendens, altare osculatur, quod tamen fieri nequit cum faldistorio in medio, nam locatio faldistorii convenienter fieri debet *ante* accessum episcopi. Vide notam 61, tomi I.

2.º Episcopus ipse in forma *Ego conjungo vos* dicit *Amen* (RR) et non sponsi seu ministri ut jubet appendix ad PR.

3.º Non solet episcopus assurgere pro unctionibus vel aspersionibus, nam sedens sacramentum administrat, rubricae appendicis tamen jubent ut episcopus assurgat pro aspersionibus.

4.º Verba *in modum crucis* pro annuli aspersione ex editione RR anni 1925 dempta fuerunt, quia in praxi non sic fiebat.

5.º Antiphona *Confirma hoc* non exstat in RR, seu rédacta fuit ad versum; nec cantari debet (juxta RR) cum functio sit lecta.

(191) Ordo RR pro sacramento matrimonii administrando est compendiosa nimis, consulto proinde jubet rubrica, juxta monitum Concilii Tridentini, ut laudabiles serventur locorum consuetudines; agitur tamen de consuetudinibus seu ritibus rite receptis et a conciliis particularibus sive locorum ordinariis adprobatis, et non de usibus quibuscumque.

(192) Ritus de manibus in extremitatibus stolae involvendis antiquissimus est, et multis in locis adhuc viget; modus tamen in praxi diversi omnino sunt. Juxta Instructionem pastoralem Raymundi episcopi Eystettensis (pg. 420) *Sacerdos dexteras conjugum junctas stola circumligat.* In Ecclesia Mechliniensi *Parochus... eas conjungit et stola involvit.* Van der Stappen, IV, pg. 379. Mediolani extremitates stolae locantur ad modum crucis. AEM tom I, col. 1395. In Portugallia et Brasilia ritus observatur, sed modo in praxi incommodo et difficili. Coelho, *Liturgia Romana,* tom. V, pg. 148. Vide Catalanum, RR I, pg. 447. Optandum ut ritus tali modo dissitis in locis receptus, tandem aliquando in RR locum inveniat, sicut etiam duorum annullorum benedictio et traditio.

(193) RR loquitur de annulo sponsae, sed jura et obligationes sponsorum mutua sunt, proinde multis in locis non unus sed duo benedicuntur annuli. Ita fit apud graecos (Martène II, pg. 140); Manuale Toletanum, per plurima saecula in usu in Hispania et locis Americae Latinae, jubet ut duo annuli benedicantur, et SRC interrogata jussit ut consuetudo servaretur. D. 3531, IV; sed consule indicem decretorum ad v. *annulus.* Vide Van der Stappen, Sacra Liturgia, IV, pg. 383. De duobus annulis loquitur etiam Shakespeare: A contract of eternal bond of love... strenghtened by interchangement of your rings. Twelfth Night, act. v, sc. I.

(194) Vidimus praelatum missam lectam pontificalem, chirothecis et sandaliis non exclusis, celebrantem pro nuptiarum benedictione, quod certe contrarium est rubricis missae lectae.

(195) Regula est generalis ut celebrans semper dextrorsum se vertat, et si Sacramentum sit super altari, ad cornu evangelii se retrahat. Latet ratio cur celebrans teneatur ad latus epistolae stare prout legit rubrica MR; in praxi admodum difficile erit caeremoniario (usu didicimus) rem ita ordinare; nam solet celebrans se vertere ut in missa, exposito Venerabili, et ad cornu evangelii benedictiones dicere. Frequenter in nostro commentario applicare debuimus iuris romani princi-

pium *consuetudo est optima legum interpres.* Callistratus 1. 37 de leg. 1, 3. Andrieu tome III, pg. 517. CJC 29. Ita etiam docet Lesage, Le mariage, Ed. Publiroc, 1938, pg. 26.

(196) Antiquissimus est usus pacem dandi sponsis, et in ritu pro benedictione nuptiali appendici ad PR apposito praecipiebatur; demptus tamen fuit ex editione typica Ratisbonensi anni 1888, cur nescitur; tamen dari debet juxta MM h.l. cum LVH; sed tantum si viget consuetudo juxta Moretti h.l. Cft. Martène, tom. II, pp. 129, 135, AEM tom. I, col. 1396.

(197) In ritu matrimonii, prout exstabat in appendice ad PR ante editionem typicam Leonis XIII, recitatio *Confiteor* ab ipsis sponsis praecipiebatur. Nunc, juxta regulam qua silentium laicis imponitur, *Confiteor* a ministro recitatur sponsorum nomine; nihil tamen impedit quominus simul recitetur a ministro *et* a sponsis, ita cl. Callewaert, Caeremoniale, ed. 1.ª, pg. 135.

SECTIO VII

DE BENEDICTIONIBUS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

SECTIO VII

DE BENEDICTIONIBUS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

TITULUS I

BENEDICTIO NAVIS

RR tit. VIII, cap. IX

252-A ☽ Non raro solent naves, praesertim maiores, ritu solemni benedici.

FUNCTIONI INTERVENIUNT:

Pontifex officium faciens.
Capellani assistentes duo.
Caeremoniarum magister.
Cantores duo vel quatuor, si psalmi sint canendi.
Ministri insignium quatuor, vel tres si baculus non inservit.
Ministri tres pro cruce et intortitiis.
Minister unus pro aqua lustrali.

☽ Capellani assistentes induunt superpelliceum, etiamsi alia veste chorali de jure utantur; 1mus mitram episcopo imponit et aufert.

253 PRAEPARANDA. Aderit locus pro vestitione episcopi, ubi parentur:

SEDES CAMERALIS super tapeto.

MENSA, alba tobalea cooperta, super qua aderunt vestes sacrae episcopi, videlicet: amictus, pluviale cum stola albi coloris, quae velo cooperientur; formale et baculus pastoralis si celebret ordinarius; vela

duo pro mitra et baculo, vel unum tantum; mitra auriphrygiata; lanx pro cruce pectorali; rituale formae maioris; scotula cum candela.

CRUX HASTATA cum duobus intortitiis.

SUPER ALIA MENSA minore pariter cooperta:

Concha cum aqua benedicenda.
Vasculum aquae lustralis vacuum.
Cochlear ad aquam hauriendam.
Sal in lance cum parvo cochleari.
Hyssopum ex herbis virentibus.
Manutergium.

❯ Si aqua jam sit benedicta, vasculum aqua plenum cum hyssopo super mensa maiori collocetur.

254 IN FUNCTIONE.

1 — Episcopus recipietur, in loco pro initio functionis parato, a suis capellanis cum caeremoniario et sedet; deposita deinde mozeta vel manteleto, induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale, vel etiam formale si eo utatur; ultimo accipit mitram, et baculum, si sit adhibendus.

2 — Episcopus accedit ad mensam paratam ubi exorcizat salem; deinde, reddito baculo et deposita mitra, illum benedicit; iterum mitra et baculo acceptis, aquam exorcizat; denuo depositis mitra et baculo, aquam benedicit, facit mixtionem aquae et salis, et recitat orationem finalem *Deus invictae virtutis auctor.*

❯ Episcopus, si velit, uti poterit aqua prius a sacerdote benedicta, sed vide notam 203.

3 — Caeremoniarius ordinabit processionem ad navem, quo sequitur ordine:

Crucifer cum intortitiis.
Cantores bini, si aderint.
Clerus functioni assistens.
Minister de aqua lustrali.

Episcopus infulatus, baculum in manu tenens, si ejus usu gaudeat, medius inter suos assistentes, oras pluvialis sustinentes.
Ministri de mitra et baculo.
Ministro de libro et scotula.

❯ Si celebrans sit metropolita, crucifer ejus, qui inde ab initio functionis superpelliceum erit indutus, procedit medius inter intortitia, sed immediate ante episcopum; minister de aqua lustrali et clerus functioni assistens ibunt ante crucem.

4 — In loco principali navis, clerus disponetur in ordine sive in corona, cum episcopo in medio; crucifer cum intortitiis se sistit facie ad episcopum versa.

5 — Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, qui, reddito baculo ministro, mitra exuitur, deinde canit versus *Adjutorium nostrum* et *Dominus vobiscum,* atque orationem *Propitiare, Domine,* dextera navem benedicens. Respondent omnes *Amen.* Oratione finita, recedunt ministri de libro et scotula, et episcopus mitra induitur.

6 — Ordinabitur processio per circuitum navis, ordine quo venit. Minister de aqua lustrali ibit versus dexteram 1mi. assistentis, qui episcopo tradit hyssopum. Episcopus, sinistra pectori apposita, circuit navem, a dextris et a sinistris aspergens. Minister de baculo, illum ferens, sequetur episcopum.

7 — Aspersione finita, episcopus hyssopum reddit assistenti et accipit baculum; minister de aqua lustrali accedit ad locum suum, et omnes redeunt ad partem principalem navis, ubi episcopus breviter adstantes alloquetur, prout expedire videbitur.

8 — Ibidem in navi, vel ubi maluerit, episcopus sacras deponit vestes et accipit chorales.

❯ Si adsint cantores, laudabiliter in processione ad navem cantentur psalmi laudativi nn. 148, 149, 150 vel alii. Dum fit navis aspersio cantores modulari poterunt ps. 50 *Miserere,* sicut aliis locis similibus a RR praecipitur.

❯ Ex ritu pro navis benedictione exposito, facile colligi poterit modus agendi in similibus benedictionibus RR.

255 **BENEDICTIO SACERDOTALIUM INDUMENTORUM;** tobalearum altaris; pallae seu corporalis; vasculi pro SSma. Eucharistia conservanda. RR tit. VIII, capt. XX ad XXIII.

(Remissive.)

Vide tom. II, sect. VII, de sacra supellectili benedicenda.

256 **SOLEMNIS BENEDICTIO CRUCIS.**

RR tit. VIII, cap. XXIV

(Remissive).

❯ Haec benedictio RR solemnis vocatur. In appendice ad RR alia habetur benedictio Crucis, quae solemnior nuncupatur. Benedictio solemnior, appendici ad RR apposita e PR excerpta fuit. De ea egimus in tomo II, sect. VIII, tit. I, n. *212.*

❯ Si episcopus velit novam crucem cum imagine Domini nostri Jesu Christi solemniter benedicere ritu huius capituli RR, id faciat ritu pontificali ut sequitur:

1 — Episcopus induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale auriphrygiatum rubri coloris, ac mitram e tela aurea. Aderunt capellani duo assistentes superpelliceis induti, et crucifer cum intortitiis.

2 — Ordinabitur processio cleri ad locum ubi crux benedicenda erit.

3 — In processione ad locum novae crucis cantores modulabuntur hymnum *Vexilla Regis prodeunt,* quod etiam in fine functionis cani potest, dum clerus et fideles crucem deosculantur.

❯ Consule ordinem superius datum pro benedictione navis.

257 **SOLEMNIS BENEDICTIO IMAGINIS** Jesu Christi Domini Nostri, B.V. Mariae, vel alius sancti. RR tit. VIII, cap. XXV.

(Remissive).

Vide tom. II, sect. VIII, tit. III, n. *217.*

258 **RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM PRO ECCLESIA AEDIFICANDA.**

RR tit. VIII, cap. XXVI

(Remissive).

Vide tom. II, sect. I.

1 — RR hoc loco tradit ritum PR ordine sacerdotali dispositum. In hoc tantum differt a PR, nam benedictio et aspersio ad fundamenta fit por modum unius, divisionibus demptis.

2 — Episcopus primarium lapidem parvae ecclesiae benedicens servare potest ritum RR, sed quoad fundamentorum benedictionem tantum, cum ritus PR supponat agi de magnis ecclesiis.

3 — Praelatus seu abbas qui de jure primarium lapidem ecclesiae seu oratorii ritu pontificali benedicere potest, agat prout in tomo II habetur, sed adhibita formula RR pro fundamentis si ecclesia sit parva.

TITULUS II

RITUS BENEDICENDI SOLEMNITER NOVAM ECCLESIAM SEU ORATORIUM PUBLICUM

RR tit. VIII, cap. XXVII

CAPUT I

259 PRAENOTANDA

1 — Cum nec ecclesiae omnes consecrentur, vel divino cultui inservire debeant antequam consecrentur, exstat in RR ritus servandus ut ecclesiae Deo aliquo modo dicantur, ritu videlicet benedictionis solemnis. Vide notam 28 tomi II.

2 — More ecclesiarum solemniter benedici possunt oratoria tum publica, tum semipublica, non autem oratoria privata seu domestica (CJC 1196 § 1), etiamsi gaudeant privilegiis oratorii semipublici, uti oratorium loci ordinarii; seu ut benedici possit, oratorium semipublicum revera sit ad hoc aedificatum, et non solum cubiculum cujusdam domus; nec solemniter sunt benedicenda oratoria semipublica minora in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis etc. erecta (CJC 1192 § 4), nam quoad benedictionem oratoriis privatis aequiparantur, nisi et ipsa sint ad instar publici oratorii aedificata.

3 — Licet ritus sit sacerdotalis, solent tamen episcopi, praesertim in locis ubi ecclesiarum consecratio vix cognoscitur, ecclesias solemniter benedicere; commoditatis gratia, proinde, hic dabimus ritum servandum ut functio revera sit pontificalis (198-199).

CAPUT II

CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

260 ADERUNT

Pontifex officium faciens.
Sacri ministri.
Caeremoniarius.
Cantores, duo vel quatuor.
Ministri quatuor pro libro, candela, mitra et baculo.
Ministri tres pro cruce et intortitiis.
Acolythi duo.

℣ Si clerus sit frequentissimus, aderit 2us. caeremoniarius.

261 EPISCOPUS utetur mitra auriphrygiata toto tempore functionis, orationibus exceptis; baculum adhibebit etiamsi non sit loci ordinarius, cum functio sit ordinarii propria; caudam habitus talaris non expedit, nec aderit proinde caudatarius.

SACRI MINISTRI (200) inserviunt in albis, diaconus cum stola (201). Diaconi munus erit mitram episcopo imponere et auferre. Diaconus dicit *Flectamus genua,* subdiaconus *Levate.*

GENUFLEXIO unico genu ad invitationem diaconi fit ab omnibus, exceptis episcopo, crucifero cum intortitiis, ministris de libro et candela.

CANTUS. Officium pontificale fit in cantu; orationes seu benedictiones cantantur tono recto; benedictio aquae lustralis tantum fit clara voce sine cantu; cantores psalmos modulantur, alternante clero, et non recitantur ab episcopo. Cantus habetur in supplemento ad RR (202).

TEMPUS. Ecclesiae benedici debent horis matutinis, cum missae celebratio, statim post benedictionem, sit praeceptiva. RR VIII, 27, § 12.

POPULUS. Juxta rubricas ecclesia erit totaliter vacua toto tempore benedictionis; si tamen supplicationes fiant in medio presbyterio, populus poterit ecclesiam ingredi *post* clerum, dummodo naves utrimque sint liberae, seu spatium loci adsit, ita ut ecclesia possit ab episcopo circumiri et aspergi.

Ecclesia clausa conservabitur, ne ingressus populo pateat, nisi finita benedictione vel post ingressum cleri.

CAPUT III

262 DE PRAEPARANDIS

COLOR: { Pro benedictione: albus.
Pro missa: missae celebrandae.

I — ECCLESIA intus, quantum fieri poterit, erit nuda et vacua; altaria pariter erunt nuda.

Praevideatur ut ecclesia possit intus, et, quantum fieri poterit, etiam ad extra, libere circumiri.

℣ Si celebrans sit loci ordinarius et velit missae solemni assistere vel pontificali ritu celebrare, parabitur thronus.

II — IN AULA ALIQUA prope ecclesiam seu in sacrario, parentur:

Sedes cameralis super tapetum.

A sinistris sedis: mensa alba tobalea cooperta, super qua aderunt vestes episcopi, videlicet: amictus, alba cum cingulo; stola et pluviale; formale si celebret ordinarius, quae velo cooperientur.

Mitra auriphrygiata seu ex tela aurea, sed vide notam 169.
Baculus pastoralis, parieti appositus.
Vela duo pro mitra et baculo;
Lanx pro cruce pectorali;
Rituale formae maioris;
Scotula cum candela.

PRO SACRIS MINISTRIS super alia mensa:

Amictus duo; albae duae cum cingulis; stola diaconalis; bireta duo.

PROPE MENSAM ministrorum:

Crux hastata.
Intortitia duo, sine candelabris.

PRO OMNIBUS :

Superpellicea et bireta.
Libri parvuli cum ritu benedictionis cum musicis notis.
Desclée 1933, n. 591.

III — AD ECCLESIAE JANUAM ad extra versus dexteram :

Parva mensa, cooperta alba tobalea, super qua aderunt :

Cochlear plenum aqua munda.
Vasculum aquae lustralis vacuum.
Cochlear ad aquam hauriendam.
Sal in lance cum cochleari minore.
Hyssopum ex herbis virentibus, serica vitta circumligatum.
Manutergium.

IV — IN MEDIO PRESBYTERIO (ab altari spatio congruenti) :

Faldistorium sua veste coopertum, cum pulvinari, super parvo tapeto. Vide notam 205.

℟ Si missa non erit in colore albo celebranda, super veste coloris missae faldistorii, aderit vestis albi coloris.

V — PRO MISSA CELEBRANDA :

Suis locis in sacrario parentur omnia quae missae solemni necessaria sunt, ritu sacerdotali sive pontificali celebranda, et tabella indulgentiarum, si erunt concedendae; candelabra cum cruce, antependium, mappulae et tapeta sternenda, aliaeque res ad ecclesiae vel altaris ornatum destinatae, quae, finita benedictione, a sacristis ad altare sive ecclesiam portentur; candelabra et crux cum tobaleis pro altaribus minoribus locentur prope ipsa.

CAPUT IV

263

RITUS SERVANDUS

ART. I — PRAEPARATIO

Ministrorum vestitio

1 — Hora a magistro caeremoniarum statuta, sacri ministri, choralibus vestibus depositis, sacras assumunt, et ceteri clerici superpelliceum induunt.

Adventus episcopi

2 — Rector ecclesiae cum caeremoniario exspectabunt episcopum ad januam sacrarii seu loci vestitionis, dum sacri ministri locum sumunt a lateribus sedis cameralis, cum inferioribus ministris locis suis prout melius dispositis.

Episcopus, omissa aspersione aquae lustralis, accedit per breviorem viam ad locum vestitioni destinatum, et, facta cruci ibidem posita reverentia, sedet et caput cooperit bireto; rector et sacri ministri reverentiam episcopo praestant, et recedit rector.

Vestitio episcopi

3 — Caeremoniarius vestes sacras pontificis clericis distribuit, qui, alius post alium, coram episcopo se sistunt, qui, bireto, cruce et mozeta sive manteleto depositis, sacris de more vestibus induitur a diacono, adjuvante subdiacono; ultimo a diacono mitra cooperitur, et exspectat sedens.

Processio ad januam ecclesiae

4 — Caeremoniarius ordinabit processionem ad januam maiorem ecclesiae, per externam viam procedens, quo sequitur ordine :

Praeibit claviger.
Crucifer cum ceroferariis.
Cantores bini.
Clerici duo de abaco.
Clerus functioni assistens.
Rector ecclesiae benedicendae in suo habitu chorali.
Pontifex, cum sacris ministris oras pluvialis sustinentibus.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et candela.
Familiares episcopi.

℟ Si celebrans sit metropolita, crucifer, prius deposito pallio et superpelliceo indutus, procedit immediate ante episcopum cum luminaribus; clerus ibit ante crucem, capitulo metropolitano excepto.

Cum omnia parata sunt, epicopus, accepto baculo, assurgit, et, facta cruci processionali debita reverentia, processio iter arripit.

264 ART. II — EXTRINSECA ECCLESIAE BENEDICTIO

Ante jajuam ecclesiae

1 — Cum processio ad januam maiorem ecclesiae pervenit, crucifer cum intortitiis se sistit ante januam, tergo ad illam verso; ministri de libro et

scotula stabunt ante crucem; episcopus cum suis ministris stabit coram janua; clerus assistens vel inserviens efformabit circulum cum cantoribus in medio, vel stabit in ordine, prout caeremoniario melius videbitur. Diagramma VIII.

Episcopus, reddito baculo et deposita mitra, cantabit orationem *Actiones nostras* pro functionis initio, deinde accipit mitram et baculum.

❯ Si adsit decretum loci ordinarii, vel alia legenda, ante januam ecclesiae locabitur faldistorium, sedet episcopus, et caeremoniarius decreta legit.

Aquae benedictio 2 — Episcopus cum suis ministris, praecedente cruce cum intortitiis, ceteri suis locis remanentes, ad mensam ad dexteram ejus positam accedit; crucifer cum intortitiis se sistit versus dexteram episcopi seu retro post mensam; ministri de libro et candela stabunt ad sinistram pontificis.

Episcopus sine mora benedicit aquam lustralem clara voce sine cantu, incipiens a versu *Adjutorium nostrum in nomine Domini* (RR tit. VIII, cap. II), advertens ut habeat baculum in manu et mitram in capite dum recitat exorcismos salis et aquae, mitram et baculum deponens pro orationibus et mixtione (203).

Post salis infusionem, diaconus episcopo tradit manutergium ad digitos abluendos.

Benedictione aquae finita, episcopus mitram induit, et acolythus 1mus. vasculum aqua lustrali implet, et se sistit ad dexteram diaconi, qui accipit hyssopum.

Aspersio cleri 3 — Episcopus pergit iterum ad januam et omnes se sistunt ut in initio; deinde, accepto hyssopo a diacono, intonat antiphonam *Asperges me*, seipsum aspergit, deinde sacros ministros et clerum circumstantem; quod si celebrans sit loci ordinarius, clerus genuflectit cum aspergitur, cantoribus exceptis, qui statim antiphonam complebunt (204).

Aspersio ecclesiae extrinsecus 4 — Caeremoniarius ordinabit processionem ordine statuto, sed acolythus cum aqua lustrali ibit versus dexteram diaconi, ita ut possit facile vasculum episcopo praebere. Processio ibit ad dexteram, ecclesiam totam circumiens. Diagramma VIII. Quodsi aliquo detineatur impedimento, ad januam iterum revertitur et circuit sinistram partem ecclesiae, prout de consecratione ecclesiae dictum est. D. 3852.

Dum fit ecclesiae circuitus episcopus modo continuo parietes templi asperget in superiori parte et in fundamentis seu circa basim repetens submissa voce antiphonam *Asperges me;* interim cantores, alternante clero, cantabunt psalmum 50 *Miserere.*

❯ Per circuitum sacri ministri ratione ministrationis ibunt sine biretis, nisi intemperies aliud expostulet.

❯ Si ecclesia sit magni ponderis repetentur versi psalmi usquequo ejus aspersio finem habeat.

❯ Si ecclesia sit parva vel clerus frequentissimus, in processione per circuitum ibunt cantores, ceteri, qui functioni assistunt, remanebunt suis locis ad ecclesiae januam.

Aspersionis complementum 5 — Aspersione finita, omnes se sistunt ante januam ecclesiae ut in initio functionis; expedito psalmo, cantabitur *Gloria Patri,* ad quod omnes caput profunde versus crucem inclinant, et repetitur antiphona *Asperges me.*

Ministri de libro et candela se sistunt coram episcopo qui dicit *Oremus;* canit diaconus *Flectamus genua;* subdiaconus *Levate,* et episcopus collectam *Domine Deus, qui licet* cum qua clauditur extrinseca ecclesiae benedictio.

❯ Ad litteram *N.* nominabitur sanctus vel sancta titularis (seu titulares) novae ecclesiae, non vero mysteria, si titulus sit aliquod mysterium.

265 ART. III — SUPPLICATIO IN ECCLESIA

Ecclesiae ingressus et litaniae 1 — Episcopus induitur mitra a diacono et accipit baculum de manu ministri. Ostiarii januam ecclesiae aperiunt et caeremoniarius 2us. ordinabit processionem ad presbyterium, ordine quo ad ecclesiam venit. Incepta processione, cantores duo post crucem procedentes cantabunt litanias sine duplicatione (semel cantant nomen titularis) et clerus respondebit.

Litaniarum prosecutio 2 — In presbyterio crucifer cum cerorefariis se sistunt ante gradus altaris, tergo ad illud verso; clerus se sistit ad locum suum in choro; ministri

libri et candelae et acolythi se sistunt ad abacum; ministri de mitra et baculo hinc et hinc ab episcopo spatio congruenti; episcopus, reddito baculo ministro, genua flectit super pulvinar in plano faldistorii, sacri ministri utrimque, et omnes simul genua flectunt.

Cantores duo flexis genibus in medio choro litanias prosequentur usque ad *Ut omnibus fidelibus defunctis* inclusive. Diagramma IX.

Priusquam versus supra decantetur, ministri de libro et candela se sistunt ante episcopum e latere faldistorii, qui assurgit cum suis ministris, et, accepto baculo, canit, non se vertens *Ut hanc ecclesiam et altare hoc, ad honorem tuum, et nomen Sancti tui N.* (dicit nomen titularis seu titularium vel etiam mysterii tituli) *purgare, et benedi+cere digneris,* dextera signum *unicum* crucis faciens.

Responso a clero *Te rogamus audi nos,* episcopus, reddito baculo, iterum genuflectit cum suis ministris, et recedunt ministri libri et candelae, ac cantores litanias perficiunt.

Dicto ultimo *Kyrie, eleison,* surgunt omnes, et episcopus a diacono exuitur mitra.

Oratio ad litanias complendas

3 — Ministri libri et scotulae se sistunt ut prius ante episcopum, qui canit *Oremus;* diaconus *Flectamus genua,* subdiaconus *Levate;* episcopus canit collectam *Praeveniat nos,* cum qua finis imponitur litaniis (205).

Deus in adjutorium

4 — Episcopus, eodem loco stans, canit in tono simplici *Deus, in adjutorium meum intende,* quod dum canit genuflectit unico genu et se signat, et statim surgit, et omnes ab eo exemplum sumunt. Respondet chorus *Domine, ad adjuvandum me festina.* Canit episcopus ipse solus *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Respondet chorus *Sicut erat,* etc.

Oratio ad supplicationes complendas

5 — Cantato ab episcopo *Oremus,* et a sacris ministris *Flectamus genua* et *Levate,* canit episcopus collectam *Omnipotens... qui sacerdotibus tuis,* cum qua finis supplicationibus imponitur; demum pontifex induitur mitra.

266 ART. IV — BENEDICTIO ECCLESIAE AD INTUS

Parietum aspersio

1 — Acolythus 1mus., cum vasculo pleno aqua lustrali et hyssopo, locum sumit ad dexteram diaconi. Pontifex intonat antiphonam *Benedic, Domine,* quae a cantoribus complebitur, deinde cum suis ministris facit reverentiam cruci processionali, et statim, procedente cruce cum luminaribus, dum ceteri omnes in locis suis remanent stantes, incipit (retro post altare maius) circumire ecclesiam ad intus, ad dexteram suam ambulans (206). Diagramma IX.

Dum fit circuitus, episcopus aspergit parietes in parte superiori et inferiori, prout fecit extrinsecus, interim repetens submissa voce antiphonam *Asperges me.*

Incepta aspersione, cantores, alternatim cum choro, cantabunt psalmos graduales: 119 *Ad Dominum cum tribularer;* 120 *Levavi oculos meos;* 121 *Laetatus sum,* cum *Gloria Patri* in fine uniuscujusque.

❯ Interim sacristae amovent faldistorium cum suo tapeto e medio presbyterio, et (nisi aderit thronus) illud locant a parte epistolae.

Aspersione finita, episcopus cum suis ministris ante medium altare revertitur, et omnes se sistunt ut prius. Expleto ultimo psalmo, cantores canunt doxologiam *Gloria Patri,* ad quam omnes caput cruci hastatae inclinant, ac repetunt antiphonam *Benedic, Domine.*

❯ Si ecclesia sit magna, finito psalmo 121, cantores prosequentur cantantes sequentes psalmos graduales (122, 123 etc.), quousque finiatur aspersio, et antiphonam repetunt in fine ultimi psalmi tantum (207).

Oratio ad complendum

2 — Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, qui, deposita mitra, canit *Oremus;* dicto a ministris *Flectamus genua* et *Levate,* canit episcopus collectam *Deus, qui loca nomini tuo dicanda,* qua finis imponitur internae purificationi novi templi; iterum a diacono induitur mitra.

Discessus episcopi

3 — Episcopus, accepto baculo, accedit ad thronum, si ejus usu gaudeat, vel ad faldistorium a latere epistolae, vel si maluerit, praecedente cruce cum ceroferariis et sequentibus ministris insignium, ibit ad sacrarium et aliquantulum quiescit.

› Interim sacristae, adjuvantibus clericis inservientibus, omnia in ecclesia et altari disponunt pro missa solemniter celebranda.

› Populus, si extra ecclesiam permansit, illam ingreditur.

267 ART. V — MISSA BENEDICTIONIS

› Sicut consecrationi, ita et ecclesiae benedictioni finis imponitur solemni Eucharistiae celebratione.

Altari vestito, et omnibus suis locis paratis, celebrabitur missa solemnis a rectore ecclesiae, vel ab episcopo qui ecclesiam benedixit.

Loci ordinarius laudabiliter missae assistet ad thronum, etiamsi ab alio episcopo facta fuerit ecclesiae benedictio.

268 MISSA erit de titulari, sive de mysterio vel de sancto in cujus honore ecclesia aedificata est. Missa est votiva privilegiata pro re gravi ad instar, cum *Gloria* (si color non sit violaceus) et *Credo;* dicitur unica oratio, sed fiunt commemorationes quae in duplicibus I classis locum habent. In praefatione et *Pater noster* adhibebitur tonus solemnis.

Diebus quibus missa solemnis pro re gravi impeditur, missa erit de die cum oratione titularis (ium) sub unica conclusione. Quoad ultimum evangelium serventur regulae generales.

› Laudabiliter ecclesiae benedicuntur in ipso die titularis cum missa et officio de eodem. Officium de titulari sub ritu duplici 1mae classis incipitur post benedictionem, seu ab hora tertia.

› Si episcopus aliquam ecclesiam suae dioeceseos ritu solemni benedicere nequeat, deputabit sacerdotem ad functionem exsequendam, cum benedictio lecta ecclesiae ritu pontificali fieri non liceat.

TITULUS III

BENEDICTIO SOLEMNIS CAMPANAE

RR Appendix, benedictio reservata I, 7.

Approbata a SRC die 22 Jan. 1908. D 4211.

CAPUT I

269 PRAENOTANDA ET REGULAE SERVANDAE

1 — Cum in RR habeatur ritus pro impositione primarii lapidis ecclesiae, benedictione sive reconciliatione novae ecclesiae vel coemeterii, desiderabatur ritus pro benedictione campanae ab episcopo vel a sacerdote facienda in ecclesiis tantum benedictis.

2 — Sicut ecclesiae, ita eorum campanarum benedictio, ritus est sacerdotalis; non raro tamen episcopi, qui ecclesias benedicunt, volunt etiam earum campanas benedicere; in commodum proinde episcoporum hic dabimus ritum pontificalem servandum, praesertim cum in decreto SRC declaratum est hanc benedictionem convenienter ab episcopis fieri.

3 — Ritus RR non est adhibendus pro campanis ecclesiarum quae consecratae jam fuerunt; nam a SRC approbatus tantum fuit pro usu in ecclesiis benedictis.

4 — Campanae benedictae, si ecclesia postea consecretur, debent et ipsae consecrari; proinde cum difficile sit campanas ex campanile auferre, et earum consecratio ibi fieri haud potest, consulto campanae ecclesiae benedictae, quae erit postea consecranda, consecrentur ritu PR, licet ecclesia nondum sit consecrata.

5 — Decet ut benedictio campanae ritu pontificali fiat solemniter, cum cantu scilicet et sacris ministris, prout infra habetur.

6 — Convenienter campanae benedicuntur horis postmeridianis, sed benedictio fieri etiam potest mane, statim post benedictionem ecclesiae antequam celebretur missa.

7 — Ritus servandus a SRC adprobatus fuit prout in appendice RR traditur, videlicet sine ulla fere rubrica de modo agendi; regulae proinde ex ritu consecrationis campanae PR sumendae erunt, ex quo haec formula brevior desumpta fuit.

8 — FUNCTIONI INSERVIUNT iidem ministri ac pro solemni ecclesiae benedictione; acolythus 2us. erit thuriferarius.

9 — EPISCOPUS ET SACRI MINISTRI servabunt regulas pro benedictione ecclesiae datas, tum quoad vestes, tum quoad modum agendi.

❱ Vide praenotanda pro campanarum consecratione. Tomus II, n. *178* s.

CAPUT II

270

PRAEPARANDA

COLOR: albus

I — IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI parentur omnia ut in ecclesiae benedictione, n. *262,* II; praeterea aderit thuribulum ardens cum navicula thuris, et libri parvuli cum ritu benedictionis campanae cum musicis notis pro omnibus. Desclée n. 594. Cantus in campanarum benedictione adhibendus exstat in supplemento ad RR.

II — CAMPANAE locentur in loco convenienti in vestibulo seu extra januam ecclesiae; praevideatur ut possint facile ab episcopo circumiri, non tamen erunt necessario suspendendae; poterunt pro libitu floribus stipari.

III — PROPE CAMPANAM spatio convenienti: Faldistorium sua veste coopertum (sine pulvinari) super parvum tapetum; utrimque scabella duo nuda pro sacris ministris, si habendus est sermo.

MENSA AD AQUAM BENEDICENDAM ut in benedictione ecclesiae habetur, n. *262,* III.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

271

ART. I — PRAEPARATIO AD BENEDICTIONEM

1 — Hora praestituta sacri ministri se sistunt prope sedem pro vestitioni episcopi paratam.

2 — Episcopus ad januam maiorem ecclesiae, seu ubi sacras vestes induere debet, a rectore ecclesiae cum caeremoniario de more recipietur.

3 — Episcopus sedet in sede sibi parata, deinde, facta aliqua mora dum omnes ad loca sua adeant, deposito bireto, assurgit, canit *Adjutorium nostrum in nomine Domini,* et respondent cantores *Qui fecit caelum et terram* (208).

Cantores statim incipiunt cantum ps. 50 *Miserere* cum aliis qui sequuntur, adhibito tono *in directo,* cum nulla habeatur antiphona (209).

4 — Clerici coram episcopo se sistunt, alius post alium, cum vestibus sacris, qui, depositis vestibus choralibus, a diacono, adjuvante subdiacono, sacris induitur; accipit mitram auriphrygiatam et baculum.

5 — A caeremoniario ordinabitur processio, ad locum ubi campanae sunt benedicendae, ordine statuto, n. *263,* 4.

Interim cantores psalmorum cantum prosequuntur.

6 — Praelatus sedet in faldistorio, prope campanas parato, cum suis ministris utrimque (qui tamen stabunt) quousque psalmorum cantus finiatur; ad *Gloria Patri* in fine septimi psalmi surgit episcopus et omnes caput profunde cruci inclinant.

7 — Accedit episcopus ad mensam pro benedictione aquae paratam, ubi, dicto *Adjutorium nostrum in nomine Domini,* aquam benedicit juxta formulam RR, tit. VIII, cap. II, servato modo in benedictione ecclesiae dato, n. *264,* 2.

272

ART. II — CAMPANARUM BENEDICTIO

1 — Aqua lustrali benedicta, se sistit episcopus ad faldistorium et ministri libri et candelae accedunt. Cantores cantabunt recto tono *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.* Episcopus canit *Pater noster* cum versibus qui sequuntur, quibus respondent cantores. Deinde antistes

canit orationem *Deus, qui per beatum Moysen,* in plurali pro pluribus. D 3630, II. Sedet episcopus et accipit mitram, ac recedunt ministri de libro et scotula.

2 — Minister de thuribulo coram episcopo se praesentant, flexis genibus si sit loci ordinarius, qui incensum, diacono naviculam ministrante, de more thuribulo imponit et benedicit; recedit thuriferarius et accedit acolythus cum aqua lustrali.

3 — Episcopus, accepto hyssopo a diacono, circuit dextrorsum campanam, vel omnes campanas simul, eas aspergendo per circuitum. Interim cantores cantabunt antiphonam *Asperges me.*

Ad locum suum reversus, episcopus reddit hyssopum diacono et recedit acolythus.

4 — Accedit thuriferarius, et episcopus, accepto thuribulo a diacono, campanam seu campanas semel circuit, eam vel eas incensans per circuitum (210). Interim schola cantabit antiphonam *Dirigatur, Domine.*

Episcopus, ad locum suum reversus, thuribulum reddit diacono, hic ministro, qui recedit.

5 — Ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo, qui, mitra prius deposita, canit orationem *Omnipotens Dominator,* in plurali pro pluribus (211).

6 — Episcopus recto tono patronum dat campanae dicens *In honorem Sancti N.* et respondet chorus *Amen.* Et si plures sint campanae, pro singulis episcopus repetit *In honorem Sancti N.* et respondet chorus *Amen.*

7 — Episcopus super campanam seu campanas signum crucis facit, nihil dicens, deinde sedet, accepta mitra, et verbum ad populum habebit, gratias agens liberalitati illorum qui campanas dederunt.

8 — Demum, accepto baculo, surgit episcopus, et, cum suis ministris, ordine quo venit, redit ad locum ubi sacras vestes accepit, eas deponit, induit chorales, et recedit in pace.

273 BENEDICTIO LECTA CAMPANARUM. ❯ Si episcopus benedictionem campanarum solemniter impertire noluerit, sacerdotem deputabit ad illas privatim benedicendas. Quod si velit campanas sine solemnitate benedicere, sequentes servabit regulas.

1 — Praelatus super rochetum induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale, et habebit mitram auriphrygiatam in capite sine baculo.

2 — Ei assistunt capellani duo superpelliceis induti.

3 — Nulla fit processio, et episcopus vestes sacras induit ad faldistorium prope campanam, aderit tamen semper crucifer cum ceroferariis, eo quod functio non fit ad altare.

4 — Psalmi recitantur alternatim a clero sine cantu; episcopus orationes elata voce legit pariter sine cantu, et recitat ipse antiphonas dum campanas circuit aspergendo et incensando.

TITULUS IV

274 RITUS RECONCILIANDI SOLEMNITER ECCLESIAM VIOLATAM QUAE FUERIT TANTUMMODO BENEDICTA

RR tit. VIII, cap. XXVIII

❯ Praenotanda generalia habes in tomo II, sect. V, de reconciliatione ecclesiae consecratae, n. *157* s., ritus tantum differt. Ordo reconciliationis RR revera est nova benedictio, paucis mutatis.

INSERVIUNT iidem ministri ac pro solemni benedictione ecclesiae novae, n. *260*.

PARANDAE ERUNT res omnes prout de ecclesiae benedictione dictum est, n. *262*.

275 RITUS SERVANDUS

1 — Episcopus, cum suis ministris et clero, ibit more processionali ad januam principalem ecclesiae, per viam extrinsecam, prout de benedictione dictum est.

2 — Ante januam principalem episcopus (omissa collecta *Actiones nostras*) statim aquam benedicit sine cantu.

3 — Fit aspersio sui ipsius et cleri, deinde ecclesiae ad extra, ordine tradito pro benedictione, sed antistes antiphonam *Asperges me* non recitat dum facit aspersionem. In medio reversus, episcopus cantabit collectam *Omnipotens... qui sacerdotibus tuis* ad purificationem externam claudendam (212); invitatio ad genuflectendum omittitur.

4 — Fit introitus in ecclesiam et cantantur litaniae prout de benedictione ecclesiae dictum est, sed suo loco dicit episcopus *Ut hanc ecclesiam et altare hoc* (ac *coemeterium*), *purgare et reconciliare digneris,* dextera semel faciens signum crucis. Ad litanias complendas episcopus cantat collectam *Praeveniat,* praemissa invitatione ad genuflectendum.

5 — *Deus in adjutorium* canitur prout de benedictione ecclesiae dictum est, oratione finali solum omissa, cum jam fuerit dicta.

6 — Interna ecclesiae aspersio fit ordine tradito pro benedictione novae ecclesiae, sed episcopus intonat antiphonam *Exsurgat Deus*, quae a cantoribus completur; post singulos versus ps. 67 antiphonam repetunt prout in RR habetur. Quod si ecclesia sit parva, sufficit antiphonam repetere post trinos versus, ita ut cum absoluta fuerit aspersio, cantus pariter finiatur (213). Episcopus ecclesiam circuit prout in benedictione novae ecclesiae, sed speciali modo aspergit loca contaminata, nec recitat antiphonam *Asperges me*.

7 — Ante altare reversus, cantu absoluto, episcopus canit collectam *Deus qui in omni loco*, cum qua expletur nova benedictio seu reconciliatio ecclesiae.

8 — Pontifex dicens *Sit nomen Domini benedictum* populo solemniter benedicit, et, si sit loci ordinarius, consuetas indulgentias concedit.

9 — Ecclesia et altare parentur pro missa celebranda, juxta calendarium ecclesiae.

❯ Si episcopus nolit ecclesiam solemniter reconciliare, sacerdotem ad illam reconciliandam deputabit, cum reconciliatio lecta ritu pontificali haud approbetur.

TITULUS V

276 RITUS BENEDICENDI SOLEMNITER NOVUM COEMETERIUM

RR tit. VIII, cap. XXIX.

❯ Ritus benedicendi coemeterium RR potius dici debet forma brevis ritus PR, cum una tantum crux lignea in medio coemeterio locetur.

❯ Episcopus volens coemeterium solemniter benedicere, agat ritu PR; si vero agatur de coemeterio minori, et episcopus velit pontificali ritu procedere, adhibere poterit formulam breviorem RR quo sequitur ordine.

1 — Episcopus sacras induit vestes, habebitque sacrorum ministrorum assistentiam in albis, prout de ecclesiae benedictione dictum est.

2 — Modo processionali ibunt omnes ad medium coemeterium, ubi, cantata collecta introductoria *Omnipotens Deus, qui es custos animarum*, episcopus, iterum accepta mitra, genua flectit ad faldistorium pro litaniarum cantu. Cum tempus erit, antistes, assurgens cum suis ministris et accepto baculo, canit *Ut hoc coemeterium purgare et bene+dicere digneris*, dextera coemeterium benedicens.

3 — Episcopus solito more aquam benedicit, prout de benedictione solemni coemeterii dictum est; deinde in medio ejus intonat antiphonam *Asperges me*, quae a cantoribus complebitur. Pontifex circuit totum coemeterium dum cantores, alternatim cum clero, cantabunt ps. 50 *Miserere*. Episcopo in medio reverso, cantores cantabunt *Gloria Patri*, ad quod omnes caput cruci processionali inclinant et antiphonam repetunt (214).

4 — Episcopus, mitra deposita, canit orationem *Deus, qui es totius orbis conditor*, pro coemeterii benedictione.

5 — Episcopus in summitate crucis unam ex tribus candelis ardentibus figit, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem crucis. RR h.l. Deinde, imposito et benedicto incenso, episcopus ligneam crucem triplici ductu incensat, et iterum induitur mitra.

6 — Episcopus in cantu impertit benedictionem pontificalem dicens *Sit nomen Domini benedictum*.

7 — Episcopus, reddito baculo et accepto hyssopo, coemeterium per medium aspergens, cum suis ministris, ordine quo venit, revertitur ad locum ubi processio initium sumit, ubi sacris depositis vestibus, assumit chorales, et recedit in pace.

❩ Ceteras regulas in benedictione coemeterii servandas habes cum ritu PR pro solemni coemeterii benedictione, tomo II, sectione IV. Consule etiam regulas pro solemni ecclesiae benedictione in titulo II huius sectionis.

277 RITUS RECONCILIANDI COEMETERIUM VIOLATUM

RR tit. VIII, n. XXX

(Remissive)

Vide tom. II, sect. V, n. *157*, ss.

❩ RR tradit ritum prout in PR habetur, sed in litaniis celebrans dicit semel tantum *Ut hoc coemeterium reconciliare et sanctificare digneris.* Unde, si coemeterium fuit prius ritu PR benedictum, in reconciliatione antistes ad litanias dicat invocationes tres prout ibidem habetur; si vero coemeterium benedictum fuit ritu RR, ad litanias unica fiat invocatio ut in RR, verbo *consecrare* omisso.

TITULUS VI

RITUS ALIQUIBUS IN LOCIS RECEPTI

CAPUT I

278 RITUS BENEDICENDI POPULOS ET AGROS

ex Apostolicae Sedis indulto

RR tit. VIII, cap. XXXI

❩ Benedictio populorum et agrorum aliquibus locis, praesertim in Italia, dari solet seu solebat ritu pontificali a loci ordinario, apostolica munita delegatione; agebatur potius de solemnibus supplicationibus faciendis priusquam populus seu locus a censuris absolveretur. Effuso calamo hac de re agit Catalanus in RR hoc loco, tomus II, pg. 129.

PRIMO DIE:

1 — Die ab episcopo statuto, delegatus celebrabit missam lectam *pro remissione peccatorum,* ad instar solemnis pro re gravi et publica, juxta rubricas.

2 — Missa finita, episcopus sumit pluviale violaceum, accedunt sacri ministri cum dalmatica et tunica, et cantores litanias solito more modulantur.

3 — Litaniis cantatis, sedet pontifex et caeremoniarius legit litteras apostolicas.

4 — Fit absolutio generalis hoc ordine: Diaconus canit *Confiteor,* episcopo sedente; deinde clerus recitat sine cantu ps. 50 *Miserere* et ps. 66 *Deus misereatur,* quasi absolutionem petens. Delegatus assurgit et recitat preces. Demum sedet delegatus et dat absolutionem generalem prout ibidem in RR habetur. Vide notam 120.

5 — Delegatus, adhuc sedens, indicet dies tres, videlicet feriam 4am., et feriam 6am. ac sabbatum sequentem pro jejunio, seu dies quos maluerit.

279 POSTREMO DIE:

1 — Die dominico sequenti, vel alio die, episcopus cantabit missam *pro quacumque necessitate* in colore violaceo, ad instar missae pro re gravi et publica juxta rubricas, sed in fine non concedit indulgentias.

2 — Missa finita, vestibus violaceis depositis, episcopus induit pluviale albi coloris et mitram pretiosam, sacri vero ministri assumunt vestes albi coloris sine manipulis.

3 — Cantantur iterum litaniae, pro quibus episcopus mitram auriphrygiatam habebit (215) et suo loco bis dicitur *Ut fructus terrae dare et conservare digneris.*

4 — Cantatis litaniis fit solemnis agrorum benedictio, quae incipit cum *Pater noster*, ps. 84 *Benedixisti Domine*, sequuntur preces et orationes tres. In fine delegatus, assumpto baculo, agros benedicit dicens *Benedictio Dei* etc. ter agros benedicens. Deinde, reddito baculo et accepto aspersorio, aspergit versus quatuor mundi partes.

5 — Sequitur benedictio populi. Post *Pater noster*, episcopus dicit preces et collectam. Dicit diaconus *Humiliate vos ad apostolicam benedictionem.* Deinde delegatus, nomine Summi Pontificis, populum benedicit dicens *Auctoritate Dei* etc., cui annexa est plenaria indulgentia.

6 — Pro gratiarum actione cantatur hymnus *Te Deum* cum sua oratione, et recedunt omnes.

❯ Cetera ex ipsis rubricis RR huius capituli et ex regulis generalibus facile addisci possunt; praeterea functio haec generatim obsolevit.

CAPUT II

280 BENEDICTIO AQUAE IN EPIPHANIA DOMINI

RR Appendix. Benedictio reservata I, 1.
Approbata a SRC die 6 Dec. 1890.

❯ Cum in Epiphania Domini celebretur tum Christi Baptismus tum primum ejus miraculum, conversionis aquae videlicet in vinum, non nullis in locis in festo seu vigilia Epiphaniae episcopus solemni ritu

benedicit aquam lustralem, usus apud orientales frequentissimus, ex quo ad quasdam latinas dioeceses transiit.

❯ Benedictio haec, seu potius statio cum benedictione, fieri tantum potest a loci ordinario vel ab ejus delegato ubi jam exstat consuetudo, neque erit in aliis locis introducenda. D 3730. Vide Sebastianum Paoli, de ritu Ecclesiae Neritonae exorcizandi aquam in Epiphania, Neapoli, 1719, in 4.°; sed praesertim Adolph Franz, *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter*, Freiburg 1909, tom. I, pg. 193.

Episcopus erit pluviali et aliis sacris vestibus albi coloris indutus, cum diacono et subdiacono ut pro missa solemni paratis sed sine manipulis; officium totum fit in cantu; non aderit crucifer cum ceroferariis cum functio fiat juxta altare.

281 Ritus tribus constat partibus, videlicet: statione praeparatoria, benedictione aquae, gratiarum actione.

1 — Prius fit statio ante altare, ut sequitur:

1) Cantus litaniarum.
2) Psalmi tres: 28 *Afferte Domino, filii Dei;* 45 *Deus noster, refugium;* 146 *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus*, pro quibus episcopus stabit sine mitra.
3) Exorcismus qui, ab episcopo infulato, cantabitur contra satanam et angelos apostaticos.
4) Cantus *Benedictus* vel ejus loci *Magnificat*, cum antiphona *Hodie caelesti sponso juncta est Ecclesia*, ut ad Laudes Epiphaniae. Dicto *Dominus vobiscum*, episcopus canit collectam diei *Deus, qui hodierna die*, cum qua finis imponitur stationi.

2 — Sequitur, in medio choro, benedictio aquae lustralis pro qua adhibetur forma communis RR (tit. VIII, cap. II), aliis prohibitis D 3730. Aqua benedicitur elata voce sine cantu, excepta ultima oratione *Deus invictae virtutis auctor*, quae, ad maiorem solemnitatem, cantabitur; demum episcopus seipsum, ministros et praesentes aspergit.

3 — Tandem ante altare canitur hymnus *Te Deum* cum sua oratione *Deus, cujus misericordia*, et episcopus pontificalem benedictionem populo impertitur, et sic finis huic ritui imponitur.

❯ Ceterae regulae servandae facile ex rubricis appendicis ad RR hauriri possunt.

CAPUT III

282 **BENEDICTIO DOMUS SCHOLARIS**

RR Appendix. Benedictio n. 21.

❯ Exstat in appendice ad RR prolixa benedictio novae domus scholaris, pro scholis societatis Jesu composita, dicitur enim *Domine sancte... per intercessionem sanctorum Ignatii et Aloisii.*

Solet sat frequenter benedictio haec ab episcopis ritu pontificali fieri. Ritus tamen, nimis prolixus, tali modo a ceteris benedictionibus RR differt, ut dici possit a simplicitate Romanae Liturgiae alienus. Ipsa ecclesiae benedictio cum ista comparata apparet quam brevissima. Episcopus tamen volens istam benedictionem dare, consulat rubricas RR h.l.

❯ Valde commendatur benedictio domus scholaris ejusdem appendicis (n. 20), unica constans oratione, quae ritu pontificali fieri potest, prout superius de benedictione navis habetur; ubi regulas servandas, congrua congruis referendo, invenies. Vide n. *281*, 1.

TITULUS VII

283 **BENEDICTIONES MINORES**

❯ Ex regulis pro aliis benedictionibus supra datis, facile colligi potest quomodo in singulis casibus agendum erit.

❯ Ubi a rubricis praecipitur lectio sancti Evangelii, haec fiat ab episcopo elata voce.

1 — RITUS PONTIFICALIS. Generatim si benedictiones sint solemniter faciendae, episcopus habitu praelatitio indutus, super rochetum induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale albi coloris, nisi alter color in casu speciali sit praescriptus, et accipit mitram auriphrygiatam; deinde ad locum benedictionis accedit, ubi, deposita mitra, res benedicit vel alia facit prout suis locis in RR habetur. Ad aspersiones faciendas mitram semper assumat.

2 — RITUS PRIVATUS. Episcopus volens benedictiones minores RR dare, si sit in suo habitu quotidiano, procedat more sacerdotali cum superpelliceo et stola. Si vero sit habitu praelatitio indutus, formulas minores RR dabit prout erit, non accepta stola; vel, mozeta seu manteleto deposito, induit superpelliceum super rochetum et desuper ponit stolam; nam sacramenta sive sacramentalia non sunt cum vestibus choralibus administranda. D 3784, I. Vide tomum I, n. 35.

3 — POST MISSAM. Ubi commode fieri possit, res benedicendae episcopo praesentantur post missam lectam, et antistes, manipulo tantum deposito, res benedicat formulis RR.

NOTAE AD SECTIONEM VII

(198) Quinque benedictiones tituli VIII RR, capita videlicet 26 ad 30, et benedictio campanae appendicis, licet sint functiones sacerdotales, potius vocari debent benedictiones pontificales, quae, de speciali mandato loci ordinarii, a sacerdotibus impertiri possunt. Sunt enim formae breviores rituum similium PR, e quibus excerpti fuerunt. Sic enim SRC declaravit campanarum benedictionem RR ab episcopis fieri debere. Ecclesiae generatim, etiam in Urbe, ab episcopis benedicuntur: si enim campanae ab ipsis benedicendae sunt, a fortiori ecclesiae. Agitur enim de divini cultus ordinatione quae episcopo reservatur. Recentissime ecclesiae benedictio quodammodo ad gradum ritus maioris evecta est, cum Pius XI, s. m., legatum a *latere* creavit ad benedicendum templum sanctae Teresiae a Jesu infante, Lixoviae (AAS 1937, pg. 432); ita futuram ejusdem basilicae consecrationem sibi reservans. In Urbe tamen episcopi, et non S.R.E. cardinales, solent ad hujusmodi benedictionem impertiendam invitari.

(199) Ritus benedictionis ecclesiae, prout in RR exstat, deprompitus fuit e ritu consecrationis ecclesiae; proinde, ne in errore versemur, cum taceant rubricae, eas e rubricis PR supplere debemus, quod etiam in aliis similibus benedictionibus faciemus.

(200) Cum rubricae RR de sacris ministris taceant, dicunt enim *aliquot clericis adhibitis* (RR tit. VIII, capita 26 ad 30); concludunt nonnulli sacros non adesse ministros, etiamsi functiones hae (quae aequiparantur) fiant ritu pontificali in cantu. Ita recentissime Moretti, tomus IV, pg. 492; Lesage, Bénédiction des églises, Paris 1934; Ahearne and Lane, Pontifical Ceremonies, Dublin 1942, pg. 349. Sacri ministri tamen omnino sunt adhibendi, id enim probatur:

1.° Ex regula generali Romanae Liturgiae; sacri ministri functionibus hujusmodi semper inserviunt.

2.° Ex aliis locis ipsius RR; sic in benedictione populi et agri vel aquae in Epiphania Domini, jubent rubricae ut sacri adsint ministri.

3.° Ex ritibus similibus PR, ubi sacri ministri vel expresse praecipiuntur vel tacite supponuntur.

4.° Usu Romano, maxima firmato auctoritate Martinucci. Tomus IV, pg. 351. Vide notam sequentem et notam 6am tomi II.

5.° Rubricae RR pro invitatione ad genuflectendum dicunt semper *ministri*, etenim agitur de sacris ministris et non de clericis inferioribus.

(201) Dalmatica et tunica, vestes potius solemnitatis quam ministrationis, a PR excluduntur pro ritibus 2ae. partis, uti benedictio 1ri. lapidis ecclesiae, vel coemeterii, consecratio altarium. Pari ratione excludi debent in benedictione ecclesiae et ritibus similibus huius tituli RR. Praeterea dalmaticae aspersionibus parietum maculantur. Sic etiam in Urbe fieri vidimus, moderantibus apostolicis caeremoniariis, v.g. in benedictione oratorii Palatii Gubernatoris in Civitate Vaticana anno 1931. Illustrazione Vaticana, tomo II, n. 11, pg. 17; n. 22, pg. 10.

(202) Sicut ceterae functiones pontificales, ita ecclesiae benedictio, vel fieri debet solemniter cum cantu et sacris ministris, vel privatim sive cantu et cum duobus capellanis; non datur tertius modus. Partes sacrarum functionum non sunt canendae vel legendae pro libitu celebrantis. Praeterea si functio sit ritu pontificali facienda, solemniter fiat necesse est; nam etiamsi a simplici sacerdote delegato fiat, decet fieri solemniter, a fortiori si celebrans sit episcopus.

203) Regula est generalis PR, per totam 2am. partem iterata, ut in solemnibus benedictionibus episcopus aquam benedicat; nam maioribus nostris incongruum videbatur ut episcopus, locum vel res benedicens, aquam adhiberet a ministro inferioris gradus benedictam. E contrario praecipiebatur ut sacerdos ecclesiam ab episcopo consecratam reconcilians, aquam adhiberet prius ab episcopo benedictam. Catalanus, RR tom. II, pg. 112. Uti videtur, regulae contrariae ex eodem principio originem ducunt. Solebat etiam episcopus baptizare paganos cum aqua ab ipsomet benedicta. Agitur de eadem lege qua oleorum consecratio episcopo reservatur. Ita etiam quoad cetera elementa, sic episcopus cineres clero et fidelibus imponit vel palmas seu candelas distribuit, si ipse earum benedictioni praefuit. Vide notam 7, tomi II.

(204) Docet cl. Catalanus celebrantem debere seipsum (et circumstantes) aspergere, secus, dicit ipse, non intelliguntur verba *Asperges me*. In RR commentaria, tomus II, pg. 103. In ritu consecrationis ecclesiae hoc loco talis servatur ritus.

(205) Sequuti sumus rubricas RR; sed faldistorium locari potest in media navi pro cantu litaniarum, sicut fit in consecratione ecclesiae; post orationem *Praeveniat* accedit episcopus cum suis ministris et clero ad presbyterium, et, postquam omnes ad loca sua pervenerunt, incipitur adprecatio *Deus, in adjutorium*. Hic agendi modus valde nobis placet, praesertim si ecclesiae navis sit totaliter vacua, nec aderit populus, est enim solemnior.

(206) Ut constat, altare habet latus epistolae et latus evangelii, non autem ecclesia; id enim pendet a positione altaris, utrum ad occidentem vel ad orientem versum sit. Sic in Basilica Sancti Petri latus evangelii unum est ad altare papale, alterum vero ad altare sedis; rubrica RR tamen dicit *aspersionem a parte evangelii inchoans*.

(207) Juxta Baruffaldum (RR h.l. nn. 79, 80), quem sequitur Catalanus (RR tomo II, pg. 105), sufficit cantare unum vel duos psalmos in parvis ecclesiis, plus quam tres si ecclesia sit nimis ampla. Prout exponitur plus placet: tres psalmi semper canuntur; plus quam tres si ecclesiae magnitudo id postulet et tempus adsit; generatim tamen tres solent sufficere. Psalmi graduales, seu cantica graduum, optimo consilio hic ponuntur, ad rem Lesage, Bénédiction des églises, Paris, 1934, pg. 48.

(208) Ritus pro campanae benedictione incipitur ab *Adjutorium nostrum* insolite recitandum, nam hic versus pars est ritus benedictionis aquae, ut in PR videri est. Rubricae, praesertim in initio, circa modum agendi, desiderantur, et supplendae erunt e ritu simili PR pro consecratione campanae. Circa hanc benedictionem campanae, optime more suo scripsit Piacenza qui, ut nobis videtur, ritum composuit. Eph. lit., 1908, pg. 198.

(209) Agitur de septem psalmis paenitentialibus, qui, praeparationis gratia, ante benedictionem campanae recitantur; sicut ceterae partes huius ritus, etiam psalmi e ritu consecrationis campanae PR sumpti fuerunt. Aliqui sunt psalmi paenitentiales, nec eodem ordine semper recitati in codicibus inveniuntur.

(210) In consecrationibus vel benedictionibus PR aspersiones et incensationes rerum fiunt semper ab episcopo infulato. Nescimus cur juxta MM, (quem sequitur Moretti, De Sacris functionibus, tomus IV, pg. 547), antistes debeat mitram deponere cum campanas aspergit et incensat. Forsan comparatio facta est cum ritu absolutionis defunctorum, male tamen, quia ibi mitra deponitur propter *Pater noster* tunc recitandum. Standum aliis rubricis PR pro casibus similibus et regulis pro usu mitrae suo tempore a Patrizi institutis. Vide notam 10, tomi I.

(211) Optandum, commoditatis gratia, ut in proxima editione RR vel PR orationes pro campanarum benedictione dentur etiam in plurali; nam generatim duae vel tres campanae simul benedicuntur. Vide notam 155 tomi II.

(212) Nulla habetur in RR regula fixa pro orationum conclusione, praesertim in his benedictionibus; sic enim in capite XXVI semel dicitur *Per Dominum*, ter *Per Christum;* in capite XXVII bis *Per Dominum*, bis *Per Christum*. Oratio *Omnipotens... qui sacerdotibus tuis* in capite XXVII habet conclusionem longam, dum eadem oratio in capite hoc habet conclusionem brevem. Oratio *Deus cujus misericordia* post *Te Deum* in capite XXXI habet *Per Dominum*, dum in appendice (Benedictio reservata I, 1) legis conclusionem brevem. Contraria praecipiuntur! Valet, saltem nobis videtur, nova rubrica RR *Conclusio longa orationum adhibetur tantummodo in missa et officio, extra vero semper brevis!* RR tit. VI, cap. III, n. 5. Vide notas 221 tomi I et 13 tomi II.

(213) Psalmus 67, inde a versu *In ecclesiis*, cum repetitione antiphonae post singulos versus, sic in PR invenitur, sicut ceterae partes huius ritus; valet proinde rubrica pluries repetita PR, videlicet, antiphona repetitur *si necesse sit*, quousque aspersio templi finiatur.

(214) Approbari nequit usus aspergendi loca, uti coemeterium, ecclesias etc. cum baculo in manu sinistra et hyssopo in manu dextera, praeterea id nullibi a rubricis praecipitur.

(215) Sic intelligenda est rubrica RR h.l., videlicet adhibebitur mitra pretiosa pro hac functionis parte, tempore litaniarum vero observanda est regula generalis de mitra simplici sumenda.

APPENDIX SECUNDA

FUNCTIONES PONTIFICALES
QUAE IN
PONTIFICALI SIVE RITUALI DESIDERANTUR

SECTIO VIII

FUNCTIONES PONTIFICALES QUAE IN PONTIFICALI SIVE RITUALI DESIDERANTUR

284 ❯ Nonnulli exstant ritus seu ordines, qui solent pontificali ritu fieri, qui tamen nec in PR nec in RR inveniuntur. Sequimur ordinem PR, videlicet 1mo. agetur de personis, videlicet de clericis, de religiosis et de laicis; 2do. loco exponi debuerint rerum benedictiones, sed hae omnes vel in PR vel in RR traduntur; 3.º loco exponentur ordines diversi servandi, quae in casu nostro ad unum reducuntur.

❯ Functiones in titulis II et III expositae, fiunt ab episcopis sed non ritu pontificali, commoditatis gratia tamen hic exponuntur.

TITULUS I

DE PROTONOTARII CREATIONE

CAPUT I

285 PRAENOTANDA

1 — PROTONOTARII NOMINANTUR a Summo Pontifice per litteras apostolicas sub forma brevis, quae erunt tamen exsecutioni mandandae a loci ordinario. In litteris apostolicis exsequendis, seu in protonotario apostolico creando, servandus est ordo a Collegio Protonotariorum Apostolicorum approbatus et editus, prout in hoc titulo exponitur. Nobis agendum est solummodo de protonotariis apostolicis ad instar participantium, ritus tamen fere idem est ac si protonotarius esset supranumerarius vel de Collegio (216).

2 — INSCRIPTIO NOMINIS IN SYLLOGE. "Qui tamquam privata persona huiusmodi titulum (Protonotarii Apostolici ad instar) rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo annexis uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio (Protonotariorum) exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis juramentum ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur". Inter multiplices Pii X, D 4154, n. 50.

3 — APOSTOLICUS COMMISSARIUS, seu exsecutor litterarum apostolicarum, est loci ordinarius, qui, nisi aliter in ipsis litteris declaretur, per se ipsum functioni praeesse debet.

4 — VESTES ELECTI. Electus se praesentat in habitu praelatitio, videlicet: vestis talaris violacea caudata cum globulis et ornamentis rubini coloris; zona serica violacea cum duobus flocculis ejusdem coloris; manteletum simile vesti talari; protonotarius ab usu annuli, crucis pecto-

ralis, rocheti et pileoli abstinebit, habebit tamen biretum nigrum cum flocculo rubini coloris.

5 — DIES ET HORA SELIGENDA. Ad protonotarium apostolicum creandum seligatur dies festivus vel dominicus. Functio fieri potest vel statim post missam solemnem, vel horis vespertinis, independenter ab aliis functionibus.

CAPUT II

CLERUS INSERVIENS

286 FUNCTIONI INSERVIUNT:

Pontifex rei sacrae praeses.
Canonici sive capellani assistentes duo.
Caeremoniarum magistri duo.
Ministri quatuor pro insignibus.
Acolythi duo ad abacum.
Cantores seu schola.
Familiares episcopi.

❯ Si pontifex sit metropolita, aderit crucifer, qui, dum antistes sacras induit vestes, manto sive *crocea* deposita, induit superpelliceum.

❯ Capellani seu canonici episcopo assistunt in suo habitu chorali.

❯ Caeremoniarius 1us. pontifici inservit, 2us. de persona electi curam gerit.

❯ Electus secum habere poterit secretarium unum in veste et manto talari.

CAPUT III

287 PRAEPARANDA

COLOR: Pro altari: diei. / Pro episcopo: albus.

I — IN SACRARIO:

Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.
Libri cum hymno *Te Deum.*
Crux hastata, si celebret metropolita.
Superpellicea pro omnibus.

II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI:

Genuflexorium suo tapeto viridis coloris coopertum cum duobus pulvinaribus et a sinistris super pavimento pulvinar violaceum.

III — IN PRESBYTERIO:

THRONUS suis vestibus coopertus: scabella duo; pulvinar violaceum.

SUPER ALTARI pro episcopo:

Amictus; pluviale et stola, quae velo cooperientur; mitra auriphrygiata a latere evangelii; baculus a latere epistolae appositus; formale in lance.

SUPER ABACO:

Vela duo pro mitra et baculo.
Evangelistarium.
Canon pontificalis cum pagella vestitionis. Formularium II.
Antiphonarius sive liber pro cantu hymni *Te Deum.*
Scotula cum candela.
Breve apostolicum in lance.
Formula jurisjurandi. Formularium I.
Fidei professiones duae.
Lanx pro cruce pectorali.

SUPER MENSA A LATERE SINISTRO THRONI pro electo:

Rochetum.
Galerus pontificalis.
Pileolum nigrum.

IN PLANO PRESBYTERII e conspectu throni:

Sedes cameralis simplex, seu cum parvo postergali.

❯ Galerus pontificalis erit formae rotundae et nigri coloris; in parte inferiori erit serico rubini sive rosacei coloris suffultus; chordulis et floccis rubini coloris ornabitur, etiam a parte inferiori, quibus sub mento firmabitur (217).

❯ Si galerus pontificalis prae manibus haberi nequit, adhibebitur galerus rotundus communis cum chordulis et floccis rubini coloris.

CAPUT IV

ORDO SERVANDUS

(sine missa)

288 ### ART. I — PRAEPARATIO

Receptio episcopi

1 — Hora praestituta clerus ecclesiae cum electo obviam ibit episcopo ad januam maiorem; aderitque minister aquam lustralem ferens.

Electus se sistit in capite cleri ad dexteram intrantis, et apostolico commissario aspersorium tradit cum osculis; praeses se signat, aspersorium tangendum porrigit electo, et aliis praelatis qui aderint, ac demum clerum et populum de more aspergit.

Ad altare ssmi. Sacramenti

2 — Commissarius ibit ad sacellum ubi ssmum. Sacramentum asservatur, post eum ibit electus, et sequuntur ceteri solito more. In sacello electus genua flectit in pavimento super pulvinar a sinistris pontificis.

In presbyterio

3 — Commissarius, facta cruci altaris debita reverentia, ad thronum accedit; electus, eodem modo facta reverentia cruci, accedit ad sedem cameralem ei praeparatam, sine ulla assistentia; ceteri omnes ad loca sua accedunt; secretarius electi, si aderit, locum occupat prope ipsum.

Vestitio episcopi

4 — Canonici assistentes duo in habitu chorali ad episcopum solito more accedunt; caeremoniarius 2us. sacras vestes episcopi clericis distribuit, qui, alius post alium, ad thronum accedunt. Episcopus, mozeta sive cappa deposita, induit amictum, crucem pectoralem, stolam et pluviale, ac formale; demum accipit mitram et baculum. Interim sonant organa.

Lectio brevis apostolici

5 — Acolythus 1mus., cum brevi apostolico in lance, sive secretarius electi, se sistit ad dexteram sedis ejus; caeremoniarius 2us. ad electum accedit et eum ad thronum invitat. Surgit electus cum bireto in manu, et caeremoniarius se sistit a sinistris ejus.

Electus, facta cruci altaris profunda reverentia et genuflexione a caeremoniario et ab acolytho utrimque, ad thronum accedit, ubi, iterata reverentia, acceptis litteris in manu, ad solium ascendit ipse solus, et illas episcopo tradit; statim in planum descendit, et, facta reverentia episcopo et cruci, cum acolytho et caeremoniario, ad sedem suam revertitur.

Episcopus litteras tradit 1mo. caeremoniario, hic cancellario ut in plano presbyterii eas legat.

Dum litterae apostolicae leguntur stabunt omnes aperto capite, episcopus vero infulatus; quibus lectis, dicit episcopus *Deo gratias* et sedet; cancellarius litteras 2.° caeremoniario tradit et ad locum suum recedit.

Jusjurandum

6 — Episcopus baculum tradit ministro et caeremoniarius 1mus. in plano throni ponit pulvinar violaceum; caeremoniarius 2us., secum ferens formulas pro jurejurando et professione fidei, ad electum accedit, eumque ad thronum invitabit. Electus, cum caeremoniario a sinistris, ad thronum debitis cum reverentiis accedit, et ascendens ipse solus, genua flectit in pulvinari, ac legit clara voce formulam jurisjurandi fidelitatis. Interim acolythus 2us. tradit 1.° caeremoniario evangelistarium, quod ipse apertum super gremium episcopi ponit.

Jurejurando emisso, electus dexteram super sacra evangelia ponit dicens *Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia* et sacrum textum deosculatur, deinde evangelistarium e gremio episcopi aufertur.

Fidei professio

7 — Lecto jurejurando, electus statim legit professiones fidei Pii V et Pii X.

Versus finem lectionis, caeremoniarius 1mus. super gremium episcopi iterum ponit evangelistarium apertum, et electus, finita fidei professione, dexteram super evangelium locat dicens *Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia,* et sacrum textum deosculatur. Caeremoniariis 1mus. librum evangeliorum e gremio episcopi aufert, quem, una cum formulis lectis, 2do. acolytho tradit, ad abacum reportandum.

289 ART. II — PROTONOTARII CREATIO

Rocheti et manteleti traditio

1 — Acolythi duo se sistunt a sinistris throni, 1mus. cum galero pontificali et desuper pileolo; 2us. cum rocheto; ministri de libro et scotula post eos consistunt.

Acolythus 2us. rochetum 1mo. assistenti tradit; episcopus, ministrantibus assistentibus, ab electo manteletum aufert, eique imponit rochetum; denuo electus per manus episcopi manteletum super humeros reassumit, ac *postea* brachia per scissuras introducit.

Galeri traditio

2 — Ad thronum accedit acolythus 1mus. cum galero et pileolo, quae 1mo. assistenti tradit, et recedit; ministri de libro et scotula ad thronum ascendunt versus dexteram pontificis; pontifex capiti electi pileolum imponit, et super pileolum galerum pontificalem, adjuvantibus suis assistentibus et caeremoniario 1.° (218).

Episcopus interim, manu sinistra tenens seu tangens galerum, recitat elata voce formulam *Induo te rocheto* etc.

Formula praelecta, ministri de libro et scotula recedunt, et caeremoniarius 1mus. galerum et pileolum e capite novi protonotarii aufert, et secretario, si aderit, vel 1mo. acolytho, tradit, qui ea super mensam reponit.

Osculum pacis

3 — Assurgit protonotarius, et, pulvinari amoto, ab episcopo ad pacis osculum recipitur, ac manum ejus deosculatur.

Protonotarius in planum descendit, ubi, facta episcopo et cruci altaris debita reverentia, a suo caeremoniario comitatus, ad locum suum redit.

Oratio gratulatoria

4 — Si episcopo videbitur, habebitur brevis oratio gratulatoria a viro ecclesiastico tempestive ad hoc designato.

Gratiarum actio

5 — Episcopus, deposita mitra, surgit et intonat hymnum *Te Deum,* qui a schola, alternante clero, cantabitur.

Hymno finito, ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo qui canit versus *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu,* et alios qui sequuntur, deinde collectam *Deus cujus misericordiae* cum conclusione brevi.

Benedictio et indulgentiae

6 — Episcopus dicens in cantu *Sit nomen Domini benedictum,* solemniter populo solito more benedicit; sedet, et a 1mo. assistente, si placet, publicentur indulgentiae; deinde assistentes ad loca sua in choro recedunt.

Discessus episcopi

7 — Episcopus sacras deponit vestes et induit chorales; de throno descendit et in plano presbyterii ad faldistorium ibidem posito orat, cum protonotario a sinistris super pulvinari genuflexo; demum, cum protonotario et aliis de clero, recedit in pace.

❯ Curiae episcopalis cancellarius de apostolicarum litterarum concessione, deque earum executione documentum duplici exemplari conficiat; unum protonotario tradetur, alterum decano Collegii Protonotariorum mittetur, ut novus protonotarius possit suis uti privilegiis, nomine suo in sylloge protonotariorum apposito. Vide n. *285,* 2.

❯ In sylloge protonotariorum inscribenda erunt nomen, cognomen, aetas, patria et qualitates novi protonotarii ad instar. D 3262, XX.

290 FUNCTIO CUM MISSA. Si functio fiat mane cum missa solemni, sequens servabitur ordo.

1 — Episcopus ad januam recipitur et omnia fiunt ut supra habetur.

2 — Episcopus paratus missae solemni assistit, et electus assistit in sede ipsi parata.

3 — Finita missa, celebrans cum suis ministris ad sacrarium recedit; episcopus, mitra pretiosa deposita, accipit auriphrygiatam et baculum, et omnia fiunt prout supra expositum est, n. *288,* 5 ad 7 et *289.*

❯ Si missa non fuit in colore albo, episcopus albas vestes pro functione immediate subsequente assumit, vel, si placet, missae assistit cum cappa, et, ea finita, sacras induit vestes.

291 FUNCTIO LECTA. Licebit commissario, justa de causa, privatim post suam missam lectam litteras apostolicas prout infra habetur, executioni mandare.

1 — Finita missa, episcopus sedet ad faldistorium in medio suppedaneo, manipulum deponit et accipit mitram et baculum.

2 — Litterae apostolicae leguntur et electus jusjurandum et fidei professionem emittit, ut in n. *288*, 6 et 7.

3 — Episcopus, ministrantibus suis capellanis, electo tradit insignia, et eum ad pacis osculum recipit, quae omnia fiunt ut in n. *289* habetur, congrua congruis referendo.

Cetera omittuntur.

TITULUS II

292 DE CORPORALI INSTITUTIONE BENEFICII

1 — Missio in possessionem, seu institutio corporalis beneficii (non concistorialis) ad loci ordinarium spectat, qui tamen alium virum ecclesiasticum delegare poterit. CJC 1443, § 2. Bene tamen agit episcopus qui institutioni corporali principaliorum praesertim beneficiorum suae dioecesis personaliter praeest.

2 — Missio in beneficii possessionem fiat secundum modum jure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi justa ex causa ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis. CJC 1444, § 1.

3 — Cum multis in locis nullus praescribitur modus pro institutione corporali beneficii, hic traditur ordo pluribus in locis servandus pro missione in beneficio canonicali vel paroeciali; ex regulis datis facile colligi poterit modus agendi pro solemni collatione aliorum beneficiorum forte in dioecesi exsistentium.

4 — Si beneficium sit Sanctae Sedi reservatum, episcopus in corporali ejusdem institutione, seu in apostolicarum litterarum exsecutione, agit tamquam commissarius apostolicus. Relationem beneficiorum quae Sanctae Sedi reservantur habes in CJC 1435.

CAPUT I

CORPORALIS INSTITUTIO CANONICI

293 ❯ Episcopus volens novum canonicum suae ecclesiae personaliter instituere (nisi specialis habeatur ordo servandus), agat modo sequenti.

1 — Antistes in habitu praelatitio cum mozeta, ad ecclesiam cathedralem vel collegialem accedit, et sedet ad faldistorium in medio plano presbyterii.

2 — Accedit canonicus electus in habitu talari nigro, vel violaceo si tali privilegio gaudeat capitulum.

3 — Si canonicatus sit Sanctae Sedi reservatus, a cancellario legentur apostolicae litterae nominationis novi beneficiati.

4 — Electus coram praelato flexis genibus se sistit et fidelitatis jusjurandum episcopo et capitulo emittit. Formularium III.

5 — Electus legit fidei professiones Pii V et Pii X et in fine dicit *Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia,* et sacrum textum deosculatur. CJC 1406, § 1, 5.° (219).

6 — Episcopus electum ad effectum tantummodo recepti beneficii a censuris absolvit dicens *Nos... auctoritate qua fungimur* etc. Formularium IV.

7 — Episcopus novum canonicum rocheto et vestibus choralibus propriis juxta privilegia capituli induit ac capiti imponit biretum; quod si canonici privilegio annuli fruantur, episcopus annulum digito annulari sinistrae manus canonici imponit; deinde dicit *Induo te* etc. et sic novus canonicus constituitur. Formularium V.

8 — Surgit canonicus, et episcopus eum ad osculum pacis recipit, qui deinde manum ejus deosculatur.

9 — Accedit decanus capituli, qui sinistra manu sumit dexteram canonici, et eum ad sedem suam ducit, ubi sedet et caput bireto cooperit; deinde, deposito bireto, assurgit.

10 — Cantabitur hymnus *Te Deum* vel canticum *Magnificat.* Canonici interim ad novum canonicum accedunt et osculum pacis dant ei.

11 — Episcopus cum suis familiaribus recedit in pace.

12 — In aula canonicali conficietur instrumentum de rebus gestis et nomen novi canonici in collegii sylloge adnotetur.

CAPUT II

CORPORALIS INSTITUTIO PAROCHI

294 › In corporali institutione novi parochi nullus specialis ordo jure communi statuitur. Episcopus volens novum parochum personaliter instituere, sequentem servabit ordinem, nisi, jure particulari, alius praecipiatur ordo servandus.

1 — Episcopus in habitu praelatitio cum mozeta de more ad ecclesiam paroecialem accedit. Clerus ecclesiae, cum vicario oeconomo et parocho electo, obviam ibit episcopo ad ecclesiae januam ubi a vicario recipitur, qui ei tradit hyssopum pro solita aspersione.

2 — In presbyterio episcopus sedebit ad faldistorium in medio plano ejusdem et, non accepta stola, caput bireto cooperit.

3 — Si beneficium sit Sanctae Sedi reservatum, jussu episcopi, stantibus omnibus, legentur litterae apostolicae nominationis novi beneficiati.

4 — Parochus coram episcopo genua flectit et professiones fidei Pii V et Pii X, emittit et in fine dicit *Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia,* quae statim osculatur. Interim sedent omnes. CJC 1406, § 1, 7.°.

5 — Episcopus deinde beneficiatum ad effectum tantummodo recepti beneficii a censuris absolvit dicens *Nos... auctoritate qua fungimur* etc. Formularium IV.

6 — Si parochi illius loci jus ad specialia insignia habeant, episcopus parocho insignia imponit, vel stolam super superpelliceum (220).

7 — Episcopus novum parochum canonice instituit dicens *Nos, huius dioecesis N.* etc. Formularium VI. Assurgit parochus et ab episcopo recipitur ad osculum pacis, cujus manum deinde, flexo genu, osculatur et recedit.

8 — Cancellarius, vel alius sacerdos praesens, jussu episcopi, parochum ad principaliora ecclesiae loca ducit, videlicet ad baptisterium; ad sedem pro confessionibus audiendis; ad altare SSmi. Sacramenti; ad sacrorum oleorum armarium, et demum ad pulpitum.

9 — Parochus episcopo gratias de conlato beneficio agit, et populum breviter de officio suo bene adimplendo alloquitur, et ad locum suum redit ac stolam deponit.

10 — Dioecesis cancellarius de novi parochi institutione legit instrumentum opportune praeparatum.

11 — Cantabitur hymnus *Te Deum* vel canticum *Magnificat,* et, eo cantato, episcopus, ordine quo venit, recedit.

› Ex regulis generalibus, et ex titulo I huius sectionis, facile colligi poterunt ea quae, brevitatis gratia, in hoc titulo omissa fuerunt.

TITULUS III

DE PRAELATIS DOMESTICIS SUMMI PONTIFICIS

295 ❯ Praelati domestici ad tam honorificum officium a Summo Pontifice per litteras apostolicas in forma brevis nominantur, quae tamen exsecutione a loci ordinario non indigent.

Decet tamen breve aliqua cum solemnitate novo praelato dari a suo ordinario in aliquo civili conventu, ad hoc designato, cui praelatus assistit in habitu praelatitio civili, seu ut aiunt *piano*.

296 SOLEMNIS VESTITIO PRAELATI DOMESTICI

(Pro aliquibus locis)

❯ In Statibus Confoederatis Americae Septentrionalis usus venit solemniter vestiendi seu initiandi novum praelatum urbanum; ordo inferius positus inservire poterit, nam in jure liturgico nullus exstat ordo servandus (221).

❯ Functio, cui praeest loci ordinarius, fit horis vespertinis in ecclesia ubi sacerdos honorandus officio rectoris fungitur, vel in alia ecclesia ab ordinario eligenda, et dies erit dominicus vel festivus.

297 ORDO SERVANDUS

1 — Episcopus ad ecclesiam accedit cum cappa pontificali, quam toto tempore functionis conservabit.

2 — Ad januam maiorem et ad altare SSmi. Sacramenti omnia fiunt prout superius de protonotario dictum est (n. *288,* 1, 2) qui tamen nudo capite adstabit.

3 — Praelatus sedet in sede a latere opposito throni; deinde ad thronum accedit et episcopo tradit breve, quod a cancellario legetur, ut in n. *288,* 5, et recedit.

4 — Si episcopo placuerit, praelatus ad thronum accedit et fidei professionem emittit, ut in n. *288,* 7.

5 — Acolythus 1mus. cum rocheto, manteleto et bireto antistitis ad thronum accedit; episcopus, adjuvantibus suis assistentibus, praelato rochetum, manteletum et biretum imponit, et recitat formulam *Induo te* etc. Formularium VII.

6 — Praelatus biretum deponit et caeremoniario tradit; surgit et recipit amplexum episcopi sive osculum pacis; post haec stans manum ejus deosculatur, et ad locum suum recedit.

7 — Habebitur oratio gratulatoria, si episcopo videbitur.

8 — Surgit episcopus et intonat hymnum *Te Deum,* ut in n. *289,* 5, habetur.

9 — Episcopus solemniter clero et populo benedicit, indulgentias si placet concedit, ac recedit in pace.

❯ Quae, brevitatis gratia, hic omittuntur, facile e ritu creationis protonotarii colligi possunt.

298 ORDO PONTIFICALIS IN VESTITIONE ET PROFESSIONE SIVE VELATIONE MONIALIUM ET SORORUM SERVANDUS

(Remissive)

❯ Hic a nobis exponi debuit ordo in monialium et sororum vestitione et professione seu velatione servandus; nam solent episcopi frequenter ad religiosas domos invitari ut talibus praesint functionibus. Id autem facere nequimus, quia tot sunt ordines servandi quot monialium et sororum congregationes; abundant enim sicut stellae caeli, inde a simplici benedictione veli usque ad totum ritum consecrationis virginum cum additamentis. Fusius in notis nn. 222 ad 226.

299 DE ORDINIBUS EQUESTRIBUS

(Remissive)

❯ Episcopus volens solemniter novo equiti insignia sancti Silvestri, sancti Gregorii, Pii IX vel sancti Sepulcri, solemniter imponere, id faciat in aliqua aula nobili, cum nullus praecipitur ordo servandus, nec est functio liturgica.

❯ In creatione novi equitis Ordinis Melitensis confer Rituale Ordinis.

TITULUS IV

ORDO SERVANDUS IN CONVENTIBUS EUCHARISTICIS NATIONALIBUS VEL INTER GENTES

300 » Maiores eucharistici conventus solent praesentia Summi Pontificis, per legatum a latere suo missum, honestari; decet proinde ut omnia maximo cum ordine fiant.

1 — Eucharisticus conventus per receptionem Legati Apostolici initium sumit, quae fieri debet horis vespertinis statuto die. Servabitur ordo qui in sect. V, tit. III, habetur, nn. *180* ad *187*.

2 — Cardinalis legatus crucem hastatam faciet ante se portari; et metropolita vel praelatus privilegio crucis ornatus, si aderit, ab ejus usu abstinebit toto tempore conventus.

3 — Propter praesentiam cardinalis a latere legati, episcopi omnes, loci ordinario et metropolita non exceptis, habebunt manteletum super rochetum sine mozeta.

4 — Cardinalis legatus cantabit missam solemnem ad congressum claudendum, in cujus fine nomine Summi Pontificis praesentibus benedicit et indulgentiam plenariam concedit, quae omnia fiunt ut in Dominica Paschae quando apostolica impertitur benedictio.

5 — Si Summus Pontifex velit per radiophonum apostolicam benedictionem, finita missa impertire, populus hac de re certior fiat, et dum Papa populo et clero benedicit, stabunt inclinati S.R.E. cardinales et episcopi licet nondum consecrati; praelati, abbates et canonici flexis nitentur genibus (227).

6 — In solemni Eucharistica processione ostensorium a legato portabitur (228); episcopi seu abbates ibunt cum pluviali et amictu super rochetum et mitram albam simplicem manibus gestabunt (229), ac locum sumunt in ordine suo ante legatum.

7 — Tum in missa solemni tum in processione, cardinales praesentes habebunt cappam cardinalitiam, et in processione locum sumunt retro post baldachinum. Vide notam 90.

FORMULARIUM PRO SECTIONE VIII

I — JUSJURANDUM PRO PROTONOTARIIS AD INSTAR

Ego N. per breve apostolicum nuper lectum ad officium et dignitatem protonotarii apostolici ad instar participantium evectus, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, spondeo ac juro dignitatem et officium mihi concessum, quantum in me est, fideliter exsecuturum; traditiones et regulas amplissimi protonotariorum Conlegii observaturum, et constitutiones Summorum Pontificum, praesertim *Inter multiplices* Pii Papae X et *Ad incrementum decoris* Pii Papae XI servaturum. SIC ME DEUS ADJUVET ET HAEC SANCTA DEI EVANGELIA.

❯ In ritu servando fidelitatis jusjurandum praecipitur, sed forma desideratur; exposita forma inservire poterit.

II — FORMULA IN TRADENDIS INSIGNIBUS PROTONOTARIO AD INSTAR RECITANDA

Induo te rocheto et manteleto, ac capiti tuo biretum, et supra biretum cappellum nigrum, cordulis rosaceis circumornatum, ac etiam serico rosaceo suffultum, cum floccis ejusdem coloris impono, ut hodie intelligas te *Protonotarium Apostolicum ad instar participantium* fuisse creatum; ac de cetero uti, frui ac gaudere posse, effectu gratiae, tibi a Sanctissimo Domino Nostro N. concessae, ut in litteris apostolicis, in forma brevis desuper expeditis, plenius continetur. Demum ad osculum pacis te recipio, ac fraterna in Domino caritate te amplector; quod felix faustumque semper sit.

❯ E ritu creationis protonotarii ad instar transcripta.

III — JUSJURANDUM PRO CANONICIS

Ego N. electus canonicus huius Ecclesiae Cathedralis (Metropolitanae) N. promitto ac juro fidelem et obedientem me futurum esse Tibi, Exme. ac Revme. Domine et successoribus tuis Episcopis huius (Archi) dioeceseos N., et Sanctae Matris Ecclesiae; jura, onera, privilegia et munera huius Ecclesiae Cathedralis (Metropolitanae), Canonicatus et Praebendae, quae ex jure communi seu peculiari dimanant conservaturum; statuta Capituli Cathedralis (Metropolitani) me attente et religiose retenturum. *Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

❯ Si fidei professiones immediate sequantur, verba *Sic me Deus adjuvet* dicuntur in fine ultimae professionis.

IV — FORMULA PRO ABSOLVENDIS CENSURIS IN BENEFICIIS CONFERENDO

Nos, Episcopus huius Ecclesiae N., auctoritate qua fungimur, te a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, quibus forte innodatus exsistas, ad effectum tantummodo ut beneficium canonicale (paroeciale) licite ac valide consequi et retinere, ejusque fructus facere possis ac valeas, absolvimus et absolutum fore censemus, in *nomine Pa+tris et Fi+lii et Spiritus+Sancti.*

❯ Si beneficium sit Sanctae Sedi reservatum, apostolico commissario facultas absolvendi solet in litteris apostolicis tribui; dicit in casu commissarius: *Nos... apostolica auctoritate nobis commissa, te,* cetera ut supra.

❯ Hujusmodi absolutio conditionalis ad reincidentiam solet semper a Sancta Sede in beneficiis conferendis dari; agitur tamen in jure hodierno de dubio facti, quia in dubio juris absolutio sub conditione ad cautelam non amplius requiritur. CJC 15; 2219, § 1.

V — FORMULA IN CONFERENDO CANONICATU

Induo te rocheto et mozeta (vel cappa), (digito tuo immitto annulum canonicalem) ac capiti tuo biretum, ut hodie intelligas te canonicum huius Ecclesiae Cathedralis (Metropolitanae) N. fuisse electum et renunciatum; ac de cetero uti, frui ac gaudere posse (effectu gratiae tibi a Sanctissimo Domino Nostro N. concessae ut in litteris apostolicis desuper expeditis) juribus et privilegiis canonicorum (dignitatum) Capituli nostri Dioecesani (Metropolitani). Demum ad osculum pacis te recipio, ac fraterna in Domino caritate te amplector; quod felix faustumque semper sit.

VI — FORMULA IN CONFERENDA PAROECIA

Nos, huius dioeceseos N. Episcopus, te in parochum et pastorem (in) amovilem huius paroeciae N. eligimus et constituimus. Satage commisso munere, meliori quo poteris modo et sollicitudine, Christo animas lucrare; canonicas et liturgicas Ecclesiae leges fideliter observa, ut cum venerit animarum Custos, bene tibi sit et fidelem servum vocari audias et de eo optime mereri, quod Deus in te impleat per gratiam suam. Demum ad osculum pacis te recipio ac fraterna caritate te amplector; quod felix faustumque semper sit.

› Si paroecia inamovibilis sit Sanctae Sedi reservata, dicit apostolicus commissarius : — Nos, huius Dioecesis N. Episcopus, exsecutioni demandantes apostolicas litteras modo lectas, te in parochum et pastorem inamovibilem huius paroeciae N. constituimus. Cetera ut supra.

VII — FORMULA PRO VESTITIONE PRAELATI DOMESTICI

Induo te rocheto et manteleto ac capiti tuo biretum cum floculo violacei coloris, ut intelligas te inter Summi Pontificis antistites urbanos rite fuisse renunciatum, cum juribus et privilegiis huic dignitati connexis, ut in litteris apostolicis in forma brevis expeditis plenius continetur. Demum ad osculum pacis te recipio, ac fraterna caritate te amplector; quod felix faustumque semper sit.

NOTAE AD SECTIONEM VIII

(216) Sicut S.R.E. cardinales, ita apostolici protonotarii dicuntur a Summo Pontifice *creari*. Ordo in eorum creatione servandus similis est ritui quo cardinales creantur, a quo originem suam sumpsit. Pars principalis ritus in traditione galeri pontificalis consistit, insigne maius protonotarii. Annulus et crux pectoralis protonotario non traduntur, quia talibus insignibus uti ei fas est tantum quando pontificali ritu functiones peragit. Ritus, Romae typis impressus, solet novis protonotariis mitti cum brevi papali.

(217) Galerus pontificalis unus est pro omnibus qui illo de jure utuntur, differt tantum quoad colorem; sic rubei coloris pro cardinalibus; nigri pro omnibus aliis; viridis coloris suffultum pro episcopis, rosacei pro protonotariis. Galerus imponitur protonotario in die creationis, nec eo unquam nunc utitur; ad pedes feretri locabitur, morte interveniente.

(218) In formula vestitionis protonotarii legis *induo te biretum et supra biretum cappellum;* quae quidem verba in errorem nonnullos induxerunt, electo imponentes biretum quadradum et desuper galerum pontificalem. Formula valde antiqua est, et pileolum biretum vocari solebat. Catalanus CE tomus I, pg. 82, ed. Parisiensis. Praeterea biretum antiquum non erat dura charta circumligatum sicut hodiernum, et forsan fas erat galerum super ipsum ponere; hodie tamen agitur de pileolo, vulgo *calotte.*

(219) Quando fidei professio fit immediate post jusjurandum sufficit si semel tantum dicatur *Sic me Deus adjuvet.* In ritu creationis protonotarii tamen, iteratio horum verborum praecipitur.

(220) Parochi Urbis, speciali privilegio eis a Benedicto XV concesso, superpelliceum super rochetum assumunt. SRC. 11 Nov. 1914. AAS. 1914, pg. 708.

(221) In Statibus Confoederatis Americae Septentrionalis dignitas praelati domestici a populo habetur (vel saltem habebatur) quasi aliquid sacrum, et episcopi, consulto quidem, solemni ritu agunt cum quis ad praelaturam evehitur; modus agendi tamen nec semper convenit; sic rochetum imponendum est ab episcopo, sine ulla tamen benedictione. Modus procedendi prout hic exponitur liturgicis legibus saltem non opponitur, quousque aliquid hac de re a Sancta Sede determinatum veniat. Cft. *The American Ecclesiastical Review,* 1905, pg. 585. Schulte, Benedicenda, Neo Eboraci 1907, pg. 312, qui tamen ritum creationis protonotarii non cognoscebat.

(222) Ordines Monialium, ritum pro vestitione et professione vel votorum renovatione habent editum cum approbatione Superiorum Ordinum, qui ante CJC liturgicos libros approbabant. Diversa tamen agitatur quaestio pro sororibus congregationum, quorum numerus multiplicatur sicut stellae caeli; pro illis ritus professionis abundant diversissimi, a simplici velatione ad usque fere totum ritum consecrationis virginum PR, cum traditione annuli, veli et coronae. SRC semel et iterum ab hujusmodi ritibus adprobandis abstinuit, et edi solent cum simplici *imprimatur* loci ordinarii. In una e recentioribus congregationibus vidimus totum ritum consecrationis virginum privata manu pro libitu dissecatum, cui adjecta fuit defunctorum absolutio super virginem in terra prosternatam, ritus gallicanus, qui cum ritu PR consecrationis virginis minime concordat. Optandum ut tandem aliquando ritus unus pro vestitione et professione seu velatione sororum a Sancta Sede edatur. Confusio nunc exsistens difficilem reddit horum rituum exsecutionem a sacerdotibus et episcopis invitatis, qui pro singulis congregationibus tenentur ritus legere, cum nesciant quid facturi sint; accedit quod aliquae vestitiones per horas plurimas protrahuntur, dum aliae expeditissime absolvuntur.

(223) In Ordine Carmelitarum strictioris observantiae in initio novitiatus fit solemnis vestitio novitiae, cui praeest sacerdos vel episcopus invitatus; professio solemnis vel simplex fit in manu priorissae, quae totam functionem moderatur; deinde ipso die, vel alio pro libitu, fit monialis velatio; functio ista fit solemniter in ecclesia et praeest sacerdos vel episcopus invitatus. Ritus velationis, e ritu consecrationis virginum desumptus, hujusmodi ritui respondet. Vide notas 241 et 242 tomi I. Sic enim conservata fuit in Ordine Monialium de Monte Carmelo antiqua doctrina Ecclesiae de differentia inter vota et velationem; illa in manibus superiorissae, quae nulla gaudet ecclesiastica jurisdictione, emittuntur; ista fit ab Ecclesia, quae vota confirmat. Dolendum est in quibusdam monasteriis Ordinis Sancti Benedicti vel Sancti Norberti confusionem seu potius fusionem ritus professionis et ritus consecrationis factam fuisse. Vide tom. I, notam 265. Alibi, data opera, quaestio haec agitabitur.

(224) In pluribus congregationibus in initio novitiatus, postulans cum vestibus albis sponsae propriis ad ecclesiam se confert, quasi matrimonium contrahere deberet; recedit inde et redit in habitu religioso. Frequenter tamen novitiae, quae ita solemniter ad instar sponsae ecclesiam ingrediuntur, ad professionem non perveniunt; optandum ut talis religiosa innovatio, vel obsoleta tandem aliquando deveniat, vel fiat expleto probationis tempore.

(225) Quando Pius Papa X triennium votorum ante professionem perpetuam edixit, controversia orta est, an scilicet ritus solemnis professionis seu velationis faciendus esset finito novitiatu an cum professione perpetua. Vide ASS vol. 35 (1902), pg. 37; vol. 36 (1903), pg. 202. Quaestio tardius a Sancta Sede soluta fuit, et nunc ritus solemnis seu velatio, quidquid sit, fieri debet post professionem perpetuam, consulto quidem. S.C. de Religiosis 10-VII-1919. AAS 1919, pg. 323.

(226) Usus mutandi nomen in baptismali regeneratione receptum pro alio religionis, quasi religiosa vocatio plus sit quam baptismus, haud probari potest. Historica inquisitio hac de re utilis evaderet. Baptismalis regeneratio suprema esto Ecclesiae lex!

(227) Quaestio nova movetur in jure: benedictio papalis per radiophonum. Vox Summi Pontificis auditur quasi praesens adsit, proinde ad eam genuflectere tenentur omnes abbates et praelati praesentes, etiam ii qui privilegiis protonotarii de numero participantium fruuntur; nam in missa solemni Papae etiam S.R. Rotae Auditores, subdiaconi videlicet apostolici, genuflectunt Summo Pontifici. Id prae oculis habendum est cum generatim praelati et abbates vel etiam canonici putant se a genuflectendo excusatos esse. Vide Caeremoniale Concilii Vaticani, CV, col. 702; Bucci, Caeremoniale Missae Papalis, Ratisbonae, 1889, passim.

(228) SRC proposito dubio: I — "An liceat vel expediat in solemnioribus processionibus, quibus defertur SS. Eucharistiae Sacramentum, praecipue cum finis imponitur Eucharisticis conventibus, deferre SSmum. Sacramentum super currum triumphalem baldachino coopertum, magnificeque exornatum, equis tractum, super quem ascendit etiam sacerdos qui processioni praeest, quique ostensorium regit genuflexus"?

II — Remissive.

III — "An usus currus et equorum ut supra, liceat vel expediat, non solum ratione extraordinariae solemnitatis, sed etiam cum processio iter nimis longum percurrere debeat"?

IV — "An currui equis tracto possit substitui vehiculum quod vulgo *automobile* nuncupatur"?

SRC respondit: Negative in omnibus et ad mentem.

Mens est: Praeclarum exstat exemplum Congressus Eucharistici Internationalis Romae habiti anno 1922, in quo nullus currus adhibitus fuit pro deferendo SSmo. Eucharistico Sacramento... juxta CE II, 33. D 4389.

Cum anno 1938 celebrandum erat conventum Eucharisticum nationale Canadense, Ordinarius Quebecencis SRC consuluit an currum a sacerdotibus tractum sit etiam contra mentem citati decreti; cui responsum fuit: Affirmative, seu Ostensorium debere manibus legati portari, et sic factum est.


Quo tamen non obstante, in Eucharistico Conventu inter gentes Bonaerensi, habito anno 1934, praeparatus fuit *podatus* seu stratum ornatum cum baldachino; et super stratum genuflexorium pro legato, super quo apposita fuit basis pro ostensorio firmando; retro aderat sedes, ita tamen disposita, ut legatus genuflexus appareret. Subter stratum erant rotae ita ut facile posset trahi a sacerdotibus utrimque. Super stratum locum sumpsit Eminentissimus Cardinalis Legatus Eugenius Pacelli; rem totam moderabatur apostolicus caeremoniarius. Stratum constructum fuit ad instar *podio* a Summo Pontifice usitati in solemni Processione Corporis Christi; ab illo differt tamen quia a sacerdotibus trahitur nec in sublime elevatur, quod certe privilegium est Domini Apostolici.

Hic modus agendi placet, nam legatus, qui generatim est aetate provectus, nequit, post tot solemnitates conventus, ostensorium per horas subsequentes stans portare; est enim res moraliter impossibilis, et ad impossibilia nemo tenetur. Praeterea processio iter nimis longum percurrere debet, et populus Sacramentum aspicere cupit, quod evadit difficile si in manibus legati portetur; quod nullatenus tamen ad congressus locales seu dioecesanos extendi debet, in istis enim episcopus, ad tramitem CE, Sacramentum manibus gestabit et sub baldachino incedet.

(229) Hac de re exstat exemplum Eucharistici Conventus Internationalis in Urbe habiti anno 1922, in cujus processione episcopi mitram albam lineam in manibus habebant. Omnino reprobandus est, tamquam Romanae Liturgiae alienus, usus in pluribus conventibus ab episcopis servatus, qui cum mitra in capite in eucharistica processione ambulant. Nec jus habent episcopi ad duos assistentes, oras pluviales sustinentes, sed procedant bini; et si sint pauci poterunt ire singulariter cum unico secretario a sinistris; episcopi ipsi tamen mitram reversam in manibus portabunt. Si praesens aderit Cardinalis a latere legatus, mitra alba simplici ab episcopis et abbatibus erit adhibenda. Vide notas 57 et 58.

DISPOSITIO AULÆ CONCILIARIS PRO SESSIONIBUS


A) • ALTARE AD ORIENTEM VERSUS I



(A) – THRONUS
(B) – FALDISTORIUM
(C) – ALTARE
(D) – CANTORES
(E) – CRUX HASTATA
(F) – ABACUS
(G) – SACRI MINISTRI
(H) – PROMOTORES
(I) – SECRETARII
(J) – STENOGRAPHI
(K) – NOTARII
(L) – SUGGESTUM
(M) – SYNODALES
(N) – CONSULTORES
(O) – CANCELLI

DISPOSITIO AULÆ CONCILIARIS PRO SESSIONIBUS

B) • ALTARE AD OCCIDENTEM VERSUS — II




(A) – ALTARE
(B) – MENSA PRAESIDIS
(C) – FALDISTORIUM
(D) – CRUX HASTATA
(E) – SUGGESTUM
(F) – PROMOTORES
(G) – SECRETARII
(H) – STENOGRAPHI
(I) – NOTARII
(J) – CANTORES
(K) – ABACUS
(L) – SACRI MINISTRI
(M) – SYNODALES
(N) – CONSULTORES
(O) – CANCELLI


E CONCILIO ROMANO IN LATERANO CELEBRATO A BENEDICTO XIII, ANNO IUBILAEI, 1725.

III

DISPOSITIO AULÆ CONCILIARIS PRO CONGREGATIONIBUS



(A) – CRUX
(B) – MENSA PRAESIDIS
(C) – SUGGESTUM
(D) – PROMOTORES
(E) – SECRETARII
(F) – STENOGRAPHI
(G) – NOTARII
(H) – SCRUTATORES
(I) – SYNODALES
(J) – CONSULTORES
(K) – CANCELLI



RECEPTIO
PONTIFICALIS EPISCOPI
IV
1)• AD OSCULUM CRUCIFIXI
(A)
CLERUS
CLERUS
(B)
C
P
(C)
CANTORES
(D)
MAGISTRATUS
CONFRATERNITATES
CONFRATERNITATES
P – PRAESES
(A) – ARCUS TRIUMPHALIS
(B) – TAPETUM NOBILE CUM PULVINARI
(C) – MENSA SEU ABACUS
(D) – STRATUM CUM TAPETO ET SEDE CAMERALI

RECEPTIO PONTIFICALIS EPISCOPI

V

2)• AD ECCLESIAE JANUAM

CLERUS

CLERUS

CANTORES

ECCLESIA


ECCLESIA

CANONICI - PRAELATI - MAGISTRATUS - PRAELATI - CANONICI



RECEPTIO PONTIFICALIS EPISCOPI


3). AD ALTARE MAIUS



BAPTISMUS PUERORUM SEU ADULTORUM

AD ECCLESIAE FORES


VII



SOLEMNIS ECCLESIÆ BENEDICTIO

A)• AD JANUAM


VIII



SOLEMNIS ECCLESIÆ BENEDICTIO

IX

B) • AD LITANIAS



TOMUS III

INDICES

TOMUS III

RERUM CONSPECTUS

Sectio II

DE CONCILIIS PLENARIIS VEL PROVINCIALIBUS CELEBRANDIS

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

De concilii convocatione

CAPUT II

De synodalibus

CAPUT III

CAPUT IV

De synodalium praecedentia

CAPUT V

CAPUT VI

De curia conciliari

CAPUT VII

CAPUT VIII

De tribunali concilii

Titulus II

CAPUT UNICUM

De servandis ante inchoationem concilii

Titulus III

DE SOLEMNI CONCILII APERITIONE

CAPUT I

CAPUT II

De praeparandis

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus IV

DE CONGREGATIONIBUS

CAPUT I

Caeremoniale servandum

CAPUT II

Ratio deliberandi

CAPUT III

De vocandis ad synodum

CAPUT IV

De officialibus et de judice synodi

CAPUT V

Titulus II

CAPUT UNICUM

De congregationibus synodalibus

Titulus III

DE PRIMO DIE SYNODI

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus IV

DE SECUNDO DIE SYNODI

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda

CAPUT II

Ritus servandus

Titulus V

DE TERTIO DIE SYNODI

CAPUT UNICUM

Titulus VI

DE QUARTO DIE SYNODI

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda

CAPUT II

Ritus servandus

Titulus VII

RITUS ALIQUANDO ADHIBENDI

CAPUT I

In primo die synodi

CAPUT II

De synodo breviori

Titulus II

RECEPTIO PROCESSIONALIS PONTIFICALIS

CAPUT I

CAPUT II

De praeparandis

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus III

RECEPTIO PROCESSIONALIS CUM CAPPA

A) Receptio cardinalis *a latere* legati

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

B) Receptio episcopi

CAPUT I

CAPUT II

C) Receptio semi-processionalis

CAPUT I

CAPUT II

Appendix I

DE SACRAMENTIS ET BENEDICTIONIBUS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

Sectio VI

DE SACRAMENTIS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

Titulus I

ORDO PONTIFICALIS PRO PARVULORUM BAPTISMO UNI VEL PLURIBUS CONFERENDO

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus II

ORDO PONTIFICALIS PRO ADULTORUM BAPTISMO UNI VEL PLURIBUS CONFERENDO

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus III

DE RITIBUS IN ADMINISTRATIONE BAPTISMI ALIQUANDO ADHIBENDIS

CAPUT I

CAPUT II

Titulus IV

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

CAPUT UNICUM

Titulus V

DE POSTREMIS SACRAMENTIS RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

CAPUT I

CAPUT II

Titulus VI

ORDO PONTIFICALIS PRO SACRAMENTO MATRIMONII CELEBRANDO

A) Cum missa ab episcopo celebranda

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Sectio VII

DE BENEDICTIONIBUS RITUALIS ROMANI RITU PONTIFICALI ADMINISTRANDIS

Titulus I

Titulus II

RITUS BENEDICENDI SOLEMNITER NOVAM ECCLESIAM SEU ORATORIUM PUBLICUM

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

CAPUT IV

Ritus servandus

Titulus III

BENEDICTIO SOLEMNIS CAMPANAE

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus IV

RITUS RECONCILIANDI SOLEMNITER ECCLESIAM VIOLATAM QUAE FUERIT TANTUMMODO BENEDICTA

Titulus V

RITUS BENEDICENDI SOLEMNITER NOVUM COEMETERIUM

Titulus VI

RITUS ALIQUIBUS IN LOCIS RECEPTI

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Titulus VII

Appendix II

Sectio VIII

Titulus I

DE PROTONOTARII CREATIONE

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

CAPUT IV

Ordo servandus (sine missa)

Titulus II

DE CORPORALI INSTITUTIONE BENEFICII

CAPUT I

CAPUT II

Titulus III

DE PRAELATIS DOMESTICIS SUMMI PONTIFICIS

Titulus IV

DIAGRAMMATA IX

INDICES

TOMUS III

NOTARUM INDEX

SUSCIPIAT DOMINUS OPUS DE MANIBUS MEIS
AD LAUDEM ET GLORIAM NOMINIS SUI
AD UTILITATEM QUOQUE NOSTRAM
TOTIUSQUE ECCLESIAE SUAE SANCTAE